


LIBRERIA JIMENEZ  
Mavor. 66  
MADRID

Nº 5061 B  
Plante 2a  
Tabla 2a  
Comp. P. 5.



Est. 1<sup>o</sup> Cap 8<sup>o</sup> alt.





K.00001533424

R.137395

FA 144

~~A C~~  
~~137395~~

IOANN. BAPTISTAE ALMICI  
INSTITVTIONES

IVRIS NATVRÆ ET GENTIUM

SECVNDVM CATHOLICA PRINCIPIA

IN VSVM SCHOLAE VALENTINAE.

*Vtile est plures libros a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide,  
etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad  
alios sic, ad alios autem sic. S. August. l. 1. de Trinit. cap. 5.*



SVPERIORVM FACVLTATE.

VALENTIAE: EX OFFICINA SALVATORIS FAVLI.

ANNO M.DCC.LXXXVIII.





## LECTORI.

**I**n nova studiorum methodo, quam sapientissimus piissimusque Rex CAROLUS III. Academiae Valentinae tradidit, prudentissime cautum est, ut qui iuri seu civili seu canonico operam dare velint, prius in ediscendo iure naturae et gentium annum consummant; quod hoc ius unicum fundamentum sit, cui solida et vera iurisprudencia superstruitur. Eius vero explicandi munus primario iuris civilis Professori demandatur, delectis ad id Ioannis Baptistae AlmicI *Institutionibus iuris naturae et gentium secundum catholica principia*, interea dum meliores proferat Schola Valentina. Hinc nata est isthaec AlmicI Institutionum editio: in qua nonnulla sunt explicatius exposita, quod explicatione indigere; nonnulla penitus expuncta, quod falsa iudicavimus. Praecipue *lib. 2. cap. 7. n. 4.* confingit sibi Almicus Tyrannum, qualem nulla vidit aetas, nec fortasse videbit, ut inde consecutiones deducat principiis catholicis non satis consonas, ne dicam dissonas. Ergo integrum numerum omnes-

omnesque ex eo deductiones huc illuc in opere disseminatas expunximus: pro quibus substitui-  
mus Divi Thomae verba ex cap. 6. lib. 1. *de regimine Principum*, quae doctrinam continent, quam semper Valentina Academia in hac disputa-  
tione amplexa est. Nam hoc sibi in laude ponit, quod nemo unus exstiterit Valentinus Doctor, qui non modo damnatam in Concilio Constantiensi tyrannicidii doctrinam sustinuerit, sed ne istam quidem almicianam, bellis civilibus sub obtentu tyrannidis faventem, adeoque tranquillitati publicae, et christianae patientiae inimicam. \* Ceterum Almicl Institutiones, si pauca ea deleas, quae ab hac nostra editione iam absunt, haud temere aliis omnibus, quae huc usque prodire, anteponas, sive materiae ordinem spectes, sive doctrinae salubritatem. Haec monere, Lector, tua interesse nostraque arbitrati sumus. VALE.

\* *Vide notam nostram pag. 406. Nam breves aliquas annotationes locis opportunis apposuimus, quas facile quisquam ab almicianis discernat.*

# PROLOGVS

AUCTORIS.

I. **S**upervacaneum ac inutile prorsus aliquibus videbitur, quod post tot clarissimorum auctorum felices conatus, operaque sane digna cedro, quibus ipsi scientiam iuris naturalis explicarunt, ac veluti de novo crearunt illustraruntque, nempe Grotii, Puffendorffii, Thomasio, Heineccii, Wolfii, Burlemaquii, aliorumque; ego in scenam prodere audeam homo immortalibus illis viris neque ingenio neque eruditione ullo modo comparandus. Sed dum mecum ipse ex una parte reputo, in literaria Republica liberum semper cuique propemodum fuisse, mentis suae cogitationes expromere, <sup>1</sup> atque insuper ex altera non admodum difficile esse aliorum inventis addere; obtreptantium vel invidentium illorum dictis posthabitis neglectisque, praefidenter ac animose imbecillitas mea quoque hoc idem argumentum retractandum suscipit. <sup>2</sup>

Ad quod sane opus me maxime impulit consideratio illa etiam, quia nondum adhuc viderim institutiones secundum principia catholica, quae ad omnes par-

<sup>1</sup> Veritas omnibus pater, nondum est occupata: qui ante nos fuerunt non domini, sed duces sunt: multum ex illa etiam futuris relictum est. *Sen. Ep.* 33.

<sup>2</sup> Agamus bonum patrem familiae, faciamus ampliora, quae accepimus. Maior ista haereditas a me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praeccluditur occasio aliquid adhuc adiiciendi. *Sen. Ep.* 64.

partes iuris naturalis et gentium se extenderent. Nam cum huiusce scientiae praecipui auctores Protestantes et A catholici ardentissimi fuerint; hi nunquam occasionem reliquerunt in eorum libros praecipua erroresque suae religionis introducendi. Vnde nimis lubricum ac periculosum fit, ipsorum scripta in manibus Catholicorum iuuenum ponere, qui inexperti incautique, omnia quae legunt, absque ulla distinctione oculis prope clausis ebibere solent. Huic ergo periculo praecipue obviam ire volui hisce meis institutionibus, quae profecto, quamvis multis aliis imperfectionibus nimium fortasse scaterere poterunt, quas aut incuria fudit, aut parum cavit humana natura; quod vero ad religionem spectat, non dubito, quin incontaminatae, et iuxta principia Religionis nostrae Catholicae accurate universim compositae appareant ac inveniuntur.

II. Verum antequam rem aggrediar, pauca quaedam de origine ac essentia iuris naturae, eiusque usu, et praecipuis praemittenda ducō, quae tanquam praeliminaria huiusce scientiae introductioni mirifice inservient.

Ius naturae, lex aeterna, immutabilis, et constans actionum nostrarum regula est, ad cuius normam nos conformare debemus. Oportet enim humanas a-

ctio-

201 Habemus P. Schuvarthii tractatum iuris naturae et gentium, in quo sane Protestantes huiusce scientiae auctores cavillose nimis etiam ac impolito et imperioso modo censurat ac mordet. At quam ipse Schuvarthius censura dignus sit ac mancus in suo opere, omnes qui huic scientiae dant operam, sciunt ac recognoscunt. Vide Memor. Valvasenses mensis Novembris 1757. et meum Puffendorf. in Praefatione §. 15.

ctiones non brutorum physico et sensibili impulsu, sed rationis ac sapientiae dictamine, quo omnes homines pollent, <sup>1</sup> dirigi; ut ipsi rectum ac convenientem finem naturae suae, <sup>2</sup> nempe eiusdemmet bonam constitutionem, perfectionem, ac felicitatem assequantur. Haec regula adeo alte hominum menti inscripta est, ut nunquam deleatur.

Inter doctos porro magna concertatione animorum disputatur de modo quo homines huiusce regulae ideam notitiamque adipiscantur. Nam alii omnium rerum ideas nobis esse innatas; alii ope naturalium facultatum eas sensim crescentibus annis esse a mente nostra acquisitas perceptasque volunt. In qua re si quis diceret, ideam animabus prope eodem modo inesse ac fructus arboribus, non a veritate forsan ablueret, atque sic controversia quodammodo componi posset; quandoquidem utraque sententia partem aliquam veri habere videretur. Posteaquam si quae de arborum fructibus eveniunt, ad ideas spirituum applicentur; facile erit percipere lumen facultatemque nostram comparandi, modificandi, componendique ideas, similem propemodum effectum illi ipsi in mentibus nostris producere, qui a cultura in arbores venit. Etenim fructus arborum neque sol, neque tellus, neque pluviae, neque manus agricolae proprie formant; quamquam aliquid ad augmentum, vel

<sup>1</sup> Optime Quintilianus: *Quippe id est homini naturale: ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur; ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia.* Instit. orat. l. 1. cap. 1.

<sup>2</sup> Cuiuscumque rei conservatio ac perfectio est ratio ac finis ipsiusmet rei existentiae.

vel ad compositionem, ad vitium, vel ad perfectionem eorum conferre queant. Clarum enim ratione ac experientia liquet, illos fructus in ipso semine esse, ex quo tandem per culturam sub multiplici forma se se evolvunt prodeuntque. Id quod etiam de hominum mentis primis notitiis pronuntiandum existimo; cum nec obiecta, nec sensus, nec affectus animae, nec aliorum verba vel signa, aut nihil aliud praecipue eas efficiant; siquidem soli Deo potentia quidquam creandi de nihilo competit. <sup>1</sup> Omnia ergo haec excitare, promere, componere, ac variis modificare modis ideas posse, utpote et de seminibus per culturam accidere solet, concedo; de novo eas omnino conficere ac procreare, nego. <sup>2</sup> Quae profecto consideratio summo Philosopho Malebranchio ad causas occasionales confugiendi rationem praebuit.

Ceterum sint ideae nobiscum natae, sint lumine naturali prolatae, vel a mente nostra ope sensuum externorum conformatae ac depromptae, ut placuit Lochio, in quacumque hypothesis hae concipiuntur, metaphysicarum moraliumque veritatum habemus demonstrationes omni exceptione maiores. Nam rerum convenientia cum ipsis notionibus animae ex earum essentia ita patefacta ac firmata est, ut nemo sana mente praeditus de ea dubitare poterit unquam. Et revera nemo dubia mente pendet, an temperantia,

pru-

<sup>1</sup> Vide Auctorem celeberrimi oper. *De actione Dei*. P. I. cap. 3.

<sup>2</sup> Motio enim sensuum, imaginationis, affectuum, dat causam impressioni, eamque excitat, a qua idea prorsus informatur et constat. Semina ergo, ut ita dicam impressionum, idearumque in mente reposita stant, quas a motionibus antedictis concitata ac reclusa ab ipsa mente postea percipiuntur.

prudētiaque, animae rationali conveniant, nec ne; cum ex ipsarum virtutum, animaeque essentiae notionibus, illas ad hanc praeservandam, dirigendam, perficiendamque conferre, liquido constet. <sup>1</sup>

III. Iuris naturae origo a voluntate Dei, quae ideas mentis suae, sapientia aeterna duce in actum produxit, ereando hominem intelligentia ac ratione <sup>2</sup> praeditum, cuius ope ipse per contemplationem propriae naturae iura sibi competentia cum respectivis obligationibus recognoscit, est repetenda. Quoniam infinitae eiusdem sapientiae est, ut rerum omnium essentiae ac qualitates, seu physicis, seu moralibus super-

\*\*

stru-

<sup>1</sup> Atque hoc in loco adnotandum existimo, nihil ad iuris naturalis certitudinem, uti alicui putant declamantque, officere id, quod incertum quodammodo sit, huiusce iuris demonstrandi principium, eo quia quot Auctores fere sint, qui eum tractant, tot prope modum etiam eiusdem fundamentales propositiones ac principia prolata esse videantur. Nam cum naturae nostrae, a qua hoc ius derivatur atque promanat, tam variae sint essentiales qualitates, facultates, affectus et relationes; nihil mirum si unus eorum aliquam, alius aliam proprietatem, tanquam medium ipsiusmet iuris demonstrandi accipiat ac seligat. Verum hac de causa nihil certitudinis huic scientiae detrahitur, eodem sane modo, quo nihilominus infallibilis ac inconcussa existentia Dei reputatur, quamvis tam variis atque innumeris probationibus petitis a rerum creaturarum universitate ineluctabiliter ostendatur ac comprobetur. Nos vero tamen, ut prorsus hoc declinemus obiectum, ius naturae a tota prope hominis natura, considerata in relationem Dei, sui ipsius, ac aliorum hominum deducimus. Hisce enim tribus relationibus omnis actionum humanarum ambitus atque complexio continetur; ad quas conformandas dirigendasque, idem ius naturae unice tantum collimat ac tendit. *Vide infra l. I. cap. 3. §. 5.*

<sup>2</sup> Mens enim contemplando essentiam naturae nostrae, ea quae ipsi conferunt vel disconveniunt, comprehendit ac colligit. Haec ratio dicitur: *Homo enim, uti optime Cicero, quoniam rationis est particeps, consequentia cernit, principia et causas rerum videt, earumque* pro-

structae sint regulis, <sup>1</sup> quarum adminiculo ac directione ad finem, cui destinantur, inserviant. Vnde sane patet, facile conciliari posse Clarissimorum Puffendorffii et Leibnitii sententias. Primus enim ius naturale tanquam divinam institutionem agnoscit; at non arbitrariam et absolutam, sed naturae humanae convenientem ac relativam, et huiusce creationis tempore factam. Secundus vero originem iuris naturae ab ideis mentis divinae repetit, quae cum omnia possibilis complectatur, etiam naturam iusti ac iniusti, per convenientiam vel inconvenientiam suarum idearum fundat ac concipit. Quippe logomachiam manifestam in tantorum virorum disputatione inesse apparet. Nam Leibnitius considerat hanc legem in ideis infinitae Sapientiae Dei existentem ante naturae humanae creationem: Puffendorffius autem legem ipsam contemplatur tantum in relationem humanae naturae, ita ut necessario ea, hominis productionem per Divinam institutionem consequatur. Ideo non negat Puffendorffius, legem naturae pendere ab ideis Dei, qui omnia possibilis entia usque ab aeternitate sua mente in-

*progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat et rebus praesentibus adiungit atque annectit futuras, facile totius vitae cursum videt, ad eunquē regendum praeparat res necessarias. De officiis l. 1. cap. 5.*

Quandoquidem ergo Deus auctor noster, hanc praevidentem ac directricem facultatem in nobis creavit ac posuit, absque cuius norma omnino caecutimus et ruimus in malum, quod est tam contrarium inimicumque naturae nostrae, necessario venit, Deum velle ac praecipere; ut nos hanc facultatem sequamur, et iuxta eam, ut nos conformemus ac disponamus.

<sup>1</sup> Hinc Plutarchus in tractatu, quod Principem oportet esse Philosophum, vocavit legem, reginam omnium.



infinita comprehendit ac percipit, sed ab hac consideratione desciscit deflectitque, utpote suo scopo omnino inutili ac supervacua.

At satis hinc constat, quam longe a vero aberrent illi, <sup>1</sup> qui essentiam obligationis a lege naturae derivantis, in eiusdem praescriptorum conformitate cum rationali natura constituunt. Nam conformitas haec per convenientiam, decorem et utilitatem suadere, ac speculative movere voluntatem nostram poterit; obligare autem proprie nunquam. Obligatio enim naturalis necessario voluntatem supremi entis involvit, qui utpote Creator noster ac Dominus aequè per rerum naturam et rationem, ac per revelationem demonstrare, velle, ac imponere potest, ut actus internos ac externos voluntatis nostrae, ad certam normam referamus ac conformemus.

Ex dictis facile etiam colligi potest, ius naturae solis hominibus pertinere, siquidem ad ipsos tantum tanquam ratione praeditos illud dirigitur. Ideo male Vlpianus ipsum ius definit, quod natura omnia animalia docuit. <sup>2</sup> Neque enim maris et foeminae coniunctio animalium brutorum, quae in exemplum adducit, aliquid commune habet cum matrimonio hominum, cum sit mera physica motio tantummodo ab instinctu dependens, <sup>3</sup> minime capax moralibus regulis, uti est illa hominum, quae sub matrimonii nomine venit.

\*\* 2

III.

<sup>1</sup> Scilicet Grotius, Leibnitius, Burlemaquius, Wolfius.

<sup>2</sup> *Digg. de iust. et iure* l. 1.

<sup>3</sup> Sunt enim hi rationis et orationis expertes, unde ab eorum natura tam longe absumus. Cicer. de offic. l. 1. cap. 19.

III. Hisce breviter praemissis de essentia ac origine iuris naturae, proximum est, ut et de eiusdem praeceptis et usu, pauca adnotemus. Motus humanae voluntatis, qui soli <sup>1</sup> sub imperio rationis ac iuris naturae sunt, actiones dicuntur. Hae autem actiones tria respiciunt obiecta, Deum, seipsum, ac alios homines. <sup>2</sup> Hinc omnia officia ab ipso iure praescripta ad haec tria obiecta referuntur. Priora igitur, nempe quae ad Deum spectant, religionem naturalem constituunt, quae duobus articulis potissimum pendet ac conformatur. <sup>3</sup> Primus horum veram Numinis, eiusque attributorum notionem continet: secundus eorundem attributorum practicam demonstrationem, nimirum cultum ipsiusmet Dei, et praecepta suae legis aeternae comprehendit.

Notio Dei ex characteribus Divinae potentiae, sapientiae, bonitatis, quae in mundo apparent, procedit. Nam non est dubium, quin omnia, quae in hoc terrarum orbe sub oculos cadunt, ortum ducant a quodam principio aeterno, independenti. Aliter enim dicere oporteret, creatum quidquam, et quod in se minime tenet existendi principium, absque causa ex se ipso

<sup>1</sup> Vtpote liberi.

<sup>2</sup> Extra haec tria, nihil aliud actionum humanarum adest obiectum *Τρεῖς σήσεις, ἡ μὲν Πρὸς τὸ αἰτιον τὸ Περὶ Κείμενον, ἡ δὲ Πρὸς τὴν θεῖαν αἰτίαν, ἡ δὲ Πρὸς τὸ συμβεβητος.* Tres relationes habemus, unam cum causa, a qua movemur, aliam cum divina causa, tertiam cum quibus convivimus. *Marc. Ant. l. 8. §. 24.*

<sup>3</sup> Ita Lactantius, *Instit. Christ. l. 3. cap. 30.* admonet: *Omnia religio ac sapientia hominis in hoc est, ut Deum cognoscat et colat: scientia praecedit, cultus sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere.*

ipso ab aeterno consistere. Id quod omnino contradictorium atque adversum rationis lumini foret. Ideoque ab omnibus hominibus recepta sententia illa est, ut ex astrorum cursus, ex animalium plantarumque regulatae ac ineffabilis oeconomiae, atque ex aliorum huiusce universi phoenomenorum, horumque omnium ad invicem harmoniae ac concentus contemplatione, necessaria consequentia Deum esse aeternum, omnipotentem, sapientissimum et omnium Conditorum ac Dominum, concludatur. <sup>1</sup>

Haec vero notitia ab universitate rerum erumpens, deinceps in nos excitat ipsiusmet Dei cultum, qui admiratione, humilique dependentia, gratitudine confidentia, suorumque praeceptorum exacta observantia absolvitur. <sup>2</sup> Ad hunc cultum internum etiam externum cultum accedere opus est: qui ex laudibus ubique dicendis de eiusmodi numine, ex operibus exterioribus venerationis, reverentiae, subiectionis, ac obedientiae eiusdem legis constat. <sup>3</sup> Ergo hominibus omnia haec religiosa officia exsequenda a iure naturae praescribuntur. E contra, quae ipsis adversantur, nimirum iniquae impiaeque opiniones de Deo, blasphemiae, periuria, superstitionis actus praeaeque omnes actiones, quae Dei legi repugnant, ab eodem iure naturae severe vetantur.

## V.

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Mentem solutam quandam et liberam, segregatam ab omni concrectione mortali, omnia sentientem, creantem, et moventem, ipsamque praeditam motu sempiterno.* Tuscul. Quaest. 1.

<sup>2</sup> Cultum Deorum esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce venereris. *Cic. de Nat. Deor. 2.*

<sup>3</sup> Iuxta patrios ritus, qui nunquam sunt contumaciter repudiandi. *Cic. ibidem.*

V. Sequuntur hominis officia erga seipsum, quae hoc generali praecepto possunt comprehendere. Homo dignitati destinationique suae omnia agere tenetur consentanea; consentaneum vero destinationi suae est conservatio et perfectio sui ipsius; <sup>1</sup> ergo ad conservandum et perficiendum proprium individuum officia hominis erga seipsum intendere debent. Cum igitur homo componatur anima et corpore, eundem animae et corporis praeservationi perfectionique vacare oportebit.

Quod ad animam spectat, posteaquam haec constat intellectu ac voluntate; inde sequitur, ut quisque sit obstrictus ad procurandam sibi mentis perspicacitatem, rectamque ipsius constitutionem, nempe facultatem, verum a falso, bonum a malo discernendi: utpote et voluntatis perfectionem, quae in appetitione et acquisitione boni, malique devitatione consistit. Et quoniam hanc voluntatis functionem ac munus intervertunt animi affectus pravi, scilicet *passiones*; ideo ab iis tanquam a scopulo homines se praecavere par est. Neque decet ab homine ratione praedito indiscriminatim qualecumque bonum appeti ac inquiri, sed ex pluribus bonis praestantius magisque necessarium. Quare cum bona animae sint praestantiora quam quae corpus respiciunt, illa ad haec erunt semper praeferenda: <sup>2</sup> et cum vita animam et corpus complectatur;

<sup>1</sup> Nam si homo naturae instinctu, ac rationis dictamine ad sui ipsius conservationem augmentumque propendit ac trahitur; perspicuum est, hominem ipsum per naturam ad hoc suo ab auctore destinari ac praeponi.

<sup>2</sup> Officia quae corpus concernunt, quisque sentit esse, cum sanum

tur ; idcirco huiusce salus ac conservatio praeponenda erit ad omne aliud officium , quod Deo auctori nostro non referatur. Quippe quia , quae Deum concernunt officia , ante omnia alia , ut recolantur fas est.

VI. Verumtamen homo non sibi soli , sed aliorum hominum quoque causa natus est , cum quibus perfecta naturae aequalitate potitur. Et cum aequalitas naturae aequalia etiam officia exigat ; inde colligimus, hominem alios homines non minus quam seipsum benevolentia prosequi debere. <sup>1</sup> Porro ex hac benevolentia , qua homines mutuo inter se se complecti obstringuntur , nanciscitur societas , quae nullo modo sustineri potest , nisi unusquisque Evangelicam Sententiam adimpleat , nimirum quod sibi non vult fieri , ne faciat alteri. <sup>2</sup>

Ex dictis ergo hoc universale axioma deducimus: quaecumque ad humanae societatis , totiusque generis humani salutem , commodum et perfectionem conferunt , iure naturali praecipiuntur : omniaque ex adverso , quae ad eius interitum et corruptionem tendunt , eodem iure vetantur. Ab hac generali propositione , cuius evidentiam nemo negabit , necessario consequitur , quomodocumque inspiciamus hominem ; sive in statu naturali , sive in statu civili , sequentes ei iure naturae praecipui virtutes , absque quarum exercitio humana benevolentia ac consociatio concipi nequit:

num servare , et suas functiones recte disponere. Vnde omnia quae huic fini officere possunt , evitari debent. *Nam huiusce fulcris animus sustinetur.* Plin. Epist. 1. l. 1.

<sup>1</sup> Alteri vivas oportet , si vis tibi vivere. *Seneca Epist. 48.*

<sup>2</sup> Matth. VII. 12.

quit : nempe probitatem , veracitatem , fidelitatem , iustitiam atque indigentibus aliis auxilium subsidiumque , quae sunt profecto hominum societatis , commerciique fulcimen ac condimentum : his vero contraria vitia eodem iure rigurose inhiberi , scilicet mendacium , malitiam , dolum , furtum , perfidiam , invidiam , ebrietatem , iniuriam , scortationem , incestum , divorcium , aliaque , quae si ab hominibus patrarentur , totius humani generis proculdubio oriretur interitus.

VII. Praeterea cum hominis dignitas ac excellentia , ipsiusque rationis essentia in eo consistat , quod obiecta omnia , quae illum undique circumdant , non brutorum instar sensibili perceptione tantum , sed notione intelligibili cognoscit ; cuius adminiculo rerum convenientiam ac perfectionem et scopum , finemque obiectorum , suarumque actionum ad invicem , si lubet , discernit ac comparat ; et cum nulla humana societas daretur , nisi in ea inessent variae hominum relationes , vel status morales , qui ipsorum destinationi conducerent ; hinc venit sane , ut homines prae-lucente ratione varios status et constitutiones introducere voluerint , ex quibus generis humani conservationem perfectionemque promanare , nemo , uti mihi videtur , inficias ibit. Hi vero status sunt coniugium , familia , Respublica. Absque enim coniugio , comoda humani generis propagatio , absque familia illius perfecta educatio , absque Republica ipsius firma pax et tranquillitas consistere nequit. Hic advertere convenit , nos sub nomine Reipublicae non tam Aristocratiam , quam Democratiam , et Monarchiam intelligere , quae quidem omnes sunt recti regiminis species.

Ve-

Verum hae praecitatae humani generis institutiones sine conventionibus pactisque, minime possent conformari et subsistere. Ideoque pacta ac conventiones, eorumque executionem ac observantiam a iure naturae necessario praescribi oportet. <sup>1</sup> Vnde postea processerunt etiam contractus, commerciaque, a quibus solis prope omnis humana vita socialis, et politica constat ac pendet.

Ex his quoque licet arguere, statum benevolentiae, societatis, commercii, ac pacis statum naturalem hominum esse; a quo propemodum eorum conservatio, ac bona et commoda constitutio promanat; <sup>2</sup> atque adeo omnino a vero aberrare Hobbesium, qui vult, hostilem animum, concertationem, bellumque ad invicem hominibus esse a natura prope insitum atque suassum.

VIII. Haec pauca de origine et praeceptis iuris naturae sint adnotata ac praemissa, ne Lector omnino imparatus ac novus ad eiusmodi studium accedat. Nunc reliquum est, ut et de ordine a nobis hoc in opere servato unum verbum faciamus. Vsus ergo sum methodo neque sicca nimis ac mathematica, neque dissoluta atque incomposita, sed naturali et perspicua, quam legentibus commodissimam, huicque scien-

\*\*\*

<sup>1</sup> Hinc concipi licet, quam male auctor operis, delictorum ac poenarum, omnes leges politicas ad solas conventiones omnino independentes a iure naturae reducat. Id quod ipsum auctorem perpetuo in transversum agit per totum opus.

<sup>2</sup> Recte Cicero de amicitia: *Si enim exemeris ex natura rerum benevolentiae coniunctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit, nec agri quidem cultus permanebit.*

scientiæ aptam ac convenientem esse censi. <sup>1</sup> Illud præcipue studui, ut omnia præcepta ex claris definitionibus, desumptisque inde axiomatibus deducerem, eaque stilo non ornato, aut multis eloquentiæ luminibus distincto, quem huiusmodi tractatus prorsus respuunt; sed puro tamen, quantum insufficientiæ meæ possibile fuit, ac pellucido exponerem. Pene omnia confirmavi antiquorum vel modernorum illustrium virorum scriptis atque sententiis, ut quod meis dictis deficeret robur, ex eorum auctoritate mutarem. Distinxi opus in duas partes: quarum prima versatur circa ius naturæ, quod singulos respicit homines in statu naturali, nempe extra quascumque societates ab ipsis hominibus introductas, positos: alia autem tractat de iure gentium, scilicet de iis iuribus, ac obligationibus, quæ a societate matrimoniali, familiari, ac præsertim civili dependent. Nam quamvis ius gentium sit idem ius naturæ hisce societatibus hominibusque in eis constitutis applicatum; nihilominus, cum hæc ipsæ societates, proprietates ac respectus diversos prope habeant ab illis hominum singulorum in statu naturæ viventium; <sup>2</sup> operæ pretium fuit, utraque

<sup>1</sup> Scite Quintilianus: *Nam plerumque nudaæ illæ artes nimiaæ subtilitatis affectatione frangunt, atque concidunt mentem, et omnem succum ingenii bibunt et ossa detegunt; quæ ut esse, et astringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt.* Instit. orat. l. 1. prooem.

<sup>2</sup> Vide Wolfium in sua præfat. iuris gentium, ubi sapienter advertit: *Quod nationes sunt personæ morales, quia in natura ac essentia necessarie differunt ab individuis Phisicis, scilicet ab hominibus, qui eas componunt. Itaque cum volumus ius naturæ applicare hisce personis moralibus, fas est ut aliquam commutationem capiat, novo subiectui relativam ac convenientem.* Vide etiam Vattel in præfat. sui iuris gentium.



que iura cum relativis officiis, seiuncta tractatione describere.

Tandem nihil aliud superest, nisi ut candide fatear, me multa ab Heineccio, quem sequor plerumque, multa a Puffendorffio, aliqua a Grotio, Thomasio, Buddaeo, Wolfio, Vattel, Burlemaquio, Montesquiu, aliisque in meum derivasse usum, <sup>2</sup> at illo modo profecto, quo eorum nulli me mancipem ac serviam. Immo vero ab hisce tam illustribus viris non raro dissentire audeo: <sup>4</sup> hoc tamen semper facere soleo tali ac tanta animi moderatione et temperantia, uti nec eorundem virorum meriti et doctrinae, nec mei propemodum ingenii tenuitatis unquam oblivisci videar. Habes, optime Lector, quae consideranda duxi ad tuam meamque rationem. Vale.

<sup>1</sup> Sicut ipse plurium in unum confero inventa, ubicumque ingenio non erit locus, curae testimonio meruisse contentus. *Quintil. orat. l. 3. cap. 1.*

<sup>1</sup> Non enim post tot ac tantos Scriptores pigebit meam quibusdam locis posuisse sententiam. Neque enim me cuiusquam Sectae velut quadam superstitione imbutus addixi. *Quintilianus ubi supra de fide.*

# INDEX

## CAPITVM.

### LIBER I.

### IUS NATVRÆ.

CAP. I. <i>De essentia ac constitutione iuris naturæ et gentium, et de eius auctore.</i>	Pag. 1
II. <i>De actionum humanarum natura et origine.</i>	10
III. <i>De norma actionum humanarum, veroque iuris naturalis demonstrandi modo, et principio.</i>	19
III. <i>De applicatione huius normæ ad actiones, et de earum differentia et valore.</i>	32
V. <i>De officiis hominis erga Deum.</i>	42
VI. <i>De officiis hominis erga seipsum.</i>	50
VII. <i>De officiis erga alios absolutis, et speciatim de nemine laedendo.</i>	64
VIII. <i>De officiis erga alios imperfectis.</i>	79
VIII. <i>De officiis hypotheticis, et primo circa domini acquisitionem originariam.</i>	88
De	

- X. De derivativis domini acquisitionibus,  
 quae vivo priore domino fiunt. 109
- XI. De derivativis acquisitionibus per succes-  
 sionem ex dispositione defuncti, et ab in-  
 testato. 120
- XII. De iuribus ac officiis, quae ex dominio  
 oriuntur. 130
- XIII. De commercio rerum in dominio constitu-  
 tarum, id est de contractibus. 140
- XIII. De partis. 187
- XV. Quibus modis obligationes ex contractibus  
 pactisque resolvuntur. 203

LIBER II.  
I V S G E N T I V M.

CAP. I.	<i>De statu hominum naturali et sociali, et de eorum differentia ac distinctione.</i>	213
II.	<i>De societate coniugali, et de officiis in ea observandis.</i>	234
III.	<i>De societate liberorum et parentum, et de eorum respectivis officiis.</i>	261
III.	<i>De societate herili, ac de officiis in ea observandis.</i>	281
V.	<i>De societate composita, quam familiam appellamus, et de officiis in illa adimplendis.</i>	294
VI.	<i>De societatis civilis origine, forma, et constitutione.</i>	301
VII.	<i>De summa potestate, eiusdemque iustis limitibus, et de modis eam acquirendi.</i>	329
VIII.	<i>De iuribus maiestatis immanentibus, et de iusto eorum exercitio.</i>	354
VIII.	<i>De iuribus maiestatis transeuntibus, ac speciatim de bello.</i>	399
	<i>De</i>	

X. <i>De foederibus aliisque tractatibus Populorum.</i>	425
XI. <i>De Legatis et Internunciis.</i>	447
XII. <i>De civium officiis, et de eorum differentia ac duratione.</i>	459

X. De foederibus aliisque tractatibus Populi  
445  
XI. De Legibus et Internunciis  
447  
XII. De iudiciis officialibus, et de eorum officio  
449

*Nihil tam praeclarum, hominique con-  
ueniens est, quam erudire homines  
ad iustitiam. Lactant.*

# INSTITVTIONES

## IVRIS NATVRAE ET GENTIVM SECVNDVM CATHOLICA PRINCIPIA.

---

### LIBER I.

#### I V S N A T V R A E.

---

#### CAPVT PRIMVM

#### DE ESSENTIA AC CONSTITVTIONE IVRIS *naturae et gentium, et de eius Auctore.*

I. **I**VS a iussu sive praescripto dictum est, iustum a iure. <sup>1</sup> Natura vero est constitutio sive essentia cuiusque rei. <sup>2</sup> Vnde quod iustum cons-  
A ti-

<sup>1</sup> Optime Wesembecius advertit *De Iustitia et Iure* (Parat. in *Pandectis*, tit. 1.) *Ius ex Iure*, quod cuique quatenus suum est tribuit, trahere nomen scribitur, a Iure iustum, iustitiam a iusto.

<sup>2</sup> Nos enim nolumus praeterire definitionem naturae, cum de Iure naturae tractare debemus. Id quod minime faciunt Auctores, huiusce scientiae censurabili sane negligentia, sicuti acer Auctor dubiorum Iuris naturae cap. 8. §. 23. accurate advertit. Nam, ut equidem sapienter monet Cicero *De fin. bonor.* l. 3. cap. 21. non potest quisquam de iure naturae, de bonis et de malis vere iudicare, nisi  
omni

titutio ac essentia nostra indicat, ius naturae significat. <sup>1</sup>

Homo autem constituitur et componitur corpore et animo. Corpus machinale est, ac omnino ab animo dependens ac determinatum: ideoque animus tantum determinatione ac directione iuris erit capax. <sup>2</sup> Animus vero passione atque actione exerit se. At passio ab eo proprie non dependet, nisi in quantum ab actione proficiscitur, ipsaque participat. Ergo actiones tantum animi ius naturae intendere ac conformare oportet, uti melius postea videbimus. <sup>3</sup> Quare concludamus, ius naturae ad bonas actiones et convenientes naturae ac iustas hominibus aperiendas tendere, malasque; sive contemplationem naturae constitutionisque nostrae per rationem factam <sup>4</sup> hoc indicare, quod nostram felicitatem format: nam haec tota a recto actionum nostrarum usu pendet atque producit. <sup>5</sup>

Actio bona illa dicitur, quae confert ad conserva-

*omni cognita ratione naturae. Et cum, uti ipse postea subiungit l. 5. c. 9. diversae sint rerum naturae: ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini: una tamen comprehensione licet omnia complecti, nec dubitem dicere, omnem naturam esse conservatricem sui, idque habere propositum quasi finem, et extremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu. Quod profecto componit constitutionem cuiusque rei, nempe illud, per quod existit. Ideoque hominis naturam, id quod constitutionem ac essentiam suam format, definivimus.*

<sup>1</sup> *Natura enim Iuris, inquit Cicero, explicata est nobis, eaque ab hominis repetenda natura. De leg. l. 1. c. 5.*

<sup>2</sup> *Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te: nam corpus tuum quasi vas est et receptaculum animi. Cic. Tus. quaest. l. 1.*

<sup>3</sup> *Cap. seq. §. 2.*

<sup>4</sup> *Quae est praecipua interna nostra facultas.*

<sup>5</sup> *Vide Discurs. prooemial. mei Puffend. P. 1. c. 1. §. 5.*



vationem et perfectionem nostram, mala e contra, quae ad destructionem nostram tendit, iuxta boni malique definitionem. Nam bonum est, quod rem conservat ac perficit, adeoque si ad hominem id refertur, bonum illi erit, quidquid hominem conservat ac perficit, malum quod eundem destruit ac deteriore reddit. Si ergo malum repugnat naturae nostrae et essentiae, adeoque destruit τὸ esse, vocatur Physicum: sin. repugnat voluntati Dei, et destruit τὸ bene esse, Morale dicitur. † Quae divisio etiam ad bonum pertinet.

II. Cum ergo voluntatis humanae ea sit indoles, ut semper appetat bonum suamque conservationem; hinc est, ut fieri non possit, quin homo semper actiones edere velit, quae ad suam conservationem perfectionemque conferunt, et abhorre contraria. At quia bonum ac malum aequè apparens, ac verum esse potest, et unum pro alio ut accipiatur, accidat crebro: inde facile nascitur quoque, ut tam saepe agamus decepti ex apparentia boni et ignorantia mali.

Quisque insuper sentit et experitur, hominem instructum esse facultate ex duobus possibilibus eligendi, adeoque bene vel male agendi. Haec autem facultas libertas vocatur: ideo liberas actiones bonas et malas in nobis dari concedendum est. Cum ergo omnia, quae a tramite deflectere, ac viam rectam tenere possunt, indigeant norma, iuxta quam dirigantur; consequens est, ut actiones humanae liberae

A 2

ad

† Vide meum Puffend. l. 1. cap. 4. §. 4. n. 2. et Heinec. Elem. Philos. Moral. §. 29.

ad normam quamdam sint componendae, ad hoc ut rectae iustae ac bonae evadant, ac ad destinationem nostram inserviant.

III. Per normam hic intelligimus evidens rectum ac certum boni malique criterium a mente et ratione indicatum. <sup>1</sup> At norma haec parum utilitatis attulerit homini, nisi ita sit comparata, ut argumento ac motivo aliquo quod vocant, impellatur voluntas ad illam adhibendam sequendamque. Aliter enim homo bene saepe abutendo sua libertate, neque rationi obsequendo, suasque determinationes praecipitando apprensens bonum pro vero, malum pro bono nimis frequenter accipiet, uti iam supra diximus.

Argumentum vero motivumque hoc in alio non potest consistere, nisi in entis cuiusdam, cuius imperium agnoscimus praecipientis prohibentisque sub comminatione poenae actiones aliquas, voluntate. Nam nisi qui habet imperium potest sub poena, ac praemio aliquid iubere, aut vetare. <sup>2</sup> Hoc igitur motivum, vel proprie nexus actionum cum eodem motivo ab ente superiore derivante obligatio vocatur. <sup>3</sup> Itaque voluntas huius supremi entis est fundamentum obligationis, cuius correlatum est semper  
ius

<sup>1</sup> Aliter enim haec norma minime esset a natura nostra dependens ac resultans, de qua agere intendimus, posteaquam in nos praeter mentem nihil aliud cognoscendi principium adest. *Vide cap. seq.*

<sup>2</sup> *Vide lib. seq. cap. 8. §. 9.*

<sup>3</sup> Ex hisce quisque potest percipere, male ab Heineccio, Wolfio, ac Burlamaquio obligationem distingui in internam, ac externam. Quarum primam a ratione, ac bonitate vel pravitate actus pro-

ius sive facultas eiusdem obligationis executionem exigendi, quae vel residet tantum essentialiter in illud ens supremum eiusdem Auctorem, vel ab eo communicatur hominibus etiam iuxta ipsorum naturae indigentiam, cui unice dirigitur.

Cum ergo superius istud ens aliquas actiones committat prohibeatque sub comminatione poenae vel praemii, alias absque hac comminatione relinquat, sed tantum eas per honestatem ac convenientiam, utpote non absolute necessarias profecto ad hominis conservationem perfectionemque promovendam, praecipiat. Ideo prima obligatio perfecta dicitur, alia imperfecta. Voluntas autem superioris actiones aliquas sub comminatione poenae prohibentis ordinantisque dicitur lex: complexio harum vocatur etiam ius, sive a iubendo dictum, sive ab eo vero quod complectatur ius, sive quod iustum est.

III. Ens hoc superius nullum aliud esse potest, nisi illud a quo creatio, existentia ac conservatio nostra procedit et pendet, cuius imperium ac dominationem absolutam agnoscere debemus. Ens istud est Deus Optim. Maxim. Ergo hic Auctor solus iuris huius erit, quod universo generi humano pro norma esse oportere, diximus.

Ex usque adhuc expositis colligi potest, nos quaerere ius universis hominibus traditum tanquam normam

provenientem dicunt, ad differentiam alterius ab entis cuiusdam, cuius imperium agnoscimus voluntate dependentis. Nam nec ratio, nec bonitas aut pravitas male supposita essentialis actionis unquam in nos obligationem producere potest, quae sit haec interna, aut externa, semper ab aliquo motivo poenali derivante a quodam ente imperante procedere debet. *Vide cap. 4. §. II.*

mam liberarum actionum, unde consequi opus est, ut illud toto generi humano innotescere debeat. Verum cum omne id quod innotescit toto generi humano, vel per revelationem, vel per rationem manifestetur; <sup>1</sup> consequens est, uno aut alio modo normam de qua agitur, innotuisse. Cum talis autem revelatio omnibus hominibus cognita nec extiterit, nec extet hodie, ergo per rationem dicendum, ius naturae generi humano patefieri. Quae ratio cum sit naturae humanae inseparabilis, ac ipsius pars nobilior, ideo hoc ius per naturam innotescere dicitur.

V. Quare licet coniecere, ius naturae esse complexionem ordinationum legumque a Deo generi humano per rectam rationem, sive per contemplationem naturae ope rationis factam, promulgatarum. <sup>2</sup> Si vero illud tanquam scientiam considerare velis, iurisprudencia huiusmodi naturalis erit habitus practicus voluntatem Supremi Legislatoris ex recta ratione per naturae nostrae contemplationem cognoscendi applicandique quibusve speciebus, actionibusque obvenientibus. <sup>3</sup> Quae quia in iure a Deo profecto versatur, ideo iurisprudencia Divina etiam cum Thomasio dici potest.

#### Prae-

<sup>1</sup> Extra duo haec, nihil aliud superest cognoscendi medium. Nam aut per nos, aut per alios omne, quod percipitur, recognoscimus.

<sup>2</sup> Sive pressius dicas: Ius naturae esse ordinationem divinam per rectam rationem manifestatam in humana natura.

<sup>3</sup> Est quidem vera lex recta ratio naturae congruens diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocat ad officium iubendo, vetando a fraude deterret. *Cic. de Rep. apud Lact. Inst. Div. l. 6. cap. 8.*

Praeterea cum hoc ius sit complexio legum, inde venit, ut omnia quae in leges cadunt, in ius naturae cadere debeant, veluti vetare, permittere, punire. Quin colligimus ex eodem hoc dividi recte in permissivum, quod ius nobis dat ad agendum: in praeceptivum, quod ad certas actiones committendas nos obligat: in prohibitivum, quod ad certas alias actiones omittendas nos obstringit. <sup>1</sup> Primum constituit facultatem agendi, alia duo exceptionem formant. Omnia enim permittit libertati hominis Deus, quae non praecepit vel prohibuit. Vnde licet argue-re ius oriri ex obligatione, ita ut ius nullum foret, si nulla esset obligatio. Non enim haberem ius permissivum ad agendum, nisi obligarer ad aliquid aliud agendum vel non agendum. Nec daretur ius praeceptivum, aut prohibitivum, nisi ad certas actiones patrandas, vel omittendas obstrictus essem. Hinc etiam deduci potest, quod per impossibile, si non fuisset Deus, eo quia obligatio naturalis non existeret, neque ius naturae daretur. <sup>2</sup>

Ex hoc consequitur etiam, recte ab Apostolo <sup>3</sup> huius iuris notitiam cordibus hominum inscriptam dici; cum haec complectatur leges per rectam rationem promulgatas; recta autem ratio sit facultas, veritates alias ex aliis eliciendi per necessariam conclusionem.

<sup>1</sup> Vide Wolf. *Ius nat.* P. I. §. 50. Per primum omne conveniens humanae naturae agere, neque in hoc a nullo impediri possum. Per secundum ad bonum impellor. Per aliud a pravo retrahor, ac inhibeor.

<sup>2</sup> Vide §. 3. cum nota.

<sup>3</sup> Ad Roman. II. 15.

dendi rationem, <sup>1</sup> quae omnibus hominibus insita dataque est a natura. <sup>2</sup>

VI. Hinc patet ius naturae non esse derivandum a sacris literis, neque a septem suppositis praeceptis Noacho traditis ut iactant Hebraei. <sup>3</sup> Quamvis multa sint in revelatione repetita eorum, quae a iure naturae praescripta sunt, et mira sit consonantia inter hanc, et rationem, quae nunquam a revelatione dissentire potest, cum amborum fontium regulae ab eodem Auctore proveniant. <sup>4</sup>

Ex supra dictis ostenditur etiam, ius naturae esse immutabile, cum recta ratio sit immutabilis etiam Deo, qui eadem rectissima ratio est, nec potest quod non vult, nec vult nisi consentaneum rectae rationi, quae semper eadem manet. Vtpote exinde recognoscitur etiam facile differentia iuris naturae a iure civili. Illud enim universale omnibus hominibus innotescit: hoc tantum civitatum particularium proprium est: illud est per rectam rationem, hoc viva voce, aut scriptura promulgatum: illud ad actiones internas ac externas naturae humanae bonas, hoc ad externas tantum ac indifferentes, in quantum saluti populi cuiusque attemperandae sunt, praecipue per-

<sup>1</sup> Nobis videtur observatio collegisse, et rerum saepe factarum inter se collatio per analogiam nostro intellectu et honestum, et bonum iudicante. *Seneca Epist.* 120.

<sup>2</sup> Vellem attentum Lectorem animadvertere huic rationis definitioni, ut ipsius verbi acceptionem sensumque, qui in totum opus diffunditur, semper praesentem habeat.

<sup>3</sup> Vide Selden. de iur. natur. iuxta discipl. Hebr. l. 1. c. 1.

<sup>4</sup> Ipse enim Deus est, qui per sacras literas, et per rationis lumen voluntatem suam hominibus profert.

pertinet : illud tandem a Deo , <sup>1</sup> hoc ab hominibus procedit ac promulgatur.

Verum est tamen , quod quamvis tantum differat ius naturae a iure civili , nihilominus apprime utilis est illius cognitio ad hoc excolendum , cum multa illius praecepta ius civile adoptet , novas poenas iniiciat , novas conclusiones deducat ; nec ius civile adversari possit ullo modo praeceptis iuris naturae , immo aequitas naturalis ab eo nunquam sit seiungenda.

Inde postea resultat , male ab Vlpiano hoc ius definiri , quod natura omnia animalia docuit : <sup>2</sup> quippe ullum aliud animal praeter hominem iure naturae participare nequit , cum ille tantum ratione instructus sit , in qua prorsus ius illud consistit.

VII. Ceterum quisque facile percipere potest , ius naturae ac ius gentium non differre inter se , nisi obiecto , non regulis ac principiis ; atque adeo male haec ab aliquibus veluti diversa iura , ac a variis principiis pendentia tractari. Nam cum societates civiles inter se in statu naturali sint ac veluti personae particulares considerentur , uti suo loco videbimus : <sup>3</sup> evidens fit eisdem ipsa iura competere debere , quae singularibus personis in statu huiusmodi competunt. Ius naturae tamen latius patet , cum non omnia praecepta quae referuntur particularibus,

B

SO-

<sup>1</sup> Recte Cicero apud Lact. *Inst. Div. l. 6. cap. 8. Nec erit alia lex Romae , alia Athenis , alia nunc , alia posthac , sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna , et immutabilis continebit , unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus , ille legis huius inventor disceptator lator.*

<sup>2</sup> *Dig. de Iust. et Iure l. 1.*

<sup>3</sup> *L. 2. cap. 1. §. 2.*

societatibus applicari possint, sicuti iura matrimonii, patriae potestatis. Vtpote et aliqua iuris quidem gentium praecepta inapplicabilia sunt particularibus, veluti quae ex iure foederum, legatorum resultant. <sup>1</sup>

Ergo opus erit distinguere ius naturae a gentium iure, atque haec duabus seiunctis tractationibus explicare. Ideo a iure naturae incipiamus <sup>2</sup>

## CAPVT II.

### DE ACTIONVM HVMANARVM NATVRA et origine.

I. **C**um ex dictis appareat, ius naturale ad actiones hominum dirigendas intendere, a quarum recto usu eorum pendet destinatio; adeoque res ipsa exigit, ut de illarum natura ac essentia paulo accuratius agamus.

Diversos in homine motus diversasque contingere mutationes, ab ipsa experientia ac sensatione continua omnes convincimur. Cum vero motus nullus absque sufficienti causa succedere possit: motus ergo hominum aliquam causam vel internam vel externam habere debent. Motus cuius causa in homine est, actionem dicimus; cuius causa extra eundem quaerenda est, passionem proprie vocamus. <sup>3</sup> Cum autem motus ille, quem actionem nuncupamus, vel

<sup>1</sup> Vide Vattel in praefat. sui iuris gentium.

<sup>2</sup> Vide prooemium §. ultim.

<sup>3</sup> Hae enim passiones ab externorum obiectuum impressione in mente nostra excitata procedunt. Adeoque sicuti impressio illa a nobis



vel in cogitatione consistat, vel in corpore a voluntate producat, atque excitetur; prior actionis internae, posterior externae sub nomine venit.

II. Quamvis tamen a nobis ipsis passiones non pendeant, ita ut etiam nobis invitis orientur, nihilominus aliquando veluti repelli queunt ac impediri, si instructi simus viribus sufficientibus ad resistendum causae extra nos positae, motumque huiusmodi in nobis excitaturae. E contra potest etiam contingere, ut hanc causam adiuvemus extra nos positam, quo valeat cedere tanto facilius motum hunc in nobis: ex quo consequitur, ut passiones aliae quodammodo dicantur in potestate nostra, aliae non.

Quare cum ius naturae circa actiones hominum liberis versetur; consequens est, ut illud profecto non dirigat passiones quae in potestate nostra proprie non sunt: adeo ut quamquam illud quaedam sancire soleat de passionibus, tanquam si revera essent in potestate nostra, non tamen tunc dirigit prorsus passiones, sed actiones liberis, quibus resistere vel subvenire licet hisce passionibus, ostenditque quid officii nostri sit circa actiones illas vel impediendas vel adiuvandis: veluti non iram quidem lex potest dirigere ac coarctare, sed actiones ab ira procedentes. <sup>r</sup> Ideoque firmum remaneat, actiones solas praecipue ius dirigere ac ordinare.

B 2

III.

bis proprie non dependet, neque consecutiva eiusdemet impressionis motio animi in origine a nobis pendere potest, quae quidem passionem revera format et constituit.

<sup>r</sup> Vel etiam actiones illas, quae ipsi irae dant causam. Ira enim est motio illa, quae ad adspectum mali in nobis intentati excitatur.

III. Verum quamvis actiones causam in homine habeant, aliae tamen harum in potestate et arbitrio nostro sunt sitae; aliae ex dispositione quadam mechanica oriuntur, sic ut earum nos conscii non semper simus, nec easdem in potestate nostra habemus, ut sistolin et diastolin cordis. Actiones quarum conscii sumus et quae in potestate nostra sunt, humanae ac morales; quarum nec conscii nec arbitri sumus, physicae ac naturales dicuntur: quam ob rem illas liberas, has necessarias esse, facile patet. Hinc merito infertur humanas et morales actiones tantum a iure naturae dirigi, non naturales: nisi quatenus, ut has vel adiuvemus vel turbemus, in nostra est potestate situm.

Quidquid est in potestate nostra, a voluntate nostra dependet: actiones morales in potestate nostra sunt: ergo actiones morales a voluntate nostra dependent. At cum voluntas nihil decernat nisi excitata ad appetendum aversandumque ab intellectu; intellectum ergo apparet ad actiones humanas edendas simul concurrere cum voluntate: ac proinde duo esse actionum humanarum principia, nimirum intellectum ac voluntatem. Intellectus praecedat, voluntas sequitur.

Voluntas est facultas, qua appetimus bonum malumque aversamur. Intellectus vero est mentis facultas, cuius ope res distincte percipimus, de iisque re-

cte  
tur. Haec motio nullo modo prorsus repelli potest. At contentiones, quae dant ipsi irae causam, iniurias, concertationes, contumelias duellaque, quae ab ipsa ira proveniunt, lex inhibere ac impedire valet. Hinc Seneca: *Nulli sunt tam feri et tam sui iuris affectus, ut non disciplina perdomentur. De Ira l. 2. cap. 12.*

ete ratiocinamur. Quae facultas postea, quando circa res non reales versatur, sed ideales tantum atque a phantasia compositas, imaginationis nomen desumit. <sup>1</sup>

III. Quandoquidem ergo nisi excitata ac illustrata ab intellectu voluntas nihil possit appetere, ac aversari; consequi oportet, ut neque actionem tanquam iustam edere, vel tanquam iniustam aversari queat, nisi intellectus eam cum lege comparando, id est ratiocinando, distincte perceperit iustam iniustamque esse: <sup>2</sup> atque adeo circa actiones morales opus sit intellectus operatione, quae ratiocinatio dicitur, qua earum iustitiam iniustitiamque cognoscimus. Haec operatio intellectus sive facultas ratiocinandi de iustitia iniustitiaque actionum vocatur conscientia. <sup>3</sup>

Iustitia vel iniustitia actionum nostrarum cum resultet a contemplatione obligationis ex lege ortae, comparatae ad actionem, quae mentis nostrae operatio conscientia dicitur: hinc conscientiam comparare inter se oportet legem et factum, id est duas propositiones, exinde elicere tertiam. Quod cum fieri nequeat nisi per syllogismum, consequens est, ut omnis conscientiae ratiocinatio sit syllogismus, cuius maiorem propositionem facit lex, minorem actio propria, consequentiam sententia. <sup>4</sup>

Por-

<sup>1</sup> Vide Lok. *Essai Philos. I. 2. cap. 21.*

<sup>2</sup> Vel saltem hanc potuerit percipere, et talem comparisonem facere. Ideo negligentia incuriaque non excusat.

<sup>3</sup> Conscientiam a Diis immortalibus accepimus, quae divelli a nobis non potest. *Cic. pro Cluent.*

<sup>4</sup> *Cuius sententiae, ut ait Cicero, est magna vis in utramque par-*

V. Porro sententia omnis conscientiae vel absolvit vel condemnat, prout actio legi vel convenit vel adversatur: conscientiam a qua quis absolvitur, bonam, a qua condemnatur, malam vocamus, quarum illa cum fiducia, haec cum suspicione est coniuncta, quae profecto legis sanctionis partem constituit. <sup>1</sup> Deinde conscientia, quae de futuris ratiocinatur, antecedens conscientia vocatur, quae de praeteritis, consequens. Prima nisi in iis, qui verae virtuti student, datur; alia et in sceleratis ac pravis se exerit bene saepius: post factum enim et malus crebro sua pravitae dolet. <sup>2</sup>

VI. Praeterea quoties comparamus futuram actionem cum lege, toties eam vel praeceptam a Deo, vel prohibitam, vel permissam esse deprehendimus. Primo casu conscientia nos ad agendum exstimulat, altero a peccando revocat, tertio casu adhibita in consilio ratione agendum esse monet. Hinc distinguitur conscientia in sollicitantem, revocantem, admonentem. Et quia conscientia est syllogismus, eadem quae in syllogismum, etiam in conscientiam cadunt. Ideo conscientia ad instar syllogismi vel recta vel erronea est.

Et sicuti ratiocinatio omnis falsa, vel in forma, vel in materia peccat, ita et conscientia errat, sive falsa lex, falsaeque actionis circumstantiae praemittantur, sive ipsae ratiocinandi regulae non observentur.

*tem, ita ut nec timeant ii, qui nihil admisissent, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt. Pro Milone.*

<sup>1</sup> Vide cap. seq. §. ult.

<sup>2</sup> Perfecto enim scelere, magnitudo eius intelligitur. *Tac. Ann.*

tur. Et uti in aliis ratiocinationibus, sic in conscientia contingit, ut modo ex certo principio, modo ex hypothesei probabili ducatur argumentum. Hinc conscientia modo certa est, quoties ex certa ac indubia lege: modo probabilis, quoties ex probabili aliorum sententia ratiocinatur.

VII. Conscientia ergo probabilis non est opponenda rectae, cum recta possit esse conscientia probabilis, <sup>1</sup> et falsa etiam per sophismata. Ceterum quisque intelligit in conscientia mere probabili non esse determinandum ad aliquid; nam hoc in casu incerta prorsus est veritas atque adeo propositum, cui mens acquiescat, omnino deficit. Quia vero quod probabile est, aequè falsum ac verum esse potest; <sup>2</sup> evenit aliquando, ut animo nostro se se in utramque partem obiiciant argumenta, ac proinde de re nondum liquida deliberandum esse censeamus. Ea conscientia dubia dicitur, vel si dubium sit levioris momenti, scrupulosa vocatur. In dubia mere conscientia non est agendum, usque dum ad liquidum non sit perducta, vel ad minus in partem praeponderet aliquam. <sup>3</sup>

VIII. Contingere potest etiam, ut conscientia pravis cupiditatibus oppressa, de actionibus vix libere ratiocinetur, sed potius propensionibus suis suffragari conetur: <sup>4</sup> quo fit, ut in tali statu minus libe-

<sup>1</sup> Conscientia probabilis a principio non distincto, sed incerto pendet, quod potest esse verum ac falsum.

<sup>2</sup> Vide meum Puffend. l. 1. cap. 3. §. 5.

<sup>3</sup> Si vero dubium sit parvi momenti minime est attendendum.

<sup>4</sup> Vnde habitus promanat.

bera conscientia sit. <sup>1</sup> E contra quæ nullis cupiditatibus devicta in libertatem manet, libera conscientia proprie est dicenda.

Insuper conscientia vel absolvit vel condemnat suo ratiocinio, uti supra observavimus. Prima cum summa voluptate animi non potest non esse coniuncta; nam interna approbatio secum affert satisfactionem. <sup>2</sup> Ex adverso reprobatio animum perturbat excruciatque, utpote necessario facere debet motio contra propriam determinationem, rectamque et naturalem tendentiam. Ideo prima tranquilla appellanda est, alia irrequieta ac perturbata conscientia. <sup>3</sup>

VIII. Ex dictis patet conscientiae maxime officere ignorantiam ac errorem: per illam simplicis privationem cognitionis, per hunc sive ideam, sive iudicium, sive ratiocinationem a natura rei discrepantem intelligimus.

Cum vero non omnes sint obligati ad veritates abstrusiores percipiendas, ideo non omnem ignorantiam ac errorem malum, peccaminosum ac vituperabilem dicendum. Sed tantum dicenda est vitiosa ac vituperabilis ignorantia illa, vel error, qui facile superari potest. Hinc variae ignorantiae divisiones procedunt. Quatenus in nostra potestate est eam evitare, vincibilis vocatur. Invincibilis autem, si inevita-

<sup>1</sup> At quamvis minus libera haec conscientia sit, nihilominus est peccaminosa, cum in suo principio omnino libera evadat.

<sup>2</sup> Vide Wolf. Ethic. §. 84.

<sup>3</sup> Optime Salustius ad Caesarem: *Suis cuique animus ex conscientia spem praebet.* E Seneca: *O te miserum si contemnis hunc testem.* Epist. 43.

tabilis. <sup>1</sup> Quatenus quis illius causa est, vel non est, voluntaria, vel involuntaria. Denique si quis aliquid egit, quod non fuisset acturus, nisi ignorantia ofuscatus, haec ignorantia efficax dicitur. Si quid factum est quod factum fuisset, etiamsi ignorantia non adfuisset, haec ignorantia inefficax appellatur. Quamobrem prioris argumentum est poenitentia, posterioris approbatio. Quae omnia ad errorem etiam possunt applicari.

Porro ignorantiam aut invincibilem esse in se et in sua causa aiunt, aut in se tantum, sed non in sua causa. Vt est ignorantia ebrii: nam in sua causa erat vincibilis, cum ei licuisset non ebrium fieri. Contra peccata furiosorum ex ignorantia invincibili in se et in sua causa dependentia dicuntur. Prima ergo ignorantia culposa et punibilis reputatur, non autem alia.

X. Progrediendum est ad aliud actionum humanarum principium voluntatem scilicet, quae est illa mentis nostrae facultas, qua appetimus bonum, malumque aversamur. Vt adeo verum sit, intellectum circa verum ac falsum, voluntatem circa bonum ac malum occupari. Nam et veritatis nulla alia de causa cupida est voluntas, nisi quatenus bona est; nec falsum quia falsum, sed quatenus simul malum est, aversatur. Verum enim ad mentis perfectionem unice confert, e contra falsum ad ipsiusmet corruptionem intendit.

C

Ex

<sup>1</sup> Vincibilis semper peccaminosa est, invincibilis non. Sic voluntaria est vitiosa, involuntaria non, si tamen talis sit, nimirum invincibilis ac involuntaria in se et in sua causa.

Ex hoc deducitur, voluntatem nihil appetere, nisi quod ab intellectu tanquam bonum ei sistitur, nec aversari quidquam, nisi tanquam malum ab eodem repraesentatur. Ideo et minus bonum relative ad maius, tanquam malum relinquitur.

XI. Nec minus ex supra exposita definitione voluntatis patet, ipsam agere non tantum sponte, sed et libere: <sup>2</sup> cum spontaneitas sit facultas dirigendi se ad certum et ante cognitum finem: <sup>3</sup> libertas consistat in facultate eligendi ex duobus possibilitibus.

Hinc constat nec officii voluntatis libertati temperamentum. Quamvis enim mens a corpore diversimode afficiatur, non cogitur tamen. Idem dicendum est de affectibus, id est de commotionibus voluntatis, ex repraesentatione boni malive ortis. <sup>4</sup> Nam et si mens quo ad primum motum mere passive se habeat, reliqua quae consequuntur, in sua sunt potestate; ita ut per eorum repressionem impetum possit impedire illius adhuc primae impressionis. <sup>5</sup> Idem advenit etiam de moribus diuturna consuetudine firmatis, qui habitus vocantur. Etenim si eorum progressus a principio interrumpantur, non ultra procedere queunt. Neque vis externa tollit libertatem

VO-

<sup>1</sup> Vide meum Puffend. l. 1. cap. 4. §. 1. 2.

<sup>2</sup> Lokius vult libertatem esse non modum voluntatis, sed facultatem animae. *Essai Philos.* l. 2. cap. 21.

<sup>3</sup> Inutilis prorsus est sane distinctio illa obvia libertatis nimirum contrarietatis et contradictionis. Nam una in alia continetur. Vide Clericum in sua Pneumatol. Sec. 1. cap. 3.

<sup>4</sup> Quae passiones dicuntur.

<sup>5</sup> Ac illius consequentias devitare queat, uti supra fuit signatum §. 2.



voluntati, cum non impediatur ab ea, ut voluntas velit quae vult, et quae non vult, nolit. <sup>1</sup>

XII. Praeterea voluntas alia est antecedens, quae sine contemplatione circumstantiarum exierit se, alia consequens quae ad circumstantias et praconceptas consequentias actionum se refert. Vna non destruit aliam.

Sicuti etiam intelligitur, actiones illas esse spontaneas quae proficiscuntur ex mente ad certum finem ante cognitum determinante; invitae quae minime a mente se ipsam determinante proveniunt. Insuper spontanearum actionum aliae sunt ultroneae, ad quas patrandas nulla hominum necessitas extrinsecus impulit; aliae coactae, quas quis tali urgente necessitate travit. <sup>2</sup> Hinc invitae, involuntarias; coactas, voluntarias esse actiones fatendum: quia quamvis non agere malemus, nisi nobis repraesentaretur malum atrocius, voluntas tamen; hanc actionem vere decernit ac praecipit, elegitque: id quod de invitae non facit.

### CAPVT III.

#### DE NORMA ACTIONVM HVMANARVM, VEROQVE iuris naturalis demonstrandi modo et principio.

I. **I**nitio huiusce nostrae tractationis iam demonstravimus naturam hominum, ut actionum liberarum

C 2

prin-

<sup>1</sup> Quamvis quo ad externam actionem aliter succedere possit.

<sup>2</sup> Vide Wolfium Metaphys. §. 72.

<sup>3</sup> At sane actio haec non est libera et independens ab externo movente.

principium, haud posse regula ac norma carere. Ibidem monstravimus etiam, hanc debere esse certam, constantem et cum obligatione coniunctam: absque quibus conditionibus non posset dici vera norma ac lex. Igitur de hac hic accuratius, ac de ipsiusmet qualitatibus agendum.

Quaerenda est autem norma haec <sup>1</sup> vel in nobis, vel extra nos. <sup>2</sup> In nobis, cum corpus sit determinatum ac dependens a voluntate, non potest esse nisi intellectus, conscientia, vel voluntas. Sed harum ulla mentis facultatum nec semper recta ac certa existit, neque obligationem producere potest, ut iam supra vidimus. <sup>3</sup> Ergo harum nulla lex esse potest. Vnde extra nos illam inquirere oportet.

Extra nos aliae sunt res creatae, tum ipse auctor harum omnium Deus. Cum vero quaeramus humanarum actionum normam cum obligatione coniunctam, et per rectam rationem universo generi humano promulgatam; <sup>4</sup> obligatio autem consistat in entis cuiusdam, cuius imperium recognoscimus, voluntate; <sup>5</sup> et cum nullum sit ens, cuius imperium magis agnoscere ac colere teneamur, quam Deus Optim. Maxim. creator noster; <sup>6</sup> isque solus etiam per rectam rationem, cuius ipse auctor est, aliquid pro-

<sup>1</sup> Id est causa ipsius normae, et principium essendi, ut ita dicam, eiusdem.

<sup>2</sup> Praeter enim duo haec, nihil aliud superest medium, a quo ea derivari possit.

<sup>3</sup> Cap. 1. §. 3. nota.

<sup>4</sup> Vide Cap. 1. §. 4.

<sup>5</sup> Ibidem §. 3.

<sup>6</sup> Ex quo suspensa sunt omnia, a quo sunt omnes causae causarum. *Senec. Quaest. natur. 11.*

promulgare possit : sequi oportet necessario , ut sola voluntas Dei sit norma actionum humanarum , omnisque naturalis obligationis origo , quin et omnis iustitiae principium ac fons.

II. Ens infinite bonum ac sapiens nihil velle potest , nisi quod rectum , quod certum : <sup>1</sup> ideo norma haec erit recta ac certa , utpote proveniens a Deo infinite bono veroque ac sapiente , qui auctor est prorsus , ac complexio bonitatis , veritatis , et sapientiae omnis.

Cum vero voluntas Dei obligatoria , quam unicam actionum humanarum esse normam ostendimus , sit voluntas Dei circa actiones rerum creatarum intelligentium vel edendas vel omittendas ; consequens est , ut ea , contemplatione Dei hominisque , vocetur etiam lex divina , quippe quae nihil aliud est , quam voluntas entis supremi sub comminatione poenae vel proposito praemio certas actiones hominibus praecipientis vel prohibentis. Verum cum et aliae leges dentur divinae per revelationem promulgatae , quas positivas vocant : hae quia ex natura homini innotescunt , merito naturales appellantur ; et prout aliquid praecipiunt , vel prohibent , vel permittunt , in affirmativas , negativas , et permissivas recte dispescuntur. Ergo actiones omnes attemperatae huic voluntati divinae , quae omnis iustitiae est fons , iustae erunt dicendae ; e contra iniustae , quae eidem adversantur ac pugnant.

III. Haec porro voluntas Dei actionum norma hu-

<sup>1</sup> Summum illud , et perfectum , et aeternum , neque mutabile , et nunquam interiturum , unum regnatorem omnium. *Tacit. Hist. 5.*

humanarum quomodo possit recognosci, <sup>1</sup> nunc est inquirendum. Atque equidem cum eam per rectam rationem universo generi humano promulgatam esse, recte fateantur docti omnes; recta vero ratio, est facultas a natura nobis indita ratiocinandi, computandique rerum atque actionum valorem et dignitatem, ac veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem eliciendi: <sup>2</sup> facile patet, dari aliquod medium vel aliquam veritatem aut propositionem, ex qua per necessariam concludendi rationem, quid voluntati Dei consentaneum ac iustum sit circa humanas actiones, derivari queat; adeoque esse oportere commune quoddam ac generale ius naturae cognoscendi principium, a quo profecto ipsiusmet iuris praecepta omnia depromantur. Et cum omne principium cognoscendi esse oporteat verum, evidens, ac adaequatum: ideo hoc principium, de quo inquirimus, tale debet esse, scilicet verum, evidens, ac adaequatum.

III. Ex hoc evincitur, non esse ut principium iuris naturalis admittendum, neque ab aliquibus excogitatum, iustum sua natura; cum ante legem iustum non possit concipi. <sup>3</sup> Neque illud, quod consensu omnium gentium pro iusto complectitur, tanquam legis naturalis

<sup>1</sup> Scilicet quo aperiatur principio demonstrationis. Vnde advertere oportet, aliud omnino esse principium essendi, ut ita dicam, eiusdem iuris, aliud principium demonstrandi.

<sup>2</sup> *Homo autem, quod rationis est particeps, consequentia cernit, principia et causas rerum recognoscit. - - - facile totius cursum vitae videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias. Cicer. de offic. l. 1. cap. 4.*

<sup>3</sup> Vide Grotium *De iure bel. ac pac. prol.* §. 40. et Leibnitium in Puffendorf.

lis principium ponendum. <sup>1</sup> Nam hoc non pendet ab hominum consensu et approbatione, cum ab auctore naturae nostrae proveniat. <sup>2</sup>

Iisdem vitiis laborant septem praecepta, uti Noacho tradita, ab Hebraeis figurata, atque ab ipsis veluti tot iuris naturalis principia propugnata ac supposita. Nam neque haec demonstrari, neque a ratione introspecti, atque ab humana natura desumi possunt. <sup>3</sup>

Omnes docti conveniunt postea principium Hobbesii, <sup>4</sup> nimirum ius omnium ad omnia sustineri nequire, salva religione ac politia; cum sit societatis eversum omnino, ad quam ius naturae praecipue intendit, ac Deo iniuriosum.

Socialitatis principium quamvis sit in parte adaequatum, cum omnia hominis officia directe aut indirecte comprehendat; non est tamen clarum ac demonstratum satis, omnibusque officiis per se applicabile saltem directe: quanquam sit indirecte omnium horum quodammodo comprehensivum. <sup>5</sup>

Eundem ac maiorem patitur defectum principium amoris a Cumberlandio inventum, posteaque a Racheilio, Daumato, Heineccio, Schuvartio, aliisque secutum, ac tot conatibus propugnatum. Nam primum nimis metaphysicum est ac incertum, deinde nec actuo-

<sup>1</sup> Vide Grotium ubi supra.

<sup>2</sup> Atque hoc ius per ipsam naturam ope rationis demonstratur.

<sup>3</sup> Vide Seldenum *De iure nat. et gent. secun. discip. Hebr.* l. 1. cap. 1.

<sup>4</sup> *De Civ. l. 1. cap. 1.*

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. *De iure nat. et gent. l. 2. cap. 3. §. 15.*

ctuosum, cum aliquis possit alium amare, etiamsi nihil pro eo faciat boni. <sup>1</sup>

V. Quare ut hoc inveniamus principium, nos tali modo procedimus. Cum legis naturae principium inquiramus, ex ipsa hominis natura illud est desumendum, <sup>2</sup> atque ex omnibus humanae naturae adiunctis qualitatibus ac conditionibus, in quibus ob quosdam fines nobis inperscrutabiles Deus hominem constituit. Et sane naturae humanae et ei adiunctorum consideratio vera suppeditat legum naturalium fundamenta ac principia, si haec spectentur, quatenus per illa divinae voluntatis cognitionem possumus comperire. <sup>3</sup> Ex quo enim Deus homini existentiam et existendi modum dedit, unde ipsius natura resultat ac constat: necessario venit, ut ex sola hominis natura diligenter investigata omnino perspicuum fieri debeat, quodnam in condendis hominibus propositum Dei fuerit; <sup>4</sup> atque sic de regulis patebit, secundum quas exigenda vita est, ut eiusdem Dei propositum voluntatemque exsequamur.

Quae humanae naturae indagatio ut recte instituitur, considerandus homo est sub triplicis status ratione, qui triplex status singulares omnes alios status complectitur, humanarumque actionum omnem ambitum. Spectari primo homo potest, ut est a Deo condi-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. in proleg. §. 13.

<sup>2</sup> *Natura enim iuris*, inquit Cicero, *est ab hominis repetenda natura. De leg. l. 1. cap. 5.*

<sup>3</sup> Nam si Deus creavit hominem certis facultatibus ac inclinationibus instructum: evidens est, quod ex harum facultatum, inclinationumque naturali usu ac functione ipsiusmet Dei voluntas circa hominis directionem destinationemque apparebit.

<sup>4</sup> Et quem vivendi modum, ut homines teneant, velit.

ditus, a quo vitam hausit ac rationem, omniaque bona accepit quibus fruitur. Secundo spectari potest in se ipso, pro ut constat mente ac corpore, et multis variisque instructus est facultatibus, tum natura se ipsum amans, et suae felicitatis cupidus. Deinde spectari homo potest, ut est pars humani generis, et in terris ad alios sui similes homines admotus, quibus cum naturali sua conditione non impellitur modo, sed cogitur etiam coniuncte ac socialiter vivere. <sup>1</sup>

Et revera ex ipso facto perspicuum est, in triplici isto statu quem memoramus, totum humanae naturae positum esse systema, unde oritur maxime vulgaris et genuina etiam officiorum nostrorum distinctio ex triplici eodem statu desumpta. Cum aliis in Deum, aliis in nos ipsos, aliis in ceteros homines teneamur officiis: scilicet pietate ac religione in Deum: temperantia ac charitate in nos ipsos: iustitia ac socialitate in alios.

VI. Siquidem primo ope rationis et rerum universarum, praecipueque naturae nostrae contemplatione cognoscimus Deum ex se ipso existentem, <sup>2</sup> et quem penes omnia sunt tanquam omnium causam ac principium auctoremque. Vnde etiam recognoscimus ab eo nos conditos et servatos, et beneficiis

D

sin-

<sup>1</sup> Non vides quam blanda conciliatrix, et quasi sui sit lena natura? An putas ullam esse terra marique belluam, quae non sui generis bellua maxime delectetur? quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius, quam hominem putaret, et *amabilius*. Cic. de natur. Deor. l. 1. c. 27.

<sup>2</sup> Nam nisi velimus admittere absurdum, ut quidquam a nihilo fiat ac proveniat, ad primam causam asserendam independentem a qua omnia creata procedunt obstricti erimus. Vide Prooemium §. 4.

singularibus affectos. Igitur necesse habemus praestantissimam Dei naturam et cumulatam perfectionibus omnibus confiteri, eique nos omnino subdere: ex quo etiam consequens est, ut timeamus ne in Deum peccemus eumque offendamus, sed illum summa reverentia ac dependentia summoque amore debeamus prosequi.

Recognoscimus secundo, Deum in creandis hominibus illorum sibi propositam habuisse salutem, perfectionem ac felicitatem. Quod Dei consilium manifesto arguitur tum ipsis facultatibus quibus hominem Deus insignivit, quarum quaevis ad memoratos fines confert, tum insuperabili illa propensione qua bonum expetimus, et malum abhorremus, et nos ipsos intensissimo amore praediligimus. Hisce igitur expressa voluntas Dei est, ut quisque suae salutis, praeservationi et perfectioni studeat, quo nimirum convenienter suae naturae et conditioni; quantum potest, felicitatem adipiscatur, et ipsiusmet sui auctoris voluntati respondeat.

Tertio tandem despiciamus, quod non nos soli in terris, sed inter innumeros alios homines degimus omni ex parte nobis simillimos ac aequales, quo in statu ipse ordo nascendi ac ipsa providentia nos constituit. Ex quo sequitur ut putemus, non eam conditoris fuisse mentem, ut quisque homo solitariam et a ceteris hominibus segregem vitam duceret, sed ut contra homines simul viverent societate coniuncti. Potuisset conditor homines omnes eodem modo creare, sed dissociatos, et unicuique ad hoc

SO-

1 Vide Praefat. ad meum Puffend. §. 12.



solitarium vitae genus aptas et sufficientes dotes indere. Quod quia non ita contigit, immo hominem ab homine nasci disposuit; hinc colligendum est, voluisse Deum, ut quam societatem inter homines latius patentem volebat instruere, a ratione nascendi et sanguinis communiione initium sumeret. <sup>1</sup>

Quo rem penitus indago, eo magis confirmor in mea sententia. Facultates hominum, innata illis studia et inclinationes, eorum imbecillitas, indigentia ac necessitates, <sup>2</sup> naturae aequalitas, loquendi potentia, <sup>3</sup> aliorumque hominum conversatione nobis promanans voluptas, totidem argumenta certissima sunt, ad societatem hominem fuisse conditum. Cum ea insuper hominis indoles ac natura sit, ut extra societatem neque profecto vitam suam servare, neque suas facultates dotesque explicare, neque veram firmamque sibi comparare felicitatem valeat. <sup>4</sup>

VII. Ex hisce ergo apparet, quod humanae naturae indagatio, considerata in relationem Dei, sui ipsius ac aliorum hominum est principium cognoscendi ius naturae quaesitum. <sup>5</sup> A quo omnia officia atque omnium actionum nostrarum regula derivatur, et hu-

D 2

ma-

<sup>1</sup> Nimirum ex cubitu ac sexus varii coniunctione.

<sup>2</sup> Alteri vive, si vis vivere. *Seneca Epist.* 47. et *de Benef.* l. 4. cap. 18. Quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis?

<sup>3</sup> Quae sane absque aliorum conversatione ac conviventia inutilis omnino fuisset.

<sup>4</sup> Quod si contigerit ea vita sapienti, ut omnium rerum affluentibus copiis ditetur, tamen si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita. *Cic. de offic.* l. 1. c. ult.

<sup>5</sup> Siquidem, uti optime advertit Cicero, ei omni, qui in harum rerum studio proficere cupit, intrandum est in rerum naturam, et quid ea postulet, penitus pervidendum. *De finib.* l. 5. cap. 16.

manae naturae perfectio, unde nostra felicitas omnis ac vera destinatio producitur. Vel si mavis dicere ac melius, ut pro descripto superius triplici statu hominis, tria quoque sint legum naturalium principia: nimirum 1. Religio, sive cultus Dei: 2. Nostri ipsorum amor, sive praeservatio: 3. Sociabilitas, sive erga alios homines benevolentia. <sup>1</sup>

Cum postea sit omnino indifferens, an legum naturalium unicum vel plura principia constituentur, dummodo rectae et accuratae methodi sequi deceat regulas. Vnicus enim cum sit harum auctor Deus, unica ratio has eruendi inveniendique, unica natura a qua derivantur tria indicata principia, in quibus omnis moralis essentiae nostrae ambitus circumscribitur, supervacaneum prorsus esset multo mentis conatu se torquere ac moliri, ut ex unico principio tantum omnia officia nostra ac leges naturales deducerentur. <sup>2</sup>

VIII. Quare concludamus, quod cum officia ex tribus hisce principiis derivantia felicitatem omnem nostram constituent ac forment, atque adeo eorum praeteritionem ex adverso infelicitas ac miseria consequentur.

<sup>1</sup> Haec tria principia ab antiquis Philosophis cognita, ac ut fundamenta honestatis omnis posita quoque fuerunt. Ut ex Cicerone videre est, *Tusc. Quaest. l. 1. cap. 26. Philosophia*, inquit, *nos primum ad Deorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in humani generis societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit.*

Haec religionis nostrae etiam fundamenta sunt. Nam in eo ipsa consistit, ut pie, caste ac juste in hoc saeculo vivamus, uti S. Paulus, *Epist. ad Tit. cap. 11. num. 11.*

<sup>2</sup> Vide Barbeyraccium ad Puffend. *l. 2. cap. 3. num. 1. et 5. et Burlenmaquium in Elem. iuris nat. P. 2. cap. 4. §. 16.*

sequatur, uti melius ex tradendis in posterum apparebit; consequens est necessario, ut officia haec dicenda sint ordinationes per rectam rationem, et per contemplationem naturae a creatore nostro sub comminatione poenae praescriptae: nam absque earum complemento atque executione omnino infelices evadimus. Ergo hae leges naturales proprie erunt a supremo ente profectae per naturam rationis lumine emanatae sub poenae sive infelicitatis ac miseriae sanctione, quae necessario nexu naturae praeteritionem ac transgressionem earum consequi debet.

VIII. Et sane, qui in Deum impius, in se ipsum intemperans ac deordinatus, in alios iniuriosus se praebet, ille non est dubium, quin tantum conscientiae morsibus animique anxietatibus, et summi numinis offensi trepidatione continuo agitetur ac concutiatur, verum etiam innumerabilium malorum externorum cohorte assidue prosequatur. <sup>1</sup> Hinc corruptio naturae, hinc affectuum conturbatio, hinc corporis mentisque imbecillitas, hinc perniciosissimi morbi, hinc plerumque horrida turpisque egestas, hinc error et ignorantia, hinc gravissimorum periculorum parens inconsulta ira, hinc dissidia, similitates, perpetuae formidines, <sup>2</sup> molestiae, probrum, coercitiones, odium, contemptus, obstantiaque mille

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Ipsam aegritudinem non sine magna utilitate natura dicunt Philosophi constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiiis adfici se, in delicto dolerent. Tusc. Quaest. l. 4. cap. 20.*

<sup>2</sup> Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi displicet auctori. *Juven. Sat. 13.*

le impedimenta, si quam utilitatem sibi velint improbi comparare, proveniunt ac derivantur. Idcirco a Seneca <sup>1</sup> recte dictum est: malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. <sup>2</sup>

E contra iuxta naturam est, ut ex naturalium legum cultu generetur interius illud quod dicimus gaudium, atque omnimodae utilitates producantur. Nam qui integer vitae scelerisque purus est, <sup>3</sup> ille numinis summi assistentiam expectat, atque inde animi tranquillitate semper fruitur, <sup>4</sup> ille vegetum suae salutis statum facit ac firmat, ille exacuit mentis facultates ac perficit, ille prope securum omnium commodorum habet usum, ille aliorum hominum benevolentiam, fidem, existimationem assequitur, a quibus nostrorum desideriorum ac actionum absolutam perfectionem et huiusce vitae propositum scopum constare ac conformari oportet, unde tota nostra felicitas sane promanat. Quae omnia postea ex alterius vitae proborum beata, pravorumque misera destinatione, uti par est contingere debeat, <sup>5</sup> ultimum implementum accipient. <sup>6</sup> Nam de hoc dubitare, admissa providentia ac

<sup>1</sup> *Epist.* 82.

<sup>2</sup> Et S. Augustinus: *Iussisti, Domine, ut omnis inordinatus animus sibi poena sit.* *Confess.* l. 1. cap. 12.

<sup>3</sup> Dant. inf. c. 28. *La buona compagnia, che l' uom francheggia Sotto l' usbergo di sentirsi pura.*

<sup>4</sup> Quem tantum praemium expectat, felicitis animi immota tranquillitas. *Senec. de Ira* l. 2. cap. 13.

<sup>5</sup> Vide Cumberlandium *De leg. nat. cap. 5. §. 25.* Vide Lokium, *Essai Philos.* l. 2. cap. 21. et Puffend. *De iur. nat.* l. 2. cap. 3. §. 2.

<sup>6</sup> Neque bonum, neque malum facinus cuiusdam pro nihilo haberi, sed ex natura diversa praemia bonos malosque sequi. *Sallust. ad Caesar.*

ac infinita sapientia Dei et animae immortalitate nullo modo licet. <sup>1</sup>

Haec fuerunt dicenda, ad hoc ut clarum fieret, ordinationes a contemplatione naturae nostrae operationis resultantes iuxta tres indicatas relationes, veras profecto leges naturales esse sanctione munitas. Cuius quidem sanctionis enunciatio in expositione iuris naturalis ab Heineccio, Schuwartio aliisque huiusce scientiae bene multis auctoribus, nescio quomodo incongrue sane, fuit praetermissa ac neglecta. De hisce igitur legibus ac officiis tota tractatio nostra componenda erit.

### CÄ-

<sup>1</sup> Qua consideratione innixus, optime Leibnitiuss in sua *Epist. censoria ad Puffend.* §. 6. advertit: *Quod non licet dubitare, Rectorem universi sapientissimum eundemque potentissimum bonis praemia, malis poenas destinasse et exsequi destinata in futura vita. - - - Itaque negligere hic futurae vitae curam, quae cum providentia divina inseparabiliter connexa est, et contentum esse inferioris quodam iuris naturae gradu, est scientiam pulcherrima sui parte multare, et multa huius quoque vita officia tollere.*

Animam autem esse immaterialem evincitur ex hoc, quod suae operationes omnem ideam materiae excludunt. Cogitatio enim indivisibilis est, materia vero divisibilis, cogitatio ex se movetur ac excitatur, materia nisi impellatur ab aliquo externo movente, non commovetur, cogitatio est una, materia est constans partibus infinitis. Cum ergo anima, et cogitatio sit absque partibus, ideo minime erit resolubilis, atque adeo immortaliter duratura.

Si vero hoc tantum verosimile ac probabile esset, adhuc omnes rectae rationis regulae persuaderent, ne quis negligendo praecepta rationis, se in periculum aeternae infelicitatis coniceret. Vide Barbeyrac. ad Puffend. *l. 1. cap. 3. §. 7. nota.*

## CAPVT III.

DE APPLICATIONE HVIVS NORMAE AD  
actiones, et de earum differentia  
et valore.

I. **P**ostquam de actionum humanarum essentia ac indole nos tractavimus, et de earum norma atque huiusce eruendi forma ac argumento, reliquum est, ut de applicatione istius normae ad actiones humanas ac liberas quaedam adiiciamus: quae applicatio legis ad factum dicitur imputatio, nimirum adscriptio alicui cuiusdam facti in relationem legis considerati.

Cum ergo imputatio sit applicatio legis ad factum, ea vero non alio fieri modo possit quam lege et facto, id est duabus propositionibus inter se atque inde cum tertia deducta comparatis per syllogismum; consequens est, ut imputatio sit syllogismus<sup>1</sup> vel ratiocinatio, cuius maiorem propositionem lex, minorem actio, conclusionem sententia absolvit ac perficit. Hinc imputare est proprie aliquid in alterius rationes referre,<sup>2</sup> ita ut illud eidem attribuat. Quemadmodum igitur hoc fit comparatis inter se acceptis et in rem alicuius expensis; ita postea commodissimum est hoc vocabulum ad exprimendam illam legis ad facta applicationem, quae itidem fit, instituta huiusmodi comparatione per syllogismum.

II.

<sup>1</sup> Vide Caput 2. §. 4.

<sup>2</sup> *Plin. l. 12. cap. 1.* Culpam nostram illi imputamus.

II. Quod vero de conscientia diximus, <sup>1</sup> non est idem cum imputatione. Quandoquidem illa est ratiocinatio et sententia de iustitia vel iniustitia actionum propriarum, haec de alienis ratiocinatur proprie, legemque cum illis contendit. Verumtamen utraque operatio per syllogismum absolvitur.

Idem porro est sive actio cum lege humana sive cum lege divina comparetur, itemque sive ipse Deus sive homines, quorum ad officium hoc munus incumbit, legem facto applicent, ad imputationem quod spectat. Prior a Moralists vocatur imputatio in foro divino, posterior in foro humano. Discrimen tamen magnum inter utramque venit, quamvis singulae sint imputationes. Nam Deus imputat etiam internas cogitationes, cum ipse has recognoscat, non homo. <sup>2</sup>

III. Cum autem lex <sup>3</sup> quae factis hominum applicatur, vel sub comminatione poenae, vel proposito praemio aliquid prohibeat vel praecipiat; inde merito colligimus, imputare, idem esse ac declarare effectum, quem lex actioni adsignat huic actioni competere. Effectus ille vocatur meritum et poena. Poena quidem si ille effectus propositus actioni sit malus, praemium si bonus sit. Imputatio ergo est ratiocinatio, qua factum alienum omnesque eius circumstantiae cum lege sive divina sive humana comparantur, actionemque illam effectum a lege propositum sive bonum sive malum mereri, vel non mereri declaratur.

E

Ex

<sup>1</sup> Caput 2. §. 4.

<sup>2</sup> Leges enim tantum externam obedientiam locomotivae, non mentis ac voluntatis, aut cordis bonam dispositionem requirunt. *Digg. de poenis*, L. 18.

<sup>3</sup> Vide Caput sup. §. ult.

Ex qua definitione desumimus, non posse ad liquidum perducī, sit ne actio quaedam imputanda nec ne, nisi et legem et ipsius actionis quidem circumstantias omnes perspectas habeamus eiusdemque auctorem.

III. Itaque ei qui iudicare vult recte de imputatione, legem totam perspectam esse oportet, atque adeo si illa verbis indicationibus signisque aliis brevioribus vel obscurioribus concepta sit, interpretanda atque explicanda erit: unde eiusdem sententia vera ac genuina resultet et pateat. Igitur interpretatio etiam ad legem naturae pertinebit contra assertum Heineccii; <sup>1</sup> cum aequè signum ac indicatio per rationem a natura proveniens obscurum ac aequivocum interdum esse possit, ut verba ipsa sunt aliquando. Et revera quamvis prima iuris naturalis praecepta demonstratione clara nitantur, eorum tamen conclusiones ac consequentiae quandoquidem perplexae sunt ac involutae, utpote etiam casus quibus eadem applicantur, variis circumstantiis, differentiis ac alterationibus compositi evadunt, unde varias decisiones ac contrariantes bene saepe reposcunt ab interpretationis recto usu pendentes. <sup>2</sup> Siquidem prorsus indifferens est, uti supra adnotavimus, <sup>3</sup> an lex aliqua sit expressa verbis, vel notis aliquibus aliis promulgata, ut est ante dicta naturae lex per rationem menti nostrae exposita ac significata.

Cum vero interpretes mentem legislatoris ex eius ver-

<sup>1</sup> *Elem. iuris nat. l. 1. §. 101.*

<sup>2</sup> Vide Daumatum in suis Legibus civilibus iuxta ordinem naturae. P. 1. l. 1. T. 1. Sec. 2.

<sup>3</sup> Cap. super. *Quid verba audiam, cum facta videam!* Optime Cicer. *Tusc. Quaest. 3.*



verbis aliisque indicationibus aut signis distincte representet, hinc venit, ut et ad proprias et translatas, naturales et non naturales verborum signorumque aliorum significaciones, et ad earundem nexum cum iis quae antecedunt ac consequuntur, et ad ipsius rei naturam atque indolem, et denique vel maxime ad legislatoris mentem et rationem, quae illum ad ferendam legem impulit, attendendum sit. Unde cum iis consentio, qui rationem legis, eiusdem animam esse profitentur.

Si ergo ratio legis eiusdem anima est; consequi oportet, ut unica legis ratione in universum cessante, etiam ipsa lex cessare debeat. Adeoque si ad casum aliquem illa non quadret ob rationem legis, iste a lege sit eximendus. Id quod fundamentum est interpretationis restrictivae, ad quam et aequitatem id est facultatem correctricem eius, in quo lex propter universalitatem deficit, recte retuleris.

Si vero ratio casui alicui quadret, quamvis non huic possint applicari verba signaque, inde emergit interpretatio extensiva dicta a Grotio.<sup>1</sup> Denique si lex, verba, signaque, ac ipsiusmet ratio legis pari passu ambulent, interpretationi tantum declarativae locus est.

V. Praeterea uti interpretatio illa fit vel a Legislatore vel a iudice vel a iuris perito, catenus illa in-

E 2 ter-

<sup>1</sup> Quintil. *Declam.* 317. *In omnibus legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem rationemque. Verba enim ambigua, et in plures intellectus ducta sunt. Scribendarum legum causa voluntas fuit.*

<sup>2</sup> *De iur. bell.* l. 2. cap. 6.

terpretatio vel authentica <sup>1</sup> vel usualis <sup>2</sup> vel doctrinalis <sup>3</sup> appellatur. Vbi primae fundamentum est voluntas legislatoris, secundae usus atque consuetudo, ultimae applicatio regularum interpretationis quales paulo ante exposuimus.

Et cum circumstantias facti omnes perspectas habere deceat eum, qui de interpretatione facti atque de illius convenientia vel dissonantia cum lege iudicare recte vult; praecipua autem circumstantia sit persona agens; merito inde colligimus ei tantum, qui actionis alicuius auctor vel causa apparet, eandem actionem iure imputari: <sup>4</sup> contra cessare imputationem, si de aliquo facto agatur, cuius ille de quo inquiritur, minime auctor apparet. Praeterquamquod aliquando et aliorum merita aliis imputantur, <sup>5</sup> quam imputationem vulgus ex gratia vocat, quae alteri imputationi ex merito et debito dictae opponitur.

VI. Quandoquidem actio non imputatur, nisi ei, qui causa illius est, homo vero causa ullius actionis dici nequit, quae non humana est, id est quae non praelucente intellectu, decernenteque voluntate editur; facile patet nec meras passiones actionesque naturales, nec eventus a sola providentia divina profectos, nec vitia corporis animique, nec facta in furore aut insania, vel in somno atque ebrietate involuntarie perpetrata cuiquam imputari posse, nisi quatenus

<sup>1</sup> Scilicet quae habet valorem, ac potentiam legis.

<sup>2</sup> Id est quae ab usu, et aequitate pender.

<sup>3</sup> Siquidem quae per modum doctrinae a Doctoribus traditur.

<sup>4</sup> Hinc venit, quod si plures sunt eiusdem actionis auctores, unicuique ad ratam pro sua quota parte ipsa imputatur.

<sup>5</sup> Vide Puffend. *De iure nat. et gent.* l. 1. cap. 9. §. 2.

nus per agentem stetit, quominus huiusmodi quid contigerit, ut in ebrio voluntario, et in eo qui per vitium talis sit, prorsus succedit. <sup>1</sup>

VII. Quod speciatim ad ignorantiam et errorem attinet, cum utraque intellectus imbecillitas ac allucinatio vel culpabilis vel inculpabilis sit, atque etiam haec vincibilis vel invincibilis, itemque voluntaria vel involuntaria; hinc procedit ex eodem axiome, ut ignorantia invincibilis inculpabilis et involuntaria nemini iure imputetur, <sup>2</sup> contra recte imputetur actio ex ignorantia culpabili, vincibili et voluntaria orta. Idemque et de errore dicendum.

Multoque minus sane sua ignorantia alicui potest esse praesidio, si actio ipsa illicita, vel non in loco tempore vel modo illicito patrata sit, quia tunc non modo per agentem stetit, quo minus in ignoratione versaretur, <sup>3</sup> vel error ipsi obreperet, sed etiam ille ad omittendam actionem omnino fuit obligatus. <sup>4</sup>

Praeterea vel in iure erratur, vel in facto. Primus error iuris dicitur, aliud facti. Et quia facti circumstantiae et prudentissimos fugere queunt; ideo er-  
ror

<sup>1</sup> Vide Cap. XIV. §. 4. Nam aliter nimis utile esset vinum, si ebrio impune facere, quod luberet, liceret. Vt verbis Plauti utar, *Aulu. Act. 4. sc. 10.*

<sup>2</sup> Nam ex §. superiore patescit, illud tantum imputari, quod a voluntate dependet: ignorantia inculpabilis invincibilis involuntaria, utpote et error huiusmodi minime a voluntate dependent: ergo imputari nequeunt.

<sup>3</sup> Etenim quod a lege publicata rite et recte interdicitur a nemine legitime potest ignorari. Vide Puffend. *Ius nat. l. 1. c. 6. §. 12.*

<sup>4</sup> Vnde duplici culpa obstringitur, nimirum ignorantia, et contra legem actione.

ror huiusmodi inculpabilis invincibilis et involuntarius esse potest. Ille vero in iure naturali admissus non excusat, quia hoc ius unicuique per rectam rationem est promulgatum apertumque. Nisi autem aetas, imbecillitas, ipsiusque iuris ratio paulo subtilior mitiorem sententiam suadeant et poscant. Quod spectat ad ius civile, illius ignorantia eatenus merito imputatur, quatenus illud promulgatum et ita comparatum est, ut in hominem, de quo agitur, cadat, vel cadere debeat eius scientia.

VIII. Verum cum hominis liberam voluntatem ad actionem, cuius ipse auctor et causa dicendus est, concurrere oporteat; invitae vero actiones ita comparatae sint, ut a mente determinante minime proveniant; inde sequitur, ut nemini id quod invitatus fecit, possit imputari: et ut imputari possit e contra, quod quis sponte multoque magis quod ultro fecit immo quod quis coactus fecit, si iure suo usus sit is, qui illum coëgit, <sup>1</sup> non vero si ei nullum fuit ius illum cogendi, nec coacto vi nondum adhibita incubuerit obligatio aliquid faciendi. Nam ille, qui coactus improbam actionem fecit, a qua erat obstrictus se praecavere, ab imputatione non liberatur, cum potius quisque violentiam et mortem ipsam pati debeat, quam actionem absolute et per se malam, interdictamque patrare ac committere. <sup>2</sup>

Ceterum cum voluntatis libertatem nec temperamentum nec affectus, nec mores diuturna consuetudine

<sup>1</sup> Vti accidit in Principe, Iudice, ac in exercitus Imperatore.

<sup>2</sup> Quisque potius debet mori, quam blasphemare in Deum, adulterium committere.

dine firmati, nec ipsa vis externa impediunt, facile patet nec corporis constitutionem quam fere propensio animi sequitur, nec animi perturbationes, nec consuetudinem quae prope in aliam naturam degeneravit, impedire; quo minus actio inde orta possit agenti imputari, <sup>1</sup> quamvis aliquando in foro humano commiseratione is dignus censeatur, quem tristior affectus, iustusque ac vehemens dolor in transversum egit.

VIII. Ex hisce facile argui potest, quando etiam excusatione aliqua dignus sit, qui fractus vi externa aliquid commisit contra legem. Si enim factum ita comparatum sit, ut nullus favori necessitatis intercedere locus queat, frustra praetenditur necessitas. Quibus casibus omnis necessitatis favor cesset, ut paulo post videbimus. <sup>2</sup>

Quoties vero intellectus voluntas et motus corporis ad actionem concurrunt, toties is, qui eam patravit causa physica actionis illius vocatur. Sin sola mens sine motu corporis, causa moralis dicitur. Cum ergo non alia actionum humanarum principia sint, quam intellectus et voluntas; inde colligimus causae morali non minus imputari actionem, quam physicae, si par utriusque ad actionem concursus sit, immo magis quam physicae, si quis iubendo et cogendo alterum

<sup>1</sup> Ἀνετὴ Προαίρεσως ἔ γίνεται, τυράννος ἔ γίνεται. Nullus voluntatis est fur, nullus Tyrannus. Epict. l. 3. cap. 22. Et Cicer. Tuscul. Quaest. l. 4. cap. 3. Qui autem natura dicuntur iracundi aut misericordes aut invidi aut tale quid ii sunt constituti, quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen.

<sup>2</sup> Cap. 7. §. 9.

rum cui obsequium incumbit et obedientia, ad agendum induxerit. Denique minus quam physicae, si quis consilio tantum et approbatione ad actionem concurrerit.

X. Praeterea in imputatione habetur ratio circumstantiarum personae, loci, temporis viriumque agentis cet. Ad personam vero quod pertinet, qualitas, dignitas et conditio eiusmodi in censum venit. Ac proinde nemo dubitaverit, quin pluribus personis ad eandem actionem concurrentibus actio iusta minus, iniusta magis imputetur illi, quem cognitio, prudentia, officium, aetas, dignitas ad bene agendum instigare, vel a male agendo revocare debuissent, quam homini extraneo, stupido, nullo vinculo speciali coniuncto, adolescenti, in nulla dignitate constituto.

Sic in imputatione habenda ratio est aliarum circumstantiarum loci, temporis, viriumque ad agendum, quarum concursus illam quam occasionem dicimus, format, sine qua aliquid fieri a nemine potest. Ideoque nemini imputanda est actionum omissio, si occasio antedictaeque circumstantiae agendi defuerint; utpote ex adverso neque excusatur ille, qui ab occasione ad peccandum incitatur: nam et occasio peccandi vitanda est, et semper vitiorum inclinationes pugnandae sunt, nec qui occasionem socordia sua bene agendi amittit, vel malitia sua negligit.

Neque multo minus imputatur alicui omissio earum actionum, quae per rerum naturam vel per leges, vel per bonos mores patrari nequeunt, vel ad quas edendas agens viribus destituitur. Nisi quatenus  
nus

nus quis vel vires quibus pollebat, sua culpa detriv-  
erit, vel ea quae fieri ac adimpleri non posse prae-  
sciverat, temere vel sciens dolo malo promiserit.

XI. Actiones vero ita comparatae cum norma  
varias desumunt denominationes. Si enim per omnia  
rationi sive obligationi <sup>1</sup> internae externaecque con-  
veniunt, bonae dicuntur, si in una vel altera cir-  
cumstantia a recta ratione normaue deflectunt, ma-  
lae. Hinc facile desumitur, actiones ut bonae vo-  
centur, materialiter et formaliter esse tales debere.  
Vnde Pharisaeorum ieiunia orationes actiones bo-  
nae non erant, quamvis materialiter rectae rationi  
ac legi Evangelicae conformes viderentur. Nam non  
tantum agenda sunt bona, sed et bene et recta in-  
tentione agenda, qua deficiebant omnino supradicti  
hypocritae. Si tamen actiones cum lege tantum per  
exteriorem obligationem contendas, eae quae legi  
per omnia conveniunt, iustae, quae autem in una  
vel altera circumstantia a lege deflectunt dissentiunt-  
que, iniustae, itemque peccata appellantur. Verum  
est tamen quod promiscue bonum ac iustum accipi  
solet, utpote et iustitia ac bonitas actionis, iniu-  
stitia <sup>2</sup> et pravitas. <sup>3</sup>

## F

## Re-

<sup>1</sup> Obligatio mere interna imperfecta obligatio est, immo impro-  
prie sic dicta, saltem accepta in sensu Heineccii ac Burlemaquii,  
qui inexacte profecto obligationem hanc percipiunt pro ea, quae a  
rationis dictamine independenter ab auctore nostro procedit. Si ve-  
ro, uti hic sane accipitur obligatio haec pro ea, quae proveniens  
ab auctore naturae nostrae etiam ad internos actus, qui ipsi noti sunt,  
refertur, recte obligatio perfecta quidem dicitur. Vide Cap. 1. §. 3.

<sup>2</sup> Actiones vero quae ab officio tantum imperfecto nimirum hu-  
manitatis et beneficentiae promanant, ipsi quae consentiunt, ho-  
nestae, quae eidem adversantur, inhonestae dicuntur. Vide Cap. 8.

<sup>3</sup> Vide Puffend. l. 1. c. 7. §. 3. et meam notam ibidem.

Reliquum est, ut adnotemus, imputationem cessare, quando actio remittitur vel lex abrogatur, vel poenam actioni praefixam iam actor subiit. Haec pauca de imputatione dicta sufficiant. Si quis plura quaerit, adeat meum Puffendorfium. <sup>1</sup>

## CAPVT V.

### DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEVM.

I. **H**is praemissis, quae ad disciplinae nostrae aperienda principia necessaria duximus; conveniens est, ut ad explicationem officiorum quae huiusce unicus scopus ac finis sunt, transeamus. Et siquidem officia quae Deum respiciunt, omnium aliorum nobiliora ac magis obligantia apparent, siquidem auctorem ipsiusmet obligationi respicientia; propterea ab horum tractatione incipere oportet.

Intelligimus autem per officium, actionem ex obligatione perfecta vel imperfecta legibus conformandam. Cum ergo officium sit actio legi conformis; consequens est, quod officium absque lege non possit concipi. Inde cessata lege, cessat officium. Et cum obligatio qua quisque, quod officii est, facit, perfecta <sup>2</sup> vel imperfecta <sup>3</sup> sit; officium quoque aliud perfectum, aliud imperfectum esse debet: <sup>4</sup> quorum illud ex lege perfecte ac rigore obligante

<sup>1</sup> *De iure nat. et gent. l. 1. cap. 9.*

<sup>2</sup> Vide Cap. 1. §. 3.

<sup>3</sup> Vide meum Puffend. *l. 1. cap. 8. §. 10. nota.*

<sup>4</sup> Perfecta officia sunt, quae observantiam, venerationem cultum-



te hoc ex eadem lege non rigoroſe obligante, aut ex virtute proficiſcitur. 1 Prioris generis ſunt, alterum non laedere, ſuum unicuique tribuere. Secundi, opis noſtrae indigis ſubvenire, errantibus comiter monſtrare viam. 2

Cum ergo norma officiorum ſit lex; lex vero alia humana alia divina ſit; divina denique diſtinguatur in naturalem et poſitivam; ideo etiam officia erunt vel naturalia vel divina poſitiva ſive chriſtiana, vel civilia quae legi humanae civili reſpondent.

Sed praecipua ac principalis officiorum diſiſio ab obiecto proficiſcitur. Quemadmodum enim, ut ſupra deſcripſimus, tria ſunt quibus certa officia debemus entia, ſcilicet Deus nos ac homines alii, 3 ita totidem officiorum genera recenſentur, quorum profecto alia Deo alia nobis alia hominibus aliis praeſtanda ſunt.

II. Officia erga Deum ſpectantia ab eſſentia et qualitatibus ipſiusmet Dei derivari debent. Nam omne id, quod enti alicui tribuitur, ab eius natura

F 2

ac tumque Summi Dei auctoris noſtri reſpiciunt, et quae ad hominum conſervationem in genere neceſſariam influentiam habent. Imperfecta e contra illa ſunt, quae ad commodum et ad maiorem perfectionem humani generis quodammodo inſerviunt, ſed minime ad ſuam praerſervationem ac conſiſtentiam indiſpenſabili neceſſitate concurrere videntur neque directe ad D. O. M. ſpectant. Vide Cap. 8. §. 3.

1 Cicero *De offic. l. i. cap. 3.* *Omnis de officio duplex eſt quaerſtio: unum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum quod poſitum eſt in praeceptis uſus vitae.* Prima ſpecies ad ultimam noſtram reſertur.

2 Vide Cic. ubi ſupra *l. i. cap. 20.*

3 Nam haec tria ſola ſunt actionum noſtrarum obiecta.

ac qualitatibus desumitur. Cum ergo Deus, a quo omnium rerum hominumque creatio perfectio ac conservatio procedit, sit per essentiam, perfectionum omnium cumulus ac collectio, ut iam supra adnotavimus; <sup>1</sup> hinc venit, quod ex Dei perfectionibus omnia officia nostra erga illum necessario sunt deducenda. <sup>2</sup>

Vti autem ex perfectionibus Dei eruantur officia haec; evidens est, quod illas prius cognoscere debemus: ideo praemittenda erit acquisitio notitiae Dei, eiusque qualitatum ac perfectionum ad omne aliud officium. Et cum hoc fieri possit tum meditatione assidua veritatum earum quas ipsa recta ratio suggerit, tum rerum creatarum contemplatione, tum insignium providentiae argumentorum consideratione; nemo non videt, ad omnia haec exercenda media, quae omnibus prostant, unumquemque iuxta propriam capacitatem prorsus esse obligatum. <sup>3</sup> Vnde ea qui negligunt vel in ignorance inexcusabili, si sanam mentem nacti sunt, vel in errore simul inexcusabili, si Deo aliquam imperfectionem tribuunt, versantur, atque adeo poena dignissimi evadunt.

III. Quare patet, ad officium nostrum pertinere, ut rectas de Deo sententias habeamus, <sup>4</sup> eumque et per se existere, et rerum omnium conditorem esse, et

- <sup>1</sup> Cap. 3.  
<sup>2</sup> Vtpote effectus omnis a sua causa depromitur.  
<sup>3</sup> Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat. *Lactant. l. 3. instit. cap. 30.*  
<sup>4</sup> Cum enim Deus sit omnium rerum creator ac increata causa, quippe quia nihil creatum ex se existere potest; ideo omnium entium et perfectionum ipsis inhaerentium quoque idem auctor

et gubernatorem providentia sua, ens simplicissimum aeternum increatum independens <sup>1</sup> incomprehensibile sapientissimum liberrimum omnipotens iustum optimum esse, a quo existentia et conservatio nostra omnino constat ac pendet, convicti simus. <sup>2</sup> Ita ut qui tales Dei perfectiones negat impius sit; sicuti qui ei imperfectiones a natura Dei abhorrentes tribuit, cum a sacris literis deprompto vocabulo Blasphemus <sup>3</sup> vocatur, qui ambo postea rationis lumen perfidissime detrectant ac fugiunt.

III. Qui perfectionum entis alicuius ac qualitatum beneficarum notitiam sibi peperit, non potest non mirifice his delectari: delectatio autem haec amor vocatur. Et cum quo maior est alicuius entis perfectio ac facultas benefica, eo maior est et ipsius delectatio: et quo magis est delectatio, eo magis et amor efficitur intensus: ideo Deus cum omnium perfectionum comprehensio sit et beneficentissimum ens, etiam

fuerit ac complexio; nam nemo dat quod in se non habet. Atque adeo erit consequenter ens infinitum independens aeternum perfectissimum omnipotens a quo omnia proveniunt atque servantur.

<sup>1</sup> Senec. Epist. 46. *Primus est Dei cultus, Deum credere, deinde reddere illi maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. Sive illum esse qui praesidet mundo, qui universa vi sua temperat, qui humani generis tutelam gerit. Hic nec dat malum, nec habet; ceterum castigat quosdam, et coercet et irrogat poenas - - - vis Deum propitiare? bonus esto. Satis illum coluit, quisquis imitatus est.*

<sup>2</sup> Vide Prooemium §. 4. - - - - -  
 Αὐτὸ τὸ ἴσον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ ἕκαστου.  
 Ipsum aequale pulchrum singulum. Plato in Phaedone.

<sup>3</sup> Apost. Rom. 1. 21. 23.

tiam amore perfectissimo et super omnia intensiori erit diligendus. <sup>1</sup>

Praeterea cum voluntatem illius quem diligimus, nullo modo negligere possimus; ergo voluntas Dei erit diligenter perscrutanda, eaque inspecta ac recognita rigorose exsequenda. Haec vero per rationem et per revelationem ostenditur; adeoque unum ac alium fontem excutere ac reserare tenemur, unde semper ad normam suae voluntatis agere ac vivere queamus. Hoc enim modo dispositi Dei praecepta omnia adimplebimus tam naturalia quam revelata, quibus solis tota voluntas Dei continetur. <sup>2</sup> Et sic revera verum amorem suum fovebimus. Nam uti Christus ait in Ioannem: <sup>3</sup> *illi soli amici mei sunt, qui faciunt quae ego praecipio.*

Illi insuper qui delectantur perfectionibus alicuius, nihil praetereunt ut alii omnes ipsum veneratione ac praedilectione eadem prosequantur. Qua de causa ad officium nostrum pertinet etiam, ut alii ignari perfectionum divinarum tam praeclara doctrina imbuantur, eaque solidis demonstrationibus convincantur. Quod qui faciunt, gloriam Dei provehere dicuntur, ad quam promovendam omnes homines sane obligantur iuxta proprias vires ac capacitatem.

V.

<sup>1</sup> *Matth. 22. 27. Ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus.*

<sup>2</sup> *Lactant. Instit. l. 5. cap. 10. Religiosissimus est cultus, et non esse malum imitari.*

<sup>3</sup> *Φίλοι μὲ ἐσὲ, ἐὰν ποιῆτε ἴσα ἐγὼ ἐγτέλλομαι.*  
*Ioann. cap. 15. 14.*

Et Seneca inquit: *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus satisque i. lum coluit, qui imitatus est. Epist. 95.*

V. Denique cogitatio omnipotentiae ac omniscientiae Dei, omniumque ab illo dependentiae non potest non excitare in nobis obsequium<sup>1</sup> ac timorem, qui si filialis est cum amore erit coniunctus, a quo vera religio, utpote a timore servili superstitione promanat, cum sibi fingat Deum, non ut est, ipsique cultum incongruum et minime convenientem infinitae suae essentiae det. Amor ergo noster filialis Dei semper connectitur cum trepidatione incurrendi ipsius indignationem, ac experiendi effectus suae terribilis iustitiae, <sup>2</sup> casu quo ipsius praescripta ordinationesque praetermittamus. Unde nos postea si aliquid prave fecimus, statim poenitentia ducti eum placare nitamur. Superstitionem vero illae male sanae ac serviles opiniones constituunt, quibus sibi fingunt aliqui Deum vel machinalem, vel affectibus pravis deditum, vel curantem munera, et sola tantum externa religionis signa, nullo habito respectu ad cordis internam dispositionem, intentionisque pravitatem vel rectitudinem. <sup>3</sup> Quam impiam reprobendamque sententiam a Deo omnino alienam, eique iniuriosam esse, nemo recta mente praeditus primo aspectu non videt.

Inde desumi potest, quam ridiculum sit quaestionare cum Belio, an Atheismus vel superstitione magis con-

<sup>1</sup> Habet enim venerationem iustam quicquid excellit. *Cic. de nat. Deor. l. 1.*

<sup>2</sup> Nam rationi congruum est, Deum velle contemptores suorum ordinationum et dictaminum, poenis gravissimis coercere ac punire. Vide Cap. 3. §. ult. nota.

<sup>3</sup> Superstitio error insanus est amandos timet, quos colit violat. *Seneca Epist. 114.*

contra veram religionem veniat. Cum tam praeteritio quam perversio religionis eidem toto coelo adversentur ac pugnent. <sup>1</sup> Quo in loco non possum praeterire, aliquos prosequentes dictum Belium, cum quibus Heineccius <sup>2</sup> quoque inclinare videtur, perperam saponere, supersticiosam religionem societati perniciosiorem evadere ipso Atheismo. Cum nullus cordatus homo negaverit, religionem quamvis supersticiosam esse firmius fulcimentum eiusdem societatis, ipsiusmet ordinis ac durationis. <sup>3</sup> Ideo si hoc funditus tollit evertitque Atheismus: consequi oportet, ut omnium sit malum funestius Reipublicae ac exitiosius.

Tandem cum bonitas ac beneficentia Dei, omniscientia ac potentia absque fiducia ac confidentia excogitari nequeant; fiducia ac confidentia absque precibus ac orationibus prorsus mortuae sint, nec possint consistere: ergo harum demonstrationes continuae, nimirum preces ac orationes in Deum fundendae ac exercendae erunt, ut et nostram dependentiam ab eo contestemur, et ipsiusmet assistentiae bonam spem habere videamur, et in eius providentia unice nos adquiescere ac confidere ostendamus. Quocirca quaecumque de nobis Deus statuerit postea, ea forti ac intrepido animo ferantur cum eiusdem voluntatis religiosa submissione ac observantia. Ex usque adhuc dictis internus cultus religionis constat.

## VI.

<sup>1</sup> Vide Budd. *De Atheis. ac superst. cap. VIII.* et meum Puffendorf. *l. 2. cap. 4. §. 5.* nota.

<sup>2</sup> *Elem. iuris nat. l. 1. §. 33.*

<sup>3</sup> Nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitio. *Curtiu. l. 4.*

VI. Verum internus hic cultus in amore, fiducia, timore reverentiali, precibusque consistens, sincerus vix aderit, nisi externe simul se emonstret: utpote neque affectus vehemens interne excitatur, qui corporis exteriori sensui non appareat. Ideo et cultu externo ad componendum hominem officiosum ac religiosum erga Deum opus erit. Qui profecto in hoc constituitur, ut externis signis, summi Numinis venerationem, directionem ac omnimodam dependentiam nostram patefaciamus, eo fine primum, quo nostrum individuum ipsi, cui id totum debemus dedicetur ac referatur. Deinde uti alii homines exemplo ad idem faciendum religiosa societate excitentur ac promoveantur.

Quare officia huiusce cultus externi erunt, sermones de Deo dignos semper habere cum hominibus, hymnos canere, <sup>1</sup> non blasphemare de eo, nec per nomen suum temere peierare, actiones pravas nimirum contra ipsius praecepta tam naturalia quam revelata scrupulose evitare, e contra iuxta leges suas sanctas semper vivere ac operari. <sup>2</sup> Et cum Deus intersit omni nostro interno, ac externo religioso actui, ideo a simulatione omni pietatis erit tanquam a scopulo cavendum.

Ergo publice in eo fundantur assiduae preces, laudes, gratiarum actiones, unde omnes animum nostrum religione convinctum recognoscant, Deique gloria,

G

ria,

<sup>1</sup> Cultum Deorum esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, ut eos semper pura, integra, incorrupta mente et voce veneris. *Cic. de nat. Deor. l. 2.*

<sup>2</sup> Christianorum omnis religio, sine scelere, et sine macula vivere. *Lactan. Instit. l. 5. cap. 9.*

ria, per nos quantum fieri potest, promulgetur atque extendatur. Et haec congrue ac commode fieri nequeunt, nisi certis ordinibus, rubricis ac regulis servatis et locis destinatis. <sup>1</sup> Ex hoc, caeremoniarum, rituum ac templorum institutiones introductae, <sup>2</sup> absque quibus religiosa societas minime conponeretur ac subsisteret. <sup>3</sup> Itaque omnia haec veluti necessaria media sunt reputanda, atque adeo religiose promovenda, recolenda et exsequenda, ad hoc ut officia nostra religionis naturalis perfecte adimpleta remaneant.

## CAPVT VI.

### DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSVM.

I. **P**ost Deum Optimum Maximum, nihil homini proprium est carumque seipso, cum nihil ipsi tantum pertineat quam proprium individuum. Inde venit ut quisque tam tenerum impressum amorem sui habeat a natura, uti emotae mentis propemodum reputetur, qui se non amet ac curet. Cum igitur hic

amo-

<sup>1</sup> Ne ritus sacrorum inter adversa culti, per prospera obli-  
terentur. *Tac. II. ann.*

<sup>2</sup> Patrius mos in religione non est repudiandus. *Cicero ibidem.*

<sup>3</sup> Nam nisi homines unirentur in hisce officiis exercendis implendisque, Religio quae veluti religatio est ex multorum conjunctione constans, nullo modo perficeretur. Ita Lactan. *Instit. l. 4.* Hoc enim vinculo pietatis adstricti Deo et religati sumus inter nos, unde ipsa religio nomen accepit. Cicero a relegendo religionem deducit: Qui autem omnia quae ad cultum Dei pertinent diligenter retractarent et tanquam relegerent, sunt dicti Religiosi, *cet. De nat. Deor. l. 2. cap. 28.* At improprietate quadam verborum, ut mihi videtur.



amoris instinctus in natura impressus appareat; evidens fit, illum ab ipsiusmet naturæ auctore Deo pendere ac procedere; ideo contra verum profecto declamant aliqui, hunc amorem a Deo prorsus interdictum esse, et ab homine funditus esse evellendum: opus omnino impossibile durante homine: quippe impossibile est destruere illud, quod naturale et constitutivum rei est, ipsa re subsistente.

At cum omnes nostrae motiones voluntariae norma aliqua dirigi debeant, sicuti supra fuit ostensum: <sup>1</sup> quocirca et huiusmodi internam motionem quae format amorem, id est inclinationem qua nostrae conservationi ac felicitati tendimus, ordinari ac certis regulis subiici oportebit: <sup>2</sup> aliter ad finem cui dirigitur, minime inserviet. Atque amor ita ordinatus iustus fuerit, atque a Deo concessus ac iusus. Nam cum Deus dederit nobis existentiam, et ad felicitatem vehementer nos inclinaverit, hancque nos omni modo curare voluerit; voluit etiam proculdubio, ut nostrum individuum praeservemus, nostrasque facultates ac perfectiones tueamur ac amplificemus: siquidem in hoc felicitas nostra vera consistit. <sup>3</sup> Quare amor qui revera intendit ad nostram salutem et perfectionem procurandam, ille sane a Deo per naturam nobis impositus ac praescriptus dicendus erit. <sup>4</sup>

## G 2

## Ex

<sup>1</sup> Cap. I. §. 3.

<sup>2</sup> Nisi enim ipse amor in hunc finem dirigatur, eidem fini conferre nequiverit.

<sup>3</sup> Vide Cap. I. §. 1.

<sup>4</sup> Hinc Aristoteles concludit, quod bonus homo sui amans debet

Ex hisce deducitur, hominem nihil debere praeterire eorum, quae ad conservationem, perfectionem, felicitatemque suam conformandam, servandam et amplificandam pertinent, dum id sine amoris divini ac suae voluntatis violatione manifesta negligi nequit. Idcirco non utilitas nostra sola in causa est huius officii, <sup>1</sup> sed voluntas Dei per naturae nostrae tendentiam evidenter expressa, cum ipse nos creaverit instructos tali dispositione ac instinctu. <sup>2</sup>

II. Igitur quemadmodum homo constat mente et corpore atque ambœ hae substantiae essentiam suam efficiunt; ideo ut ipse homo veram destinationem et felicitatem suam integram assequatur, atque omnia officia erga se ipsum adimpleat, ac suam conservationem et perfectionem omnino perficiat, ad unius et alterius partis praeservationem et perfectam constitutionem incumbere tenebitur.

Cum ergo alia officia mentem et corpus simul hominis spectent, alia solum corpus, alia tandem solum mentem constantem intellectu et voluntate; adeoque unicuique harum partium officia sui ipsius respicere debebunt, scilicet vel toto homini vel intellectui et voluntati, vel corpori tantum ipsius; neque haec seiungenda erunt unquam, nisi sit impossibile

bet esse. Ὡς τὸν μὲν ἀγαθὸν δεῖ φιλαυτὸν εἶναι.  
*Etb. l. 9. cap. 8. §. 4.*

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 2. cap. 4. §. 16.*

<sup>2</sup> Verum cum hic amor ratione debeat esse dispositus atque ordinatus; postea quam aequè ratione ac instinctu instructi sumus; et cum ratio inhibeat aliis inferri damnum: hinc venit, quod hic amor cum alterius praeiudicio extra necessitatis casum nunquam exerceri potest.

le omnium harum partium officiis simul respondere. Quo in casu cum mens praestantior sit corpore, potius perfectioni mentis quam corporis vacare oportebit. <sup>1</sup>

III. Quod ad totum hominem attinet, vitam conservare debet homo mortemque evitare, quae in separatione mentis a corpore consistit, cum absque vita conservatio ac felicitas nostra non detur. Ideoque separatio haec totis viribus praecavenda, unioque e contra animae cum corpore semper erit procuranda. Quapropter mors voluntaria hominis prohibetur a natura atque interdicitur. Nam homo non est dominus vitae suae suique individui, sed Deus auctor ac creator suus, qui hunc per vocem naturae ad suam praeservationem semper conclamat et vocat. Praeterea homo debet amare alios homines tanquam seipsum utpote suos aequales, alios non potest occidere, ergo neque seipsum. Vnde consequitur etiam, accelerare mortem sibi libidine, excedentibus laboribus, intemperantiis cibi ac potus, contra amorem sui ac officia sibi debita putandum fore.

IIII. Quod vero ad mentem pertinet; cum intellectus humani perfectio consistat in cognitione veri ac boni; siccine omnes iuxta conditionem suam debent curare hanc perspicacitatem, ne in errorem labantur, sed semper veritatem in suis conceptionibus sequantur et capiant. Itaque quisque tenetur niti sive aliorum instructione, sive librorum assiduo  
stu-

<sup>1</sup> Id vero, quod respicit mentem et corpus simul, ante omne curari decet.

studio, sive experientia ac observatione facultatem ac aptitudinem intellectus discernendi verum a falso, bonum a malo, virtutem a vitio addiscere ac adipisci. Omnes enim homines obstringuntur ad cognitionem legis naturalis, et eorum omnium, <sup>1</sup> quae ad subsidium directionemque vitae necessaria sunt acquirendam comparandamque diligenter. Etenim voluntas non potest appetere aliquid, nisi quod intellectus sibi tanquam bonum repraesentavit, nec aversari nisi quod ille tanquam malum agnovit: igitur apprime indispensabilis omnibus fit cognitio recta veri, boni ac mali. Maxime quod imputantur actiones omissionesque etiam ex ignorantia boni malique admissae; siquidem legem naturae a qua pendet huiusmodi cognitio, et potuit et debuit homo perspectam habere. Et haec generalis cultura spiritus dicitur a iure naturae omnibus imposita ac ordinata.

Praeter haec unusquisque obligatur ad excolendum eius intellectum circa ea, quae fini, indoli, conditioni ac professioni suae peculiari conveniunt. Quamobrem suam capacitatem suasque vires quisque explo-

ra-

<sup>1</sup> Inter has primas tenet notio sui ipsius, id est animi sui cognitio: nam corpus quidem quasi vas est aut animi receptaculum: ab animo enim quidquid agitur, agitur a te, uti Cicero advertit *Tusc. Quaest. l. 1.* In qua sane cognitione antiqui sapientes omnem prope scientiam comprehensam esse voluerunt. Et revera qui noscit animum suum, illi ipsum immaterialem, (nam materiae essentia cogitationis omnem ideam respuit) et consequenter immortalem (ens enim sine partibus resolvi non potest, ut iam supra adnotavimus) et a summo numine dependentem ac proveniente, et rationis participem, ad cuius normam se dirigere debet, profecto esse constat. Vnde certe maius ad virtutes, atque ad omnia officia incitamentum ac fortior obligatio in nobis promanat et excitatur.

ratas habere debet, <sup>1</sup> ut vitae genus cui idoneus sit eligat, hocque delecto, ipsius munera ac functiones adimplere valeat. Hinc colligi potest, hanc rationem vitae tali modo adoptatam, delectamque nihil aliud esse quam voluntatem Dei de certo vitae genere ab homine exercendo, per dotes animi ac corporis ei concessas declaratam. Et haec specialis spiritus cultura vocatur.

V. Officia autem quae voluntatem concernunt, in ipsiusmet perfectionis acquisitione ac cura consistunt. Voluntas circa bonum ac malum versatur. Bonum ac malum verum ac apparens esse potest. <sup>2</sup> Ideo voluntas quae bonum et malum reale ab apparente <sup>3</sup> discernere, eumque sequi pollet, perfecta evadet. Hinc venit, quod officii nostri est, non adquiescere in qualicumque boni malive cognitione, sed dare operam, ut ea viva sit et efficax, et praevalente intellectu clare perspecta: utpote etiam non bonum qualecumque appetere, sed ex pluribus bonis praestantius, magisque necessarium summumque semper praefereudo omnibus aliis, immo ne malum quidem aversari, quod nos maioris boni participes reddere queat.

Et cum rectas functiones intellectus scilicet perspicacitatem veri, et ordinatas motiones voluntatis circa

<sup>1</sup> Hic refertur sane supradictum antiquorum effatum: *Nosce te ipsum*: uti Cicero: *cum enim dicitur nosce te, id dicitur nosce animum tuum, id est ipsius capacitatem. Tusc. Quaest. l. 1.*

<sup>2</sup> Vide Cap. 1. §. 1.

<sup>3</sup> Hoc sane officium proprium est iudicii, quod saepe tamen cum voluntate confunditur. Vide meum Puffend. l. 1. cap. 3. §. 2. num. 3.

ca boni consecutionem, affectus pravi impediunt, et error et ignorantia; ideo modo diligentiori mens ab errore, et voluntas ab affectibus antedictis sunt praecavendae. Aliter perfectionem mentis et voluntatis assequi, impossibile fuerit.

In errorem ignorantia inscientiaque rei de qua agitur, conducit. Adeoque instruere mentem tali modo oportet, ut ignorantia propellatur, ac scientiam iuxta conditionem ac ingenii acumen ipsa adipiscatur. Ceterum nunquam determinanda est mens, nisi ad normam perceptae ac luminosae veritatis, vel saltem probabilioris sententiae et magis veritati consonae.

Insuper voluntas a cupiditatibus pravisque affectionibus erit praecavenda, nimirum a luxuria, ab intemperantia, ab ingluvie, ab ira, avaritia, elatione, invidentia, hominumque inimicitia et odio, aliisque similibus vitiosis incitamentis, quae omnia voluntatem mentemque stemperant atque pervertunt, ita ut non amplius verum bonum ab apparente, proficuum a noxio distinguere valeat. A quorum sane vitiorum devitatione, omnium virtutum sequela animo nostro provenit ac nascitur. <sup>2</sup>

VI. Quod tandem spectat ad corporis perfectionem, cum haec consistat in eo, ut omnes eius partes sanitate fruantur, atque ad motus necessarios et respectivos exsequendos sint, aptae sanitatem ergo earum partium omni attentione possibili tueri oportebit:

<sup>1</sup> Quintil. *Magni affectus iura non spectant. Declam. 296.*

<sup>2</sup> Nimirum temperantia, iustitia, modestia, prudentia, magnanimitas, liberalitas, amicitia, omnibusque in actionibus probitas, honestasque ex hoc in vita nostra promanant.

bit ; adeout nec per cibum aut potum , nec per inertiam eas torpere , nec per libidines corrumpere patiamur , multoque magis membrorum mutilationem , evirationem ac corporis destructionem a nobis amovere teneamur. <sup>1</sup> E contra quisque constitutionem , valetudinem , vires , agilitatem augere suam omni modo debet. <sup>2</sup> Verum hic quoque unumquemque status et conditionis suae rationem habere decet. <sup>3</sup> Aliud enim robur ac dexteritatem requirimus in pugili , quam in fabro , alia omnia in fabro , quam in viro docto. Ex quo arguitur , exercitationes quoque corporis non in omnes easdem cadere : ideo prudentia hic opus esse , ut et finem unusquisque suum ob oculos habeat , et media se digna eligat. Quin et aetas discrimen facit ; ac proinde alia erit exercitatio senis quam iuvenis , alius potus ac cibi usus , <sup>4</sup> aliae operae ac labores , aliae functiones ac munia.

VII. Praeterea cum vita hominis non possit sustineri nisi facultatibus et divitiis ad victum necessariis paratis ; proinde facile intelligitur , has iuxta conditionem uniuscuiusque curandas , iusteque acquisitas attentè conservandas esse ab hominibus prudenterque expendendas. Verum ille qui obligatus est ad finem , etiam ad media obstringitur. Et cum has facultates sine laboribus et industria ab illis qui pauperes sunt , non possint acquiri ; consequens est , ut

H

ab

<sup>1</sup> Plin. *Nam huius fulcris animus sustinetur.* l. 1. *Epist.* 1.

<sup>2</sup> Iuvenal. *Vnde mens sana in corpore sano sit.* *Sat.* 10. *vers.* 366.

<sup>3</sup> Vide Cic. in *Cat. cap.* 9.

<sup>4</sup> Optime idem Cicero *De offic.* l. 1. *cap.* 49. *Officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur , aliaque sunt iuvenum , alia seniorum.*

ab his laborandum ac incumbendum sit diligenter alicui professioni vel artificio, ut eas consequantur et vituperosam paupertatem evitent. Si tamen nullum adsit medium occasioque paupertatem devitandi, eam ab his aequo animo ferri oportebit. <sup>1</sup>

VIII. Felicitatis pars consistit etiam in bona opinione quam alii de nobis habent: ergo omnimodo procurandum erit existimationem aliorum consequi et adipisci, quae revera ab eorum bona opinione de nobis formatur et constat: atque e contrario vituperationem et malam famam evitare praeclaris actionibus omniumque exercitio virtutum. Et cum famam laedant calumniae, hae erunt quantum fieri potest, praecavendae <sup>2</sup> et destruendae verbis ac factis, si fuerint in nos iniuste prolatae, nisi forte illae tam putidae sint, et tam manifesto falsae, et auctor earum tam levis ac futilis sit, ut contemni mereantur. Nam manifestae calumniae non magis virum bonum turbant ac terrent, quam saevus canis latratus in auras, <sup>3</sup> graculique inutilis stridor. Et qui eas effutit, is non alterius sed suam profecto bonam famam evertit deturpatque.

VIII. Officia omnia supradicta erga nos ipsos exsequi debent, si ea tamen cum illorum violatione quae Deo praestare tenemur, non sint coniuncta. Quo  
in

<sup>1</sup> Atque ita documentum Horatii *Od.* 29. v. 53. facere:

*Laudo manentem fortunam, si celeres quatit pennas,*

*Resigno quae dedit, et mea virtute me involvo.*

<sup>2</sup> Cic. *De offic.* l. 2. cap. 8. *Negligere quod de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.*

<sup>3</sup> Virg. *Aeneid.* 3.



in casu potius illa, quam haec sunt praetereunda. Nam semper id quod Deum respicit, illi quod nos concernit, anteponeere fas est. Ex hoc facile patet, non esse verum effatum illud, quod vulgus iactat, necessitatem non habere legem. Hoc enim si verum esset, martyres male egissent, et quot pro praeservanda sanctitate iustitiae se in mortem dederunt.

Cum ergo regula haec non semper sit vera, varii casus sunt distinguendi, qui variant ac mutantur vel ratione necessitatis ipsius, vel ratione legis, vel ratione qualitatis officii. Siquidem a nullis aliis circumstantiis haec variatio provenire potest.

X. Necessitas definitur status hominis in quo legi sine suo periculo parere nequit. Quod periculum quoties ad ipsam vitam pertinebit, necessitas erit extrema, si autem eiusmodi non erit, pro magnitudine maior vel minor appellabitur: sic et absoluta est necessitas, quae evitari nullo alio modo potest<sup>1</sup> quam violata lege: respectiva, quam alius quidem, sed non hic homo qui in illa versatur, evitare potest.

Cuique facile animadvertere est, hic non tantum in censum venire necessitatem extremam, sed et eam aliquando in qua vita non periclitatur; dummodo malum de quo agitur, sit atrox et intolerabile. Nam quaedam sunt calamitates ipsa morte acerbiores. Quis enim dubitat, quin viro constantissimo or-

H 2

bi-

<sup>1</sup> Cic. *De Inv.* l. 2. cap. 57. *Atque hoc mihi videor dicere, esse necessitudines quasdam simplices ac absolutas, quasdam cum adiunctione.*

bitas oculorum terrorem iniicere possit aequalem periculo mortis?

Quamobrem cum ex duobus malis physicis minimum eligere ratio consiliet, quandoquidem nullum aliud patet effugium; consequenter venit, ut absoluta necessitas favorem mereatur, respectiva tum demum, si quis non sua sibi culpa hoc malum invenit. <sup>1</sup> Ideo si quis periculo se offert, cum sit in causa illius necessitatis, proinde ipsi eventus iusto titulo imputari potest.

XI. Lex porro, circa quam versatur necessitas, vel divina vel humana est. Quod ad humanam legem pertinet, cum homo etsi summus imperans sit, non possit obligare hominem ad mortem gratis vel sine periculo Reipublicae subeundam; ergo lex humana cum exceptione necessitatis semper regulariter est intelligenda (praeter casum, quo agatur de periculo Reipublicae.)

Quod vero ad legem divinam spectat, distinguere oportet inter legem affirmantem et negantem. Lex enim affirmans, ex eo quia nemini omissio actionis imputari potest, si ipsi agenti desit <sup>2</sup> occasio et modus agendi, semper cum exceptione casus necessitatis

<sup>1</sup> Veluti si quis ob eventualem infirmitatem ad membri resectionem venit, hic favorem necessitatis meret, ita ut si tali operatione moriatur, inculpabilis prorsus evadit. E contra dicitur de illo, qui e. g. circumcisionem pati voluerit, si is postea ob incisionem ad talem devenerit statum, ut membrum recidere oporteat, atque ob huiusmodi operationem intereat, culpa gravissima reus constituitur, nec ullo favore necessitatis protegatur.

<sup>2</sup> Cic. *De Inven.* l. 1. cap. 27. *Occasio autem est pars temporis habens in se alicuius rei idoneam faciendi opportunitatem.*

tis concepta supponitur : atque equidem ei cui imminet periculum vitae, agendi occasio et modus deesse putatur. Ideo ordinatio faciendi eleemosynam, eum cui deficit pecunia ac modus se sustentandi, non obligat. <sup>1</sup>

Circa autem leges divinas negantes varii casus sunt distinguendi : aut enim hae referuntur ad officia erga ipsum Deum vel erga nos ipsos vel erga alios homines. Quae enim respiciunt officia erga ipsum Deum, nunquam sunt omittendae, neque unquam necessitatis exceptionem admittunt. Nam quae Deo debemus, ante omnia debemus, et consequenter etiam cum dispendio vitae nostrae. Hinc in Deum blasphemare, Idolis sacrificare, periurio se polluere, nunquam licet, ita ut potius mortem subire oporteat, quam horum aliquod patrare.

Leges porro divinae, quae officia erga nos ipsos concernunt, aut mala physica, aut mala moralia interdunt : quae mala physica a nobis remonent, admittunt necessitatis exceptionem. Nam ex duobus malis physicis, quod minimum est eligere, recta ratio suadet ac ordinat.

Quae autem mala moralia prohibent, cum maius morale malum sit semper physico, non admittunt necessitatis exceptionem. Sic ad praeservandum totum corpus vitamque, licet sacrificare membrum, et  
mu-

<sup>1</sup> Ita praeceptum subveniendi auxiliandique periclitantem cum hac exceptione intelligitur, si id fieri potest absque meo periculo ac perditione. Hoc quidem in sensu S. Paulus ad Cor. Ep. 2. cap. 8. §. 13. inquit : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, hoc dico, sed ut vestra abundantia illorum inopiam suppleat.*

mutilationem pati, cum agatur de duobus malis physicis; et maius sit praeservatio totius corporis quam illa unius membri. At non licet mollitiem facere vel mendacium proferre ob vitam servandam. Nam maius malum morale est facere mollitiem mendaciumque, quam physicum malum perdendi vitam.

XII. Tandem leges negantes divinae respicientes officia erga alios vel cum officiis de conservatione nostri ipsius, vel cum illis de perfectione nostra ac felicitate tuenda amplificandaque colliduntur. Priore casu, cum alterum magis quam nos amare non teneamur, exceptionem necessitatis admittunt, <sup>1</sup> non autem posteriore casu. Satius enim est perfectione aliqua carere, quam alterum perire.

At haec iustam habent rationem, si ipsius Dei providentia contingat, ut in illa necessitate versemur. Nam si a malitia hominum est, aut hoc illi agunt ut pereamus, vel ipsis ut nostra remittamus bona, aut ut necessitatem peccandi unice nobis imponant; primo casu exceptio necessitatis erit admittenda, uti si pravus homo mihi vitam minitetur, <sup>2</sup> ut suae vindictae immoler, vel ut meum invadat: non autem alio casu, cum potius perire oporteat, quam quid-

<sup>1</sup> Cic. *De offic.* l. 3. cap. 1. *Nam sibi ut quisque malit, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, opes, copias augeamus.*

<sup>2</sup> Hoc enim in casu minime obstrictus sum ad moriendum, potius quam repressionem facere usque ad mortem etiam illius protervi, qui illo perfidioso sine me invadit, ut peream. Tunc enim sane nihil aliud venit in censum, nisi perfidiosi illius iniustique hominis vita, quae nullum meretur favorem respectumque. Vide Thomasium *Iurisp. div.* l. 2. cap. 2.

quidquam patrare cum ignominia Dei coniunctum, veluti si ille ad adulterium et mendacium perpetrandum me impellere velit. <sup>1</sup>

XIII. Hisce praemissis regulis exemplisque, facile erit definire omnes casus, qui solent proponi hac in materia, quam sane verum est, multis difficultatibus involutam manere, unde optime advertit Heineccius, <sup>2</sup> multa hoc in proposito misericordiae Dei potius relinquenda, quam omnia ad vivum resecanda.

Ideo nemo dubitaverit, ut supra signatum est, quin ad vitae conservationem liceat abscindere membrum. Cum minus malum maiori praeferendum sit, quandoquidem de duobus malis physicis agitur. Sic nullum dubium est, in extremo famis periculo carnis humana vesci posse. Non excusandus tamen, qui alteri<sup>u</sup> impie ac ferociter obtruncat ob illius membra comedenda. Nam imperiosa necessitas non dat ius in vitam alterius, qui nostram non attentat, nec fas est alteri eam eripere, ut nos conservemus, quia par est utriusque conditio ac necessitas, quidquid Titius ac Barbeyraccius in contrarium adducant. <sup>3</sup>

XIII. Solet quaeri etiam, an naufrago alios tabula semel apprehensa, vel scapha ab ipso occupata liceat deicere? Et affirmative respondemus. Nam ille ius prius adeptus est.

Si-

<sup>1</sup> Hoc vero in casu ignominia Dei ac essentialis malitia actionis intercedit.

<sup>2</sup> *Elem. iuris nat. l. 1. §. 161.*

<sup>3</sup> Vide nostrum Puffendorf. *l. 2. cap. 6. §. 3.* ubi hanc falsam sententiam impugnamus. Hoc in sensu Cicero sane ait: *Suum cuique incommodum ferendum est, potius quam de alterius commodis detrahendum. De offic. l. 3. cap. 5.*

Simili modo responderi debet illi qui quaerit, an obstantem fugienti proterere liceat? Scilicet affirmative: nam si a malitia hominis haec necessitas venit, isque agit ut fugiens pereat, ideo licet illum proterere: si a providentia eadem necessitas procedit, ita ut sit per accidens tale infortunium, vel per imprudentiam illius qui proteritur, idem dicendum est. Nam ius istud non pendet ab aliis, sed a conservationis nostrae iure promanat.

Iisdem principiis decidenda etiam est quaestio de eo, qui in extrema necessitate famis vel frigoris expellendi causa, res alienas contrectat et percipit. Nam tam si a malitia hominum <sup>1</sup> quam si a providentia provenit infortunium, illud licitum est ei hoc medio evitare. Verum est tamen, contrectantem tales res, animum restituendi habere oportere, statim ac facultas suppetierit. Sed repeto: multa hoc in proposito dubia ac ἀπορησ sunt, quae impossibile prorsus esset generatim definire: unde ab ulteriori disputatione supersedeo.

## CAPVT VII.

### DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS, et speciatim de nemine laedendo.

I. **E**xpositis officiis, quae ad Deum Optimum Maximum, et ad nosmetipsos pertinent, nunc pro-

<sup>1</sup> Nam in hoc tenderet, ut ille in tali statu constitutus periret. Vide §. 12. et *Thomasium Iuris prud. divina l. 2. cap. 2. §. 143.*

cedendum est ad illa, quae alios homines concernunt. Horum fundamentum aequalitas naturae est, qua de causa societas inter homines servanda, cum eorum aequalitas naturae aequalia etiam officia exigit. <sup>1</sup> Inde colligimus, hominem alium hominem, non minus quam seipsum benevolentia prosequi teneri, cum ab hac sola ipsorum societas componitur, ac sustinetur aequalitas.

Huius porro benevolentiae duo gradus sunt, quorum alius iustitiae, alius humanitatis ac beneficentiae appellari potest. Horum primus consistit in eo ut nihil fiat, quod infeliciores alios homines reddat: alter in promovenda aliorum perfectione ac felicitate versatur. Prima ergo officia iustitiae, ac perfecta dicuntur, alia imperfecta ac beneficentiae tantum. Perfecta officia sunt, ad quae potest homo obligari per modum coactionis, puta ut neminem laedat, et cuique quod suum est tribuat. <sup>2</sup> Imperfecta autem sunt, ad quae imperfecte tantum ac sine coactione, ac ex ipsa virtute homo obstringitur, uti iam supra signavimus.

II. Praeterea cum officia perfecta consistant in eo, ut nemo laedatur, et suum unicuique tribuatur; et cum ad primum officium homines semper tenean-

I

tur,

<sup>1</sup> Optime Cicero: Sic enim perspicere *mibi videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas.*

<sup>2</sup> Cicero: Homines autem hominum causa esse genitos natura demonstrat, ut ipsi inter se alius alii prodesse possent, in hoc ergo naturam debemus ducem sequi, et communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum dando accipiendo.

<sup>3</sup> Absque enim horum exercitio humanum genus minime consistere posset. Id quod de aliis nimirum de imperfectis non potest dici. Vide Cap. 5. §. 1. not.

tur, ad aliud in hypothesi solum certi alicuius facti, dati, praemissi aut conventi; ideo prima absoluta ac connata, alia hypothetica officia dicuntur, cum contra naturam priorum ab aliqua introductione hominum pendeant. Sic homo ab homine iure exigit, ne occidatur, nullumque ponit factum, quo sibi hoc ius acquisiverit, posteaquam a natura promanat. At non posset quisquam iure conqueri de rebus sibi ab altero praeceptis, nisi ius aliquod circa ipsas res, veluti dominium facto acquisivisset.

Ius vero quod circa rem aliquam acquisivimus, vel ex dominio, vel ex pacto ac conventionē provenit, unde consequens est, ut omnia officia hypothetica ab hisce duobus fontibus proficiscantur. <sup>1</sup> Quare de omnibus hisce officiis diligenter ac ordinate agemus, praemittendo officia absoluta quae a facto nullo humano dependent, postea ad hypothetica deveniendo, quibus tamen praeponemus imperfecta, utpote illorum magis simplicia et antiqua, atque ad eorundem intelligentiam apprime necessaria.

III. Cum homo sit homini aequalis, quippe constet partibus iisdem essentialibus, atque adeo iisdem naturalibus iuribus fruatur, ideo quisque alium aequae ac se ipsum tractare debet, ita ut quod sibi fieri non vult, ipse nec alteri facere teneatur. Ac proinde nemo laedendus erit neque circa mentem, neque circa corpus, neque circa res suas, cum nec nos laedi velimus: <sup>2</sup> aliosque ac nos utpote aequales tractare debemus.

Il-

<sup>1</sup> Nimirum ex dominio et pacto.

<sup>2</sup> Optime Cicero: *Detrahere igitur aliquid alteri, et hominis*  
in-



Ille dicitur laedere, qui alium facultate aliqua, perfectione ac felicitate rebusque suis, quas iam a natura habet, privare vel deteriori conditioni reddere tentat. Ergo ille qui in vitam nostram attentat, cum in hac consistat nostrum maius bonum ac omnis humanae felicitatis fundamentum, gravissimo modo nos laedere dicendus erit. <sup>1</sup> Vnde remaneat firmum, quod nemo alium interficere, nec sanitati ac corpori alicuius damnum inferre potest, nisi tamen necessitas nos cogat uti moderamine inculpatae tutelae, quo in casu licet ob propriam vitam praeservandam, alium occidere.

Tunc necessitas huiusmodi dicitur, quando in periculum nullo alio modo evitabile sumus constituti, uti supra iam explicavimus. <sup>2</sup> Id est si quis in absoluta necessitate vel respectiva, minime tamen per suam culpam consistat. Tunc enim cum nemo teneatur alterum magis quam se ipsum amare ac praediligere, <sup>3</sup> si aut ipsi aut alteri aggressori pereundum sit, licet aggressorem cum caede repellere atque occidere. Extra tale periculum inevitabile necessitatis iure nemo fruitur, cum ex duobus malis physicis, id quod minimum est eligere, nos recta ratio doceat semper. Qua de causa quisque tenetur etiam aufugere, aut

I 2 quo-

*incommodo hominem suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor... Nam principio tollit convictum humanum et societatem.*

<sup>1</sup> Vide Puffendorf. *De iure nat. et gent.* l. 8. cap. 1.

<sup>2</sup> Cap. superiori §. 10.

<sup>3</sup> Cicer. *Tusc. Quaest.* l. 3. cap. 29. *Ne in amicitia optandum quidem est, ut me ille plusquam se, ego illum plusquam me amem. Perturbatio vitae, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.*

quoquo alio modo evitare periculum, si possibilitas adest ad tutum perfugium.

III. Ceterum adversus omnes, per quos in periculum illud sine tua culpa adductus sis, eo iure uti fas est: adeoque etiam adversus furiosos, mente captos, et adversus eos qui alios invadere parantes, te per errorem invaserint. Nam hoc ius provenit non ab iniustitia aggressoris, sed a iure nostro periculum nobis intentatum propulsandi quovis modo, <sup>1</sup> alteriusque vitae eo casu propriam salutem anteponendi. <sup>2</sup>

Ius hoc in statu naturali perdurat ac competit, usque dum durat periculum hostilisque animus invasoris. In statu vero civili, usque dum habueris tempus ac commodum recurrendi ad magistratum. Ideoque usque dum durat instantaneum periculum, hoc ius viget, non iam usque dum durat animus hostilis invasoris, ut in statu naturali. Nisi in casu quo magistratus aperte recusaret praesidium, vel illud praestare nequiret: <sup>3</sup> tunc enim privatus homo recuperat statum naturalem, iusque pristinum sese tuendi.

Praeterea in statu civili modus violentae defensionis servandus est, ita ut non usque ad caedem procedendum sit, sed usque tantum ad evitandum periculum instantaneum. <sup>4</sup> Non tamen invasus tenetur capescere fugam, nisi tutum perfugium, ac periculum

<sup>1</sup> Vide Grotium *De iure bel. et pac.* l. 2. cap. 1. 3.

<sup>2</sup> Nam quod quis pro tutela corporis sui fecerit, iure fecisse existimatur. *Digg. de iust. et iure* l. 3. T. 1.

<sup>3</sup> Ut cum versamur in loco ab imperio civili vacuo aut longe disito.

<sup>4</sup> Vide Puffend. *De iure nat. et gent.* l. 2. c. 5. §. 4. Nam postea ad magistratum recurrere oportet. Ita Ulpianus *Digg. de vi arm.* l. 3. *Eum qui cum armis venit, possumus armis repellere, sed hoc confestim non ex intervallo.*

lum vitandi certa fiducia pateat, uti iam supra notavimus.

V. Nec solum pro vita sua defensionem violentam capescere licet, sed etiam pro praeservatione membri, pudicitiae, parentum, liberorum, amicorum quorum conservatio aequae ac propriae ipsius vitae homines omnes premit ac urget. Verum pro vindicanda alapa, aut verborum iniuria amolienda, nefas est alterum occidere. Nam pro his tantum, quae cum vita pari passu ambulant, huiusmodi ius legitime exerceri potest, cuius characteris ac aequivalentiae, alapa aut verba iniuriosa minime sunt reputanda. <sup>1</sup>

VI. Cum possit etiam laedi aliquis in mentem ac intellectum, uti et in corpus, sophismatis nimirum errore ac mendaciis, ergo ab his quisque per ius naturae diligenter se abstinere debet: multo magis postea praevaricatio ac corruptio voluntatis alterius hominis, ac in vitiis incitatio erit evitanda: cum laesio haec bene saepe magis praeiudiciosa sit, quam illa ipsiusmet mentis ac corporis. Ideo ab his omnibus, quae alios in corruptionem huiusmodi inducunt verbis factisque, quisque scrupulose cohibere se debet: utpote sunt lenocinia, pravae enarrationes, mala exempla, libidines, aliaque incitamenta peccaminosa ad simplicium innocentiumque cor pervertendum malitiose composita.

VII. Cum porro corpus alterius alicui non liceat laedere; nefas sane fuerit, alterum verberibus, plagis aliis-

<sup>1</sup> Vnde Moralistae illi equidem male sani, qui usque ad hoc defensionem sui ipsius extenderunt, alte reprehendendi sunt ac detestandi. Vide Epist. Provincial. Ep. 13.

aliisque iniuriis afficere, vulnera infligere, corpus alterius, inedia, vinculis tormentis excruciare. Nam quod fieri nobis nolumus, nec aliis faciendum esse, satis unusquisque intelligit.

Neque famam existimationemque aliorum licet laedere diffamationibus calumniisque. Nam haec praecipuae hominum parti aequae dolent, ac ipsa corporum vulnera ac vitae molimina. Existimatio autem duplex consideratur ac dicitur, alia simplex qua quis pro non malo habetur, <sup>1</sup> alia intensiva et distinctionis, qua quis ob merita universim recognita prae aliis gaudet. Ambo haec existimationis genera nimis cara ac pretiosa sunt homini honesto, quin absque gravissima iniuria impeti queant. <sup>2</sup> Nec minus status hominis laeditur per pudicitiae honestatisque violationem, sive haec adoriatur blanditiis, sive vi aperta prosternatur. Nam quocumque modo hoc fiat, semper existimatio violatae mulieris detrimentum capit, ipsiusque cor ac corpus corrumpitur, et familiae turbantur. Inde clare patet, iuri naturae stupra, adulteria, lenocinia atque alias libidinosas, inhonestas, nefandasque machinationes omnino repugnare.

VIII. Insuper cum ex dictis supra eluceat satis, lae-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *De iure nat. l. VIII. cap. 4. §. 7.* et seq.

<sup>2</sup> Verumtamen cum prima existimatio, quae in civis honesti fama consistit, magis cuique sit cordi, quam illa distinctionis, quae ob meritum ab aliqua dignitatis vel excellentiae nota procedit: ideo ille qui primam auferre tentat, magis laedit, quam is, qui secundam oppugnat ac denegat. Prima enim ita describitur *Digg. l. 50. T. 13. Dignitatis illaestae status legibus aut moribus comprobatus.* Altera a Cicerone verbis his enunciat: *Habet enim venerationem iustam quidquid excellit. De nat. Deor. l. 2. cap. 17.*

laedi aliquem posse, sive actionibus internis, puta cogitationibus comparatis ad alterius perditionem damnique, insidiis quamvis sine effectu, animo hostili, odiis intestinis, <sup>1</sup> invidia ad aliorum deiectionem incitata; sive externis actionibus, puta verbis, factis, et apertis machinationibus ad alicuius perniciem intentatis, nam aequae omnia haec societatem ac benevolentiam hominibus debitam oppugnant contrariantque; ideo consequitur per ius naturae hisce omnibus esse abstinendum. Et quamvis multo gravior sit laesio externa factorum verborumque, quam illa interna vel ad effectum non perducta in foro humano, uti suo loco notabimus; <sup>2</sup> in foro divino tamen, cum Deus sapientissimus auctor naturae scrutet corda ac renes hominum, et adversus suam voluntatem veniat tam qui contra suae legis praescriptum cogitat ac machinatur secreto, quam qui aperte illam verbis factisque transgreditur, nullum interesse discrimen inter prima ac secunda peccata putatur. <sup>3</sup>

VIII. Verbis ac sermone homines gravissime laeduntur, unde operae pretium fuerit hic de officiis sermonem paulo accuratius agere.

Sermo per quem a brutis utpote et per rationem seiungimur, est sonus articulatus, quo animi nostri sensa cum aliis clare ac distincte communicamus. Cum ergo sermo datus sit nobis ad communicandum consociandumque cum aliis hominibus (non vero cum Deo,

<sup>1</sup> Cap. I. §. 6.

<sup>2</sup> Vide I. 2. Cap. 8. §. 1.

<sup>3</sup> *Matth. 5. 22. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et 28. Omnis qui videns mulierem, eam concupiscit, iam maecharius est eam in corde suo.*

Deo, cum videat internum nostrum, neque cum brutis qui illum nec dum pene percipiunt), ideo ad eorum commodum felicitatemque eodem semper uti oportebit. Nam e contra societas, communicatio ac benevolentia hominibus debita, et ad quam servandam promovendamque sermo dirigitur, corrueret ac laederetur.

Quare cum sermo ad animi sensa communicanda aliis hominibus nobis sit datus; clare patet iuxta significatus ac sensus quos omnes intelligunt, sonos articulatos, et secundum notiones receptas ac veluti tacite conventas, esse adhibendos, aliter minime ad hunc finem assequendum nimirum consociandi homines inserviret, nam eorum animi sensus non patefaceret.

X. Itaque cum Deus velit nos uti sermone ob commodum felicitatemque aliorum ad hoc, ut societas, veritas ac benevolentia inter homines promoveatur ac floreat; adeoque cum eo nemo laedendus ac decipiendus est. Laeditur autem quis, quandoquidem ipsi quod iure perfecto debemus denegatur: decipitur vero falsum pro vero dicendo. Ergo qui falsum loquitur ac alium decipit, et cum eum laedat, siquidem ipsi denegat veritatem, societatem, ac benevolentiam hominibus debitam a natura, sane Dei voluntati ac iuri naturae adversatur et opponitur.

Praeterea qui tacet, quod iure perfecto vel imperfecto alter exigere ab eo potest, ut patefaciat is dis-

1 Ille dicitur laedere, qui aliquem praedudicare tentat: qui decipit in errorem inducendo aliquem, eam praedudicat, atque in statu imperfectionis constituit. Ergo illum laedit.

simulat. Qui loquitur falsum, et contra animi sensus ac cogitationes verba profert, is mentitur. Qui denique alterum in errorem inducit, eum decipere dicimus. Ex quibus definitionibus cum superioribus comparatis liquido patet, dissimulationem, mendacium ac deceptionem aequae iuri naturae repugnare, <sup>1</sup> cum haec omnia ad benevolentiae, ac societatis humanae dissolutionem aliorumque praeiudicium intendant. <sup>2</sup>

XI. Verumtamen cum ita comparatus sit amor quem aliis debemus ad societatis praeservationem, ut eos non maiori quam nos ipsos amore prosequi teneamur; consequens est, ut tacere liceat, si sermo noster alteri non sit profuturus, nobis vero vel aliis detrimentum aliquod sit adlaturus. Falsiloquium vero dicere, vel sermone subdole ambiguo se exprimere nefas est, <sup>3</sup> quidquid proferant in contrarium Heineccius, Puffendorf. Barbeyr. aliique Protestantes, et nostrorum reprobandi sane catholici aliqui Moralistae. Nam absque hac sinceritatis veritatisque confidentia sermo ad societatis manutentionem, cui unico fini dirigitur, iuvare nequiret. Quisque enim semper metuere deberet, se ab aliorum sermonibus decipi, si falsiloquium licitum esset.

K

XII.

<sup>1</sup> Cicero *De offic.* l. 3. cap. 9. *Ex omni vita simulatio, dissimulatioque tollenda.*

<sup>2</sup> Hinc adnotemus: non acquisitum ius aliquod peculiare illius, cum quo loquimur, in causa esse obligationis veritatis proferendae, sed haec promanat ab absoluto ac generali iure proveniente a voluntate Dei, qui hanc institutionem ad generis humani praeservationem introductam, in hunc finem dirigi, ac exerceri vult.

<sup>3</sup> Vide *Epist. Provincial. Epist. 9.*

XII. Ex quo colligimus omnem dissimulationem illicitam esse, non autem omnem taciturnitatem, per quam intelligimus reticentiam eius, ad quod aperiendum nec perfecte nec imperfecte obligamur; ita iniustum esse omne mendacium, falsiloquium et deceptionem, qua aliis contra veritatis sensum et intelligentiam communem verba pronunciamus. Non vero sermonem acutum et ad fictionem compositum eo fine, ut aut delectentur, aut exercentur, aut acuantur, qui audiunt.

Sed reprobanda est prorsus distinctio ab Heinecio male excogitata inter veritatem ac veracitatem, <sup>1</sup> quarum ultima semper in laude ponit, contra aliam bonam ac malam aequae esse posse considerat: quippe haec ex convenientia verborum signorumque externorum cum mentis cogitationibus constat: posteaquam illum non semper exsequi officium putat, qui suas cogitationes omnes cum signis externis respondere facit. <sup>2</sup> Nam uti supra notavimus, in hoc proprie mendacium consistit, si signa externa cum internis cogitationibus minime convenient.

Quod

<sup>1</sup> Verax ille dicitur, qui veritatem exprimit, quoties alter ius peculiare eam intelligendi habet: quo in casu tantum male Protestantes ad veritatem proferendam nos obligatos esse volunt. Vide Heinec. *Elem. iur. nat. l. 1. §. 202.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffend. *l. 4. cap. 1. in fine*, ubi haec sententia reprobanda sane, utpote societatis humanae eversiva impugnatur. Optime Card. Palavicinus *l. 1. de Bono cap. 21.* inquit: *Cum humana societas sermone veluti praecipuo adiumento iuvetur, cum eiusdem veritate deliberationes cunctae, iudicia, et negotia universa regantur, praestat ut eventu nullo mentiri liceat, alioquin semper auditor iure verebitur, ne tum forte in eo eventu, in quo mendacium innocens est, locutor aut re aut opinione versetur.*



Quod semper in vitio est, et a iure naturae damnatur absque ulla dependentia a iure peculiari illius, cui sermonem habemus. *Nunquam simulabit vir bonus,* ita Cicero admonet supra laudato loco.

XIII. Sermo, quo nos veritatem eloquio serio confirmamus, dicitur adseveratio. Adseveratio quae fit invocato Deo tanquam vindice, iusiurandum appellatur. Denique sermo quo alteri fausta adprecamur, benedictio, e contra quae infausta auguramur, maledictio vocatur. Sicuti sermo quo quis capiti suo diras imprecatur, execratio denominari solet.

Cum ergo qui aliquid adseverat, serio confirmet se verum dicere non falsum; id vero nemo sanus faciet, nisi qui suspicatur, se mendacem credi, qualis suspicio conscientiae malae indicium est; quare nemo prudens adseverationibus temere et extra necessitatem utetur; et multo minus cum mendacio: posteaquam nihil turpius, atque iniustius excogitari potest, quam alios decipere per adseverationem, uti recte Cicero advertit: *Turpe enim est alterum capere et defraudare, multo turpissimum capere, et fraudare per fidem suam.*

Benedictionibus per quas bona precamur aliis, cum hae societati ac benevolentiae iure naturae debita inter homines promovendae conferant, non est dubium, quin erga alios libere uti liceat. Non vero maledictionibus quae reprobantur ab eodem iure, utpote aliorum bono ac charitati adversae. Sicuti eadem ratione quisque a proferendis execrationibus in seipsum cavere debet.

K 2

XIII.

1. *De offic. l. 3. cap. 16.*

XIII. Quapropter cum a iure naturae temerariae adseverationes etiam sint interdictae, multo magis ab eodem iure erunt damnata iuramenta absque necessitate prolata. <sup>1</sup> Tunc enim tantum iureiurando licet uti, quando id vel a superiore veluti Iudice, vel ab altero non temere exigitur. Siquidem tunc ipsa charitas vult, ut alterum de veritate reddamus certiorum. <sup>2</sup> Id vero locum habet in omni iureiurando; adeoque vix inutiles videntur tot divisiones iuramenti assertorii, promissorii, decisorii, testimonialis, cum regulae eadem ubique obtineant ac militent.

Praeterea Atheis iusiurandum non esse deferendum, ex hoc elucet, quod a iurantibus Deus tanquam vindex invocatur, cuius existentiam cum Atheus non credat, in ludibrium profecto supremi entis huiusce iusiurandum abiret. Unde etiam patet, omnibus iuramentum dandum iuxta credentiam ritus ac formulas propriae religionis. <sup>3</sup> Aliter non erit iusiurandum, scilicet invocatio Dei, qui periurii vindex credatur.

Iusiurandum porro datur in gratiam non iurantibus sed deferentibus, ideo iuxta mentem huiusce est interpretandum: atque in eo cavillationes omnes evitandae sunt, utpote restrictiones mentales, aequivocationes, aliaque elusoria a male quibusdam cordatis Mor-

<sup>1</sup> Vide meum Puffend. l. 4. cap. 2.

<sup>2</sup> Hoc in sensu Divus Augustinus inquit: *Iurare malum non est, sed peierare peccatum.*

<sup>3</sup> Sic Cicero testatur: *Graecorum solemnem fuisse morem iurandi causa ad aras accedere. In orat. pro Balbo.* Id quod etiam Virgilius confirmat l. 12. *Aeneid. Tango aras, mediosque ignes et numina testor.*

ralistis inventa, <sup>1</sup> quae etiam a simplici sermone reprobantur.

Tandem cum iusiurandum sit invocatio Dei tanquam vindicis periurii; consequens est, ut quisque obligatus sit ad iuramentum religiose observandum, nisi terribilem iram vindictamque Dei experiendi periculum subire velit. Si quis tamen ad rem turpem et lege interdictam se iureiurando incaute devinxerit, in hoc casu cum iuramentum nullam obligationem producat illud non erit adimplendum. <sup>2</sup>

Concludamus igitur breviter: iuramentum ut sit licitum, tres habere debere proprietates, nimirum iudicium quod exigit, ut cum discretionem, prudentiam, considerationem ac reverentiam, nec sine necessitate ac gravi causa fiat: iustitiam, quae exigit, ut quod iuratur, sit res iusta, licita ac honesta, veritatem, scilicet ut res sit vera, aut saltem ex gravi ratione putetur vera. Iuramentum postea duplex est: assertorium <sup>3</sup> quo confirmatur dictum de praesenti vel praeterito, et promissorium quo confirmatur dictum de opere futuro. Atque haec pauca de officiis circa sermonem sufficiant: si quis vult plura, videat meum Puffendorfium. <sup>4</sup>

XV. Iam satis monstravimus neminem laedendum nec factis, nec verbis, nec cogitatione ac animi affecti-

<sup>1</sup> Vide Epist. Provinc. ubi supra.

<sup>2</sup> Idem dic et de iuramento de re impossibili: hoc cum non possit impleri, inutile reputatur. At iurans de re tali culpa irreverentiae ac irreligiositatis non vacat.

<sup>3</sup> Quo ad regulas iuramenti haec distinctio prorsus inutilis videtur, uti supra adnotavimus, minime vero si referatur ad ipsiusmet iuramenti essentiam, utpote hic refertur,

<sup>4</sup> L. 4. cap. 1. et 2.

ctibus. Is vero qui laedit, alterum reddit infeliciorem: qui damnum intulit, nisi resarciat, alterum reddit infeliciorem, ergo laedit. Ideo qui damnum dedit per ius naturae, ad eum resarciendum erit obligatus, ita ut qui satisfactionem illam denegat, novam iniuriam inferat, ac denuo laedat. <sup>1</sup> Si vero plures intulerint damnum, circa satisfactionem idem dicendum, quod de imputatione supra exposuimus actionis a pluribus perpetratae, <sup>2</sup> uti scilicet quisque ad normam damni ab ipso dati teneatur.

Per satisfactionem intelligimus, praestationem eius quod lex a laedente exigit. Duo autem lex a laedente exigit: 1. Ut qui facto suo alteri damnum dedit, ille resarciat. 2. Ut quia et ipse legislator per denegatum obsequium et obedientiam laesus est quodammodo, malum aliquod passionis ferat, quisquis alteri contra legem idem damnum intulit, quod poena dicitur. <sup>3</sup> Quamobrem satisfactio semper et poenam, et reparationem damni suo ambitu complectitur: nec una alteram tollit. Sed de poena infra. <sup>4</sup>

Aut ita porro comparatum est damnum, ut res omnis restitui possit in pristinum statum, aut ut factum infectum fieri nequeat. Primo casu res reddenda est in eodem statu ac conditione cum expensis damni dati. Altero per aequivalentem rem ipsa restituenda est, ita ut tamen non modo veri pretii et aesti-

<sup>1</sup> Vide Puffend. *De iure nat. et gent.* l. 3. cap. 1. §. 2.

<sup>2</sup> Cap. III. §. 5. nota.

<sup>3</sup> Vide Grotium *De iure bel. ac pac.* l. 2. cap. 17. §. 22. Leges enim inutiles omnino essent absque hoc fraeno. Vide Puffendorf ubi supra.

<sup>4</sup> Vide L. 2. Cap. 8.

aestimationis, sed et affectionis et consequentium  
 aliarum circumstantiarum damnificatae rei, vel perso-  
 nae ratio merito habeatur. Quod per exempla stupri,  
 homicidii, furti, vulnerationis potest illustrari. <sup>1</sup> Ex  
 quo Grotius concludit: *quod etiam spes lucri intercepti  
 in refectione damni aestimatur, non ut illud ipsum, sed  
 secundum propinquitatem ad actum, ut in semente spes  
 messis.* <sup>2</sup>

## CAPVT VIII.

### DE OFFICIIS ERGA ALIOS *imperfectis.*

I. **N**eminem esse laedendum per ius naturae,  
 iam satis demonstravimus, utpote et id in quo con-  
 sistat proprie alterius laesio. Reliquum est, ut quo-  
 modo suum unicuique tribuendum sit, <sup>3</sup> explicemus  
 eadem industria ac methodo. Sed cum haec of-  
 ficia hypothetica ita sint comparata, ut absque im-  
 perfectorum natura ac indole vix percipi queant; <sup>4</sup>  
 conveniens putamus, horum tractationem praemittere.

Horum etiam officiorum principium ac causa est  
 benevolentia et societas, quam debemus cum aliis  
 hominibus tueri. Luce enim meridiana clarius est,  
 hanc inter homines absque huiusmodi officiorum exer-  
 ci-

<sup>1</sup> Vide Puffend. *De iure nat. et gent. l. 3. cap. 1. §. 7.*

<sup>2</sup> Grotius *De iure bel.* ubi supra §. 3.

<sup>3</sup> A quo hypothetica officia constant iuxta divisionem Cap. su-  
 per. factam.

<sup>4</sup> Vti supra notavimus in Cap. sup. §. 1.

citio commode durare ac promoveri non posse. Quippe humana felicitas, utpote eiusdem pax, societas ac benevolentia sine beneficiis, ope, consultationibus, atque aliis humanitatis officiis non sustinetur. Et illi, quem benevolentia prosequimur, et societatis commercio recolimus, tribuimus et id quod iure stricto non debemus, <sup>1</sup> cum ad eius felicitatem hoc iuvare animadvertimus.

Cum autem officia haec ad quae iure stricto non obligamur, <sup>2</sup> dividantur in officia humanitatis, quae sunt innoxiae utilitatis et beneficentiae, quae cum aliquo detrimento vel incommodo exerceri solent; itaque tractatio erit dividenda eodem modo in officia imperfecta humanitatis, vel utilitatis innoxiae et beneficentiae. Utraque enim sunt necessaria ad vitam commodam ac felicem transigendam hominibus.

II. Aequalitas hominum, regula ac causa est ergo horum officiorum imperfectorum, uti est etiam illorum omnium perfectorum. Nam si alii homines sunt nostri aequales, aequalia etiam officia illi a nobis exigere poterunt, quae nos ab ipsis solemus exigere. Ideo quod nobis volumus factum, et pro aliis facere debemus, e contra quod nolumus in nos ab aliis fieri, nec nos in alios facere oportet.

Quo-

<sup>1</sup> Hoc in sensu ait Cicero: *Est aliquid quod non oporteat, etiam si licet. Orat. pro Balb.*

<sup>2</sup> Utpote minime indispensabili necessitate ad humani generis praeservationem requisita. Vide Thomasium in sua *Dissert. Philosoph. Iuris* inscripta §. 58. Et Romani Iurisconsult. obligationem dividunt in perfectam et imperfectam. Obligationis imperfectae exemplum est obligatio ad *antidota* iuxta eosdem, propter quam actio non dabatur. Vide Paul. *Digg. de obligat. et act. l. 10.* uti pro perfecta.

Quocirca cum nemo sibi velit ea denegari, quae alter sine detrimento suo praestare potest; ergo et alteri quisque talia liberaliter praestare tenebitur. Adeoque inhumanissimum dixeris merito illum, qui alterum cum possit, ope et consilio non iuvat, vel eius res non servat pro virili, errantem non revocat in viam, sitienti aquam, algenti ignem, aestu languenti umbram negat, vel aliquid ab alio cum eius incommodo exigit ac praetendit, quod facilius et sine suo detrimento aliunde consequi posset. <sup>1</sup>

Hinc colligi licet etiam, eiusdem innoxiae utilitatis esse profecto praestationem rerum, quarum tanta nobis affluentia est ac abundantia, ut eas sine notabili detrimento cum aliis possimus communicare; itemque earum rerum in utilitatem aliorum dispensationem, quae apud nos essent periturae: uti inhumani prope sint, qui tales res corrumpunt, aut dant flammis, vel in mare proiiciunt eo male sano ac inhumano consilio, ut nemo aliorum inde aliquid capiat utilitatis ac commodi.

Verum notare oportet: 1. Quod quamvis haec officia sint imperfecta per ius naturae, per leges tamen humanas, aut per consuetudinem in perfecta transire possunt. Vnde apud Athenienses diris debebatur quisquis erranti non monstrasset viam: <sup>2</sup> et

L

apud

1 Hisce enim rebus referuntur triti illi versus Ennii:

*Homo qui erranti comiter monstrat viam,*

*Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:*

*Nilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.*

Vna enim ex re, optime notat Cicero *De offic.* l. I. c. 15. satis praecipit Poëta, ut quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto.

2 *Diphili sententia.*

apud Romanos quisquis non porrigebat manus collapsis, iniquus homo reputabatur per consuetudinem communem iuxta Senecam. <sup>1</sup>

2. Notare oportet, quod in casu extremi periculi ac necessitatis haec officia imperfecta, per ius naturae etiam perfecta evadunt. Inde si quis errantem ad perditionem, ad mortem, non revocat in viam dum potest, ille iniquissimus iniustusque merito erit considerandus, utpote in culpa gravi constitutus, <sup>2</sup> quippe de re debita per iuris naturae perfectam obligationem agatur.

III. Sed cum talia officia proveniant ex societatis ac benevolentiae vinculo, quo aliis sumus obstricti per aequalitatem naturae, ob quam ad alios amandos plusquam nos non obligamur; ideo si praestationem horum officiorum nobis obfuturam praevideamus, ea tunc iure denegabimus. Quare denegare hosti licet aquam, commeatum emptionem, aliarumque rerum provisionem, quatenus saltem ille animo hostili est, ne haec ipsi nos invadendi commodiorem viam praebeant. Quin etiam si nihil detrimenti ex horum officiorum praestatione hostibus, derivare posse nobis praevideatur, ad haec praestanda illis per ius naturae non tenemur, quidquid Heineccius in contrarium adducat. <sup>3</sup> Nam hostis nullum ius habet a nobis talia exigendi, quippe societatem omnem cum nobis abruperit. Ita si nos earum rerum

in-

<sup>1</sup> *Controvers.* l. 1.

<sup>2</sup> Semper enim quando imperfecta officia fiunt necessaria ad praeservationem illius, cui diriguntur, perfecta per ius naturae deveniunt.

<sup>3</sup> *Elem. iur. nat.* l. 1. §. 219.



indigemus; quas alius reposit, quamvis innocentis usus, ad ipsi easdem impertiendas minime obligamur. <sup>1</sup>

III. Cum vero officia omnia iuris naturae a ratione tanquam a directrice facultate pendeant, ratio autem sit facultas discernendi ea, quae ad nostram aliorumque felicitatem revera magis apteque conferunt; inde colligimus non solum personarum, sed etiam indigentiae ac necessitatis, qua alter premitur, habendam esse rationem in horum officiorum distributione. Ideo in pari causa si omnibus non possit provideri ac satisfieri, plus humanitatis debetur viro bono, quam scelerato, coniuncto, <sup>2</sup> quam extraneo, egenti, quam opulento. <sup>3</sup>

V. At officiorum omnium gradus sublimior est ille, quem beneficentiae nomine paulo ante appellavimus. Nam huiusmodi officia ita sunt comparata, ut nos et cum aliquo detrimento et praeiudicio aliis iuvare faciant. Horum etiam officiorum natura causaque ab aequalitate procedit, a qua cum simus obligati ad alios eodem modo tractandos, quo nosmetipsos tractare solemus, utque cupimus ab aliis tractari; et cum saepe numero incidant casus, ut infelicissimi nobis videremur, nisi alii nobis quae desunt,

L 2 sunt,

<sup>1</sup> Ita ut tantum, uti ait S. Paulus, *vestra abundantia in praesenti saeculo aliorum inopiam suppleat, ut eo illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est, qui multam non abundavit, et qui modicum, non minoravit.* Ep. ad Cor. 2. cap. 8. 14.

<sup>2</sup> Fructus enim ingenii, et officii tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur. Cicero *De amicis*.

<sup>3</sup> Propensior benignitas esse debet in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. Cicero *De offic.*

sunt, elargirentur; et tunc vero nemo sit, quin illa praestari sibi cupiat: consequens est, ut in hisce casibus etiam nos aliis ea quae illis deesse animadvertimus, et cum detrimento aliquo liberaliter elargiamur. Elargiri autem dicitur, quod absque mercedis spe alteri concedimus.

Ita beneficium <sup>1</sup> est actio, qua alteri proficimus, adiuvamusque deliberate <sup>2</sup> absque spe mercedis, aut retributionis, studiumque tale quid praestandi beneficentiam appellamus. Quemadmodum studium praestandi, quae alteri prodest cum obligatione restitutionis, officiositatem denominamus. Cuius independentia ab obligatione facit, ut gratia habenda sit et illi, qui talia tradit; multo magis si restitutio fuerit pretii inferioris traditae rei, atque ab eo proveniat praestatio, quem nulla ratio peculiaris officii ad hoc impulerit.

VI. Ex definitione supradicta facile patet, beneficentiam proficisci debere ex voluntate aliis utilitatem afferendi: adeoque si eventu aliquis benefacit vel animo nocendi, eius virtutis laudem frustra ac male sibi adrogare praesumit. Hinc venit, magis quam ad actum ac effectum beneficii, ad animum et intentionem facientis respicere oportere. <sup>3</sup>

Praeterea cum ratio et sapientia, <sup>4</sup> uti supra dictum

<sup>1</sup> Seneca *De benefic. l. 1. cap. 6.* ita beneficium definit: *Benevola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit prona, et sponte sua parata.*

<sup>2</sup> Nam in animo facientis beneficium consistit. Idem ibidem.

<sup>3</sup> Optime idem Seneca: *Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente.* Vbi supra.

<sup>4</sup> Optime Cicero: *Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum*

etum est, debeat semper dirigere officia omnia, etiam officia beneficentiae cum ratione et sapientia erunt praestanda; ita ut a prodigalitate, a iactantia<sup>1</sup> et a contributionibus inopportunis ac male locatis procul sint ac disiungantur: nam beneficia male locata, malefacta arbitranda sunt, ut ait Ennius apud Ciceronem.<sup>2</sup> Quamobrem indignis ac inhonestis hominibus ac desidiosis, minime contribuere licet. Immo alterius necessitati ac conditioni contributio attemperanda est eo modo, quo non indigentibus vel recusantibus beneficia haud afferantur, neque iis qui nostris contributionibus abuti posse videntur, et semper ea quae egentibus ipsis conveniunt, inspiciantur diligenter. Sic et gradus necessitatis, sanguinis, coniunctionis, amicitiae, distinguendi sunt: unde potius ille, qui in extrema necessitate constitutus, quam alius minus indigens, potius consanguineus quam extraneus, amicus quam indifferens homo succuratur.

Deinde cum Cicerone<sup>3</sup> adnotemus: »Duplicem esse rationem beneficentiae: nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec, posterior locupleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior, et viro forti claroque dignior: quam enim<sup>3</sup> utraque inest gratificandi liberalis voluntas.

*dum erit, quid cuique maxime necesse sit. --- Ita ut boni rationatores officiorum esse possimus. De offic.*

<sup>1</sup> Beneficia, recte, uti semper solet, Cicero *De amicitia*, meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.

<sup>2</sup> *De offic. l. I. cap. 13.*

<sup>3</sup> *De offic. l. II. cap. 16.*

„luntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute de-  
 „promitur: largitioque, quae fit ex re familiari, fon-  
 „tem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate be-  
 „nignitas tollitur, qua quo in plures usus sis, eo  
 „minus in multos uti possis. At qui opera, id est  
 „virtute, et industria benefici et liberales erunt,  
 „primum quo pluribus profuerint, eo plures ad be-  
 „nigne faciendum adiutores habebunt: deinde con-  
 „suetudine beneficentiae paratiores erunt, et tan-  
 „quam exercitatioribus ad bene de multis promeren-  
 „dum. - - - - In primo genere largiendi, quod a  
 „liberalitate proficiscitur, nec ita claudenda est  
 „res familiaris, ut eam benignitas aperire non pos-  
 „sit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus. - - -  
 „Insuper non uno modo in disparibus causis affecti  
 „esse debemus. Alia causa est eius qui calamitate  
 „premitur, et eius qui res meliores quaerit, nullis  
 „suis rebus adversis. - - - - Quod autem tributum  
 „est bono viro et grato, in eo cum ex ipso fru-  
 „ctus est, tum ex ceteris, - - qui eam liberalitatem  
 „laudant. - - Quae autem opera non largitione be-  
 „neficia dantur, haec tum in universam rempubli-  
 „cam, tum in singulos cives conferuntur: nam in  
 „iure cavere, consilio iuvare, eloquentia quam plu-  
 „rimis, nihil est praestabilius et societati utilius.

VII. Animus benevolentiae et recognitionis erga  
 benefactores vocatur gratitudo. Et cum unusquisque  
 ad benevolentiam ac recognitionem demonstrandam  
 erga benefactores sit obstrictus; nam e contra bene-  
 ficentiae, officiositati, ac societati inter homines ad  
 normam rationis promovendae minime studeret; hinc

sequitur, ut et ad gratum animum quavis ratione patefaciendum iis, qui sibi beneficia impertiti sunt, quisque obligetur. Verumtamen officium huiusmodi est imperfectum: ideo nemo potest conveniri ad hoc alteri exhibendum, nisi leges civiles hanc dederint actionem, uti de Persis tradit Xenophon. <sup>1</sup>

VIII. Quod si desint vires grati animi benefactoribus factis ostendendi, bona voluntas saltem est indicanda: adeo ut nulla occasio ordinandi verbis, ac praedicandi beneficia accepta praetereatur: nam nihil est peius ingratitude nota, uti optime advertit Cicero: *In vitio ingrati animi nihil non mali inest.* <sup>2</sup> *Omneque maledictum includit, qui ingratum hominem dicit,* iuxta expressionem Publii Mimi. <sup>3</sup>

Denique prorsus inutile est admonere benefactores, cum stet in promptu, ut ipsi animadvertant, cum alios iuvare velint, ne aliquos offendant: *Saepe enim,* ut ait toties laudatus Cicero, <sup>4</sup> *tales benefactores alios laedunt, quos nec debent, nec expedit. Si imprudentes negligentiae est, si scientes temeritatis ac proterviae. - - - Quare extremum praeceptum in beneficiis est, ne quid contra aequitatem contendas.* <sup>5</sup>

Tandem cum absque spe retributionis aliis benefacere deceat; consequens est, multo minus alteri denegare debeamus illa, quae sibi quisquam certam spondens retributionem praestare cupit ac poscit; id quod

<sup>1</sup> Cyroped. l. 2. 7.

<sup>2</sup> Cicero ad Ath. Ep. 121.

<sup>3</sup> Vers. 597.

<sup>4</sup> De offic. l. 2. cap. 13.

<sup>5</sup> Cicero ibidem cap. 18.

quod supra officiositatem vocavimus. Dummodo tamen haec promptitudo iuvandi alios hoc in casu cum detrimento ac periculo nostro non sit coniuncta, nam tunc iusta huiusce neglecti officii excusatio habetur. <sup>1</sup>

## CAPVT VIII.

### *DE OFFICIIS HYPOTHETICIS,* *et primo circa dominii acquisitionem originariam.*

I. **H**actenus quae a nobis fuerunt explicata duobus superioribus capitibus partim ad officia iustitiae, partim ad ea quae antecedenti capite humanitatis et beneficentiae appellavimus pertinent, quaeque imperfecta etiam, utpote alia perfecta vocavimus. Perfecta autem in eo consistere ostendimus, ut primum neminem laedamus, quod officium absolutum denominatum fuit, deinde ut suum unicuique tribuamus, quod officium hypotheticum nuncupatur, scilicet quod aliquod humanum factum supponit. Cum igitur de illo, capite septimo actum sit, de hoc iam erit eadem cura, sed longiori et accuratiori disputatione tractandum, cum ipsiusmet praeceptis institutisque, omnis vita hominum propemodum complexa ac colligata sit. <sup>2</sup>

Quis-

<sup>1</sup> Nam semper habenda est ratio propriae necessitatis ac rei familiaris, quam quidem dilabi sinere flagitiosum est. Cicero *de offic.* l. 2. cap. 13.

<sup>2</sup> Cum ergo dominium et pactum omnium hypotheticorum officiorum sint fundamentum et principium, uti Cap. supra citato §. 2.

Quisque vocat proprium suumque quod in dominio suo est. Dominium vero dicimus ius seu facultatem alios usu alicuius rei excludendi, atque eadem ad arbitrium utendi. <sup>1</sup> Ipsam detentionem rei, cuius usu alios excludere statuimus, possessionem appellare solemus. <sup>2</sup> Ius vero huiusmodi nobis vindicamus vel eo fine ut omnes alios praeter nos, vel eo ut exceptis quibusdam aliis personis, reliquas omnes usu alicuius rei excludamus. Priore casu res in proprietate, posteriore in communione positiva esse dicitur, quae vel aequalis est, quando aequaliter omnes communicantes ad eam participant, vel inaequalis, quando inaequaliter. Itemque vel perfecta est, quando omnibus in re communi vel in parte ipsiusmet rei, ius perfectum est, vel imperfecta, quando nemini tale ius perfectum competit communitatis, quale est ius civium Reipublicae in arena, platea, aliisque suae proprietatis locis. Si nec uni nec pluribus ius est alios usu rei nondum ab ullo possessae excludendi, res in communione negativa stat, quae sola dominio opponitur, quia tunc res in nullius dominio est constituta.

II. Quamobrem ut optime advertit Heineccius, <sup>3</sup>  
M cum

§. 2. fuit indicatum: ideo hic nos de hisce duobus pertractare oportet. A dominio igitur incipimus pactis ad ultimum caput huius Libri remissis.

<sup>1</sup> Sic Rom. Iurisconsulti definiunt dominium: *Ius scilicet de re corporea disponendi. Hic enim effectus domini proprius est, ut quis re sua uti frui ad arbitrium possit.* L. in re mand. Cod. man. Vide Wessemb. parat. in dig. l. 41. T. 1. §. 3.

<sup>2</sup> *Possessio est rei corporalis detentio.* Idem Wessemb. eodem loco T. 2. §. 2.

<sup>3</sup> *Elem. iur. nat. l. 1. §. 232.*

cum ipsa ratio nos convincat, Deum id est causam illam increatam, aeternam, independentem, rerum omnium auctricem condidisse homines; eundem sane voluisse etiam ut existerent, ac se conservarent, manifestum est. <sup>1</sup> Qui vero finem cupit, et media velle videtur. Quocirca consequens est, <sup>2</sup> ut ipse voluerit, homines rebus omnibus ad sustinendam eorum existentiam praeservationemque necessariis, quas terra producit, uti frui. Praeterea cum Deus hominem, animal praestantissimum, et ad servandum se perficiendumque aptum creaverit, et inter reliqua insigni praedilectione distinxerit; dubitari non potest, quin conservatione, felicitate et perfectione nostra delectetur summopere, hancque nos procurare velit modis omnibus, quos ipse per rationem menti nostrae exhibet et repraesentat; adeoque rebus iis nos uti frui intendat, aveatque quae vitam existentiamque nostram, tutam, perfectam, ac felicem reddunt, dummodo his non abutamur.

Ergo cum omnia ad praeservandam, et iucunde transigendam vitam utenda fruendaque hominibus dederit Deus; proculdubio voluit etiam, ut nullus earum usu excluderetur. Ideoque ex intentione Dei omnia a principio in communiione negativa fuerunt, et in nullius dominio constituta. Sed ordinationes divinae affirmativae, qualis illa est, ut res omnes creatae tanquam in medio positae omnium u-

<sup>1</sup> Nam omnes ad hoc naturali propensione ac instinctu feruntur, atque a ratione moventur.

<sup>2</sup> Nam, ut optime advertit Seneca, *is ordo mundo datus est, ut in nostra utilitate productus, et ut curam nostram non inter ultima esse auctori suo habitam appareat.* De benefic. l. 6. cap. 23.



sibus pateant, exceptionem ob occasionis deficientiam, et conditionum mutationem, atque ob necessitatem admittunt: <sup>1</sup> (veluti conditionum mutatio ac necessitas haec est, ut si vitam commode transigere, et pacem societatemque servare inter se homines non amplius possint hac communione permanente,) ideo ob conditionum mutationem, deficientiam modi, atque ob necessitatem urgentem homines a negativa illa communione discedere profecto, et dominium quod communioni illi opponitur, introducere potuerunt.

III. Nam si intra paucos stetisset humanum genus, nulla circa primaevam communionem mutatione opus fuisset, sufficiente quippe omnibus ubertate naturae ad vitam si non suaviter, at saltem quodam modo sustinendam tolerandamque. Sed ex quo per universum terrarum orbem dispersis hominibus, quaedam res non sufficere omnibus caeperunt, quaedam vero ob insignem copiam abundarunt ubique; tunc mutatio humanae conditionis, rerumque conversio, ac ipsa necessitas impulit homines, ut in ea quae non omnibus sufficerent, dominium aliquod inducerent, <sup>2</sup> solis inexhausti, <sup>3</sup> vel nullius usus rebus, <sup>4</sup> quas in

M 2

do-

<sup>1</sup> Vide Cap. VII. §. 11. Haec enim in ordinationibus ipsis dispositio ac acceptio continetur. Vide meum Puffendorf. *l. 2. cap. 3. §. 5.*

<sup>2</sup> Hoc factum fuit per tacitam ac insensibili modo admissam, conventamque introductionem. Vide meum Puffend. *l. 4. cap. 4.*

<sup>3</sup> Naturali iure communia sunt omnia haec: aër, aqua profluens, mare, et per hoc littora maris. *Instit. l. 2. T. 1. de rerum divin.*

<sup>4</sup> Vt mare oceanum, et desertæ, incognitæ ac inhabitatæ ipsius insulae quaedam sunt.

dominio esse, nulla iussit ratio ac necessitas, nec non rebus nihil ad vitam conservandam suaviterque traducendam pertinentibus, in pristina communione negativa permanentibus. Et id praesertim necessarium fuit eo magis, quod a communione illa procedere postea oportebat, ut unus rebus redundaret omnibus, dum alius extrema paupertate deficeret ac langueret: unde profecto rixae ac pugnae interminabiles fuissent ortae. Praeterea res fere omnes humanae cultura ac artificio utiliores ac abundantiores evadunt: at nemo hanc culturam ac opificium suscipere vellet circa res huiusmodi, nisi de earum possessione tutus fuisset, quod revera per dominium efficitur. <sup>2</sup>

Idcirco clare patet ex dictis, dominium rerum, necessitatem ipsam ac rerum conversionem, suadente ratione invehexisse. <sup>3</sup> Hoc vero generis humani tam salutare institutum cum nullius iniuria fuisse coniunctum, vel inde ostenditur, quod in communione negativa, nulli mortalium sit ius, alterum rerum usu ab aliquo non perceptarum excludendi: <sup>4</sup> ideoque cuius licere oporteat, rem quamvis nullius ita sibi vindicare, ut deinceps nemini illius usum concedere cogatur, sed eam sibi detinere, suisque usibus

<sup>1</sup> Qui aviditate occupandi dominatus omnia colligere ac seponere sibi vellet.

<sup>2</sup> Naturalis quippe vitium, negligi, quod commune, possidetur, atque adhibetur. *Cod. l. 10. T. 34.*

<sup>3</sup> Optime Cicero: *Ea quae in terris gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videntur. De leg.*

<sup>4</sup> Aliter ius utendi fruendi rerum ad vitam sustinendam necessarium inutile prope esset: a quo etiam communionis negativae impossibilis perduratio apparet hominibus multiplicatis.

bus seponere, atque adeo in dominium habere possit. <sup>1</sup>

III. Itaque cum rerum dominium vel in communione positiva, vel in proprietate consistat, consequens est, ut postquam dominium introductum fuit, res vel in communione positiva, vel in proprietate quorundam sint. Communio autem haec inde producta fuit, quod plures pro indiviso eandem rem voverunt apprehendere. Nam cum a principio gentes ac familiae in diversas terrarum partes secedere caeperunt; verisimile est, tunc illos homines illasve familias regionem aliquam, vel terrae tractum sibi vindicavisse pro indiviso, <sup>2</sup> donec commodo ac indigentia ad res communes dividendas ipsi obstringerentur, vel ex pacto singulis eorum, quantum opus fuisset, occupandi arbitrium iidem communi decreto concederent. Atque equidem horum populorum pro indiviso occupantium faciunt mentionem historici veteres, veluti Iustinus de Aboriginibus; ac de Scitis; et Tacitus de Germanis, <sup>4</sup> et Diodorus Siculus de Vaccaeis. <sup>5</sup>

Proprietas igitur vel initio statim ex rerum nullius apprehensione, vel ex post facto, ex cessione rerum positive communium, aut ex divisione, vel ex pacto provenit. Et profecto si tanta fuisset generis hu-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 4. cap. 4. §. 5. num. 1.* ubi modus, quo proprietas pacifica introducta fuit, demonstratur.

<sup>2</sup> Ita ut nec quemquam partis corporis dominum esse, sed totius corporis pro indiviso pro parte dominium habere. *Digg. lib. 13. T. 6.*

<sup>3</sup> *Hist. l. 43.* Quibus omnia communia et indivisa fuerint.

<sup>4</sup> *German. cap. 26.*

<sup>5</sup> *Bibl. Sic. 9.*

humani felicitas, ut omnes peraeque amore virtutis flagrarent, sane neque dominio, neque multo minus proprietate, aut pactis ullis indigeremus; quia nihil habentibus, nihil tamen esset nobis defuturum, quod ad conservandam suaviterque ducendam vitam pertinet. Cum enim omnes amarent alios tanquam se ipsos, eisque ultro facturi essent omnia, quae sibi fieri vellent; evidens est, quod quisque ad normam suae indigentiae de usu rerum caperet tantum, relicto postea eodem etiam aliorum necessitatibus. Sed cum pro praesenti rerum humanarum statu mortaliumque depravatione haud sperandum sit, aliquam multitudinem virtutis adeo studiosam esse futuram, hominesque ita animatos fore, ut alterius utilitati, non minus quam suae serviant; facile videtur, neque communionem positivam naturae hominum, qualis nunc est, congruere; ideoque eos causas, cur ab illa quoque prope universim discederent, non poenitendas habuisse. Et revera Ecclesiam Ierosolymitanam hanc communionem observavisse ex Actis Apostolorum <sup>i</sup> apparet. At qui eam componebant, erant homines eximia virtute praediti, summa charitate donati. Id quod de aliarum societatum hominibus expectari aut supponi nequit. Quamobrem etiam ab hac communiōne recedere decuit, ut necessitatibus hominum prorsus provideretur. Nam nisi charitas et moderatio tanta sit hominum componentium illam communitatem positivam, ut quisque nihil quaerat, accipiatque de usu rerum communium praeter necessarium, hanc communionem durare pacifice omnino impossibile est, atque

<sup>i</sup> III. 32.

que ad humanam indigentiam sufficere. At charitatem et moderationem hanc quis hominum tenet? <sup>1</sup>

V. Vnde simul desumitur, quomodo in vecta sit rerum proprietas, et quot sint modi illam in certa re acquirendi. Etenim res acquisita vel adhuc extra dominium, vel in alterius dominio constituta erat. Si prius accidit, tum modum vocamus cum Grotio acquirendi originarium, sin posterius, derivatum. Primus in occupationem <sup>2</sup> et accessionem dividitur. Posterior scilicet derivatus sive ad res in plurium communiōe constitutas, sive ad illas quae in proprietate alicuius sunt, refertur. Priore casu res omnes communes rediguntur in proprietatem, per divisionem et cessionem, posteriore per traditionem. Nullus est acquirendi modus derivativus ac originarius, quin ad hos paucos quam commodissime reduci possit: quare ab ulterioribus divisionibus abstinendum putamus. <sup>3</sup>

VI. Occupatio est apprehensio possessionis rerum nullius. <sup>4</sup> Nullius vero dicuntur res, in quibus vel nemini alios usu earum excludendi ius fuit, vel de quarum saltem dominio nihil certi constare potest, vel in quibus denique possessor se se ultro iure alios usu earum excludendi abdicavit, quae pro derelicto habitae

<sup>1</sup> Vide meum Puffend. l. 4 cap. 4. §. 7.

<sup>2</sup> Iure gentium prius acquiruntur res occupatione, quod enim nullius est, id ratione naturali conceditur occupanti. Digg. de acquir. rer. dom. T. 1. Vide Senec. de benefic. l. 7. cap. 12.

<sup>3</sup> Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, aut victoria: - - - aut pactione, lege, conditione, sorte. Cicero de offic. l. 1. cap. 7.

<sup>4</sup> Quod enim ante nullius est, id occupanti conceditur: - - - veluti ferae bestiae, volucres, pisces. Instit. l. 2. T. 1. de rerum divisi.

tae dicuntur. Cum ergo in rebus nullius, nulli sit ius alios earum usu excludendi; sequi debet, ut quae nullius sunt, merito cedant occupantibus.

Praeterea facile ex his percipitur, occupationem fieri animo et corpore. Nam cum occupatio sit apprehensio possessionis rerum nullius, possessio vero detentio rei; cuius usu alios excludere statuimus, haec autem haud exsequi potest, nisi corpore apprehendatur res, et animus eam retinendi habeatur. Verum tamen est, quod conventio potest supplere manuali apprehensioni, sicuti et signa <sup>1</sup> actusque ad hoc significandum introducti ac recepti; veluti apud Romanos affictio tituli, festucae ex ianua, cespitis ex agro, ramusculi ex arbore excisio, addita restatione ab eo, qui talia gereret, se hoc animo, ut suam rem praediumque faceret, egisse, manualis apprehensionis loco in more erant. <sup>2</sup>

Res in nullius dominio constitutae possunt etiam occupari vel per singulos, vel per plures simul. <sup>3</sup> Priorem occupationem per fundos, aliam per universitatem fieri Grotius ait. <sup>4</sup> Quia vero occupatum solum etiam hoc posteriori modo omne in dominio venit, et inoccupabile fit; inde illud ad populum universum, vel ad eius rectorem, pertinere merito dicitur.

VII. Hinc nemo inficiari poterit, venationem, au-

- <sup>1</sup> Vide meum Puffend. l. 4. cap. 4. §. 9. num. 1.  
<sup>2</sup> Vide Vinnium in *Instit.* l. 2. T. 1. §. 40. qui hanc symboli-  
 cam ac fictam apprehensionem appellat.  
<sup>3</sup> *Digg.* l. 41. de *acquir. vel omitt. possess.*  
<sup>4</sup> Grot. *De iure bel. et pac.* l. 6. cap. 2. §. 4.

aucupium, piscationem <sup>1</sup> species occupationis esse non modo in locis desertis et inoccupatis, verum etiam in territoriis iam occupatis, cum tanta sit ferarum, volucrum ac piscium multitudo, ut sufficere omnibus videatur, atque haec animalia minime uni loco affecta, ac inhaerentia esse appareant. Potest tamen rationabili causa suadente, populus vel princeps omnia haec sibi vindicare, utpote casu quo metuendus esset specierum interitus, vel diminutio notabilis, si omnibus horum ius promiscue concederetur.

Vbicumque vero venatio ac piscatio licita est, recta ratio suadet, eas non posse extendi ad animalia mansueta, aut ad immansueta, et ad illa ferocia, quae in alicuius dominio stant, veluti in vivariis, alveariis, piscinis, cancellis, neque ad illa, quantumvis fugitiva, quae eorum dominus persequitur, ac recuperare tentat.

Porro cum ad occupationem, uti supra diximus, opus sit, praeter animum, corporali apprehensione, aut indicio aliquo convento ipsius loco; ideo arguere quisque potest, vulnerationem ferae bestiae, animumque eam apprehendendi ad ipsius occupationem non sufficere, sed necesse esse, ut vel viva capiatur laqueis, canibus, vel mortua iaculis armisque, ita ut neutro facto in arbitrium sit aliorum eam capiendi et occidendi. <sup>2</sup> Occupatio vero bellica non est de hoc loco,

N

nam

<sup>1</sup> Omnia igitur animalia, quae terra, mari, coeloque capiuntur, id est ferae bestiae, volucres, et pisces capientium fiunt. *Digg. de acquir. rer. dom. T. 1. lib. 41.*

<sup>2</sup> Ita sane Iurisc. Rom. definiunt: *Digg. l. 41. T. 1. de acquir. rer.*

nam per fictionem tantum sic dicitur. Cum non sit rerum nullius occupatio, sed rerum illarum, quae hostibus pertinent. Ideo de hac simul cum iure belli tractabimus. <sup>1</sup>

VIII. Inventio quoque rerum pro derelictis habitarum, vel in nullius dominio permanentium, uti sparsa missilia sunt, vocatur species occupationis, cum haec etiam in apprehensione rerum nullius consistat. Vnde profecto irrationabilis lex erat Atheniensium, quae prohibebat unicuique tollere, quod ab ipso non fuerat positum. <sup>2</sup> Insuper thesauri inter res derelictas habentur, scilicet vetera deposita pecuniae, vel rerum pretiosarum abscondita, de quorum dominis nullo certo argumento, vel indicio constat; <sup>3</sup> ideo inventori erunt adscribendi. Videtur tamen conveniens, partem illius assignari domino soli, ubi thesaurus inventus fuit. AEquum enim est, illum, hunc veluti fructum de solo suo percipere. Verum si populus aut princeps per legem, aut consuetudinem hosce thesauros sibi vindicat, nihil ad dominum soli, aut ad inventorem de his pertinebit, uti Grotius observat recte, <sup>4</sup> qui sicuti et Puffendorf. <sup>5</sup> varias le-

*rer. dom. Id quod verius est, plerique non aliter putaverunt, eam nostram esse, quam si eam ceperimus: quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus.*

<sup>1</sup> L. 2. Cap. 6.

<sup>2</sup> Αἰ μὴ ἐῶ μὴ ἀνέγῃ. *Diog. Laërt. I. 58. et Aelian. varia. Histor. III. 45.*

<sup>3</sup> *Instit. l. 2. T. I.* Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, cuius non extat memoria; sic enim fit eius, qui iavensis, quod non alterius sit. *Digg. lib. 41. T. I. de acquir. rer. dom.*

<sup>4</sup> *Grot. De iur. bel. et pac. l. 2. cap. 8. §. 7.*

<sup>5</sup> *Puffend. De iure nat. et gent. l. 4. cap. 6. 13.*



leges gentium hoc in proposito erudite recensuerunt. <sup>1</sup>

VIII. Accessionem, alteram speciem acquirendi originarii domini dixerimus, per quam incrementa quae substantiae acquisitae iam accedunt, nobis vindicamus. Haec accessio vel est a natura et naturalis, vel ab industria et industrialis, vel a natura et industria simul, et mixta nuncupatur. Naturalis accessio est, ut incrementum a flumine proveniens nostro solo: industrialis ut scriptura chartae: mixta ut semen campo.

Quod ad naturalem accessionem pertinet, vel de prioris domini iure non constat, vel de eo constat, cum distinguatur res accessa, illiusque dominus extet. Priore casu, cum res videatur nullius, posteaquam de eius domino non appareat, <sup>2</sup> per accessionem res in dominium illius, cui accessit, transit. <sup>3</sup> Secundo casu, cum constet clare de domino rei, atque accessio ipsa discernatur, minime dicendum in dominium illius, cui accedit, venire, sed in dominio sui patentis domini adhuc remanere, ad eumque restitui debere.

X. Ex his arguere licet, et foetum, ventrem na-

N 2

tu-

<sup>1</sup> Item lapilli et gemmae et cetera quae in littore maris inveniuntur iure naturali statim inventoris fiunt. *Instit. l. 2. T. 1. §. 18.*

<sup>2</sup> Vt pote de re nullus accidit.

<sup>3</sup> Quatuor modis nobis acquiruntur per accessionem, latenter quando per alluvionem aliquod a flumine agris nostris adicitur, quando aperta vi fluminis de alieno avulsa terra cum praedio nostro unicitur, insula in flumine nata, alveus a flumine relictus. *Vide Vinium in Instit. l. 2. T. 1. §. 20.*

turaliter sequi oportere, <sup>1</sup> cuius praecipue de patre non liquido constat, ut de animalibus brutis, et de hominibus natis extra matrimonium succedit. Si tamen de utroque parente constet, ita definire, haud aequum videtur. Sed vel dividenda erit foetura, vel digniori adiudicanda, nimirum patri, nisi contrario sit pactum, vel saltem in communione tenenda.

XI. Hinc facile erit decidendum etiam, cui insula mari vel flumini nata pertinere debeat. <sup>2</sup> Nam si recognosci nequeat, cuius in dominio fuerit terra, qua illa componitur, et mare vel flumen ubi nata fuerit, in nullius dominio sit, insula primo occupanti cesserit tanquam res nullius. E contra si mare <sup>3</sup> vel flumen ut saepe accidit, alicui populo iure domini spectat, et insula ibi nata in dominio illius erit, veluti fluminis vel maris accessorium. <sup>4</sup> Si vero terra recognoscibilis est, cuius fuerit antea in dominio, tunc illa etiam adhuc antiquo suo domino attinet, illique debetur. Proculiani antiqui Iurisconsulti hanc tenuerunt sententiam. E contra Cassiani illam sententiam male amplexati sunt, quae insulam domino soli vicino adiudicabat. <sup>5</sup>

XII. Idem dic de alluvione et terra vi fluminis avul-

<sup>1</sup> Ita sane Iuriscons. Civ. definiunt: *Lex naturae haec est, ut qui nascitur sine matrimonio legitimo, sequatur matrem.* Dig. l. 1. T. 5. De statu. homin.

<sup>2</sup> Ita et Iurisc. Rom. definiunt: *Insula, quae in mari nata est, occupantis fit: nullius enim esse creditur.* Institut. l. 2. T. 1. §. 22.

<sup>3</sup> De mare an sit occupabile vide l. 2. cap. 8. §. 25.

<sup>4</sup> Rom. Iuriscons. volunt, ut possessoribus praediorum ad riparum positorum acquiratur. Vide Instit. ubi supr. non recte sane, ut mihi videtur.

<sup>5</sup> Vide Gravinam, de ortu et pro Iuris Civ. l. 1. §. 73.

avulsa. Nam si impossibile sit, distinguere, cuius ni-  
 dominio illa terra avulsa fuerit; evidens est, eam-  
 dem illi pertinere, cuius agro accessit. Si vero ex  
 adverso dominus huiusmodi terrae recognosci potest,  
 e contra erit respondendum, scilicet ut maneat in  
 eius dominio: nisi forte pro derelicta eandem ter-  
 ram avulsam habere malit dominus. Quod in statu  
 civili ex intermissa per longum tempus vindicatione,  
 colligi solet, uti patet ex institutionibus Iustinia-  
 ni. <sup>1</sup>

Hinc processit distinctio inter agros arcifinios et  
 limitatos. Primi sunt qui non aliis quam naturalibus  
 finiuntur limitibus. <sup>2</sup> Alii mensurati dicuntur. <sup>3</sup> Li-  
 mitato campo aliquid non potest accedere; nam  
 quicquid inter illum agrum et flumen iacet, vel pu-  
 blicum vel privatum est, non vero domini agri li-  
 mitati. E contra de arcifiniis definire oportet. Qua-  
 re quando agitur de prima agrorum specie, accessio  
 pertinet ad publicum vel privatum illum, cui solum  
 extra limitatum campum interiacens, vel ripa perti-  
 net. Si vero agatur de altera specie nimirum de ar-  
 cifiniis, tunc accessio arcifinii soli domino merito ac-  
 quiritur. <sup>4</sup>

XIII. In alvei mutatione et inundatione viden-  
 dum, si alveus derelictus, quantum constat, ut nul-  
 lius, ante quam fuisset flumen, dominio fuit, et  
 tunc ille non potest vicinis, qui utrinque praedia  
 ha-

<sup>1</sup> *Instit. de rerum divisione* §. 21.

<sup>2</sup> Quales sunt montes, maria, sylvae, deserta.

<sup>3</sup> Vide Grotium *De iure belli, et pac. l. 2. §. 16.* Qui hanc di-  
 stinctionem invenit.

<sup>4</sup> Vide Wolf. *Instit. iuris nat. P. 2. cap. 2. §. 252.*

habent, pro modo praediorum acquiri, uti Romanis Iuris Consultis visum est. <sup>1</sup> Sed quia de fluminis, cuius pars est alveus, dominio satis certo constat, ille tanquam pars fluminis eiusdem erit, cuius flumen fuit. <sup>2</sup> Quemadmodum ex eadem ratione novus alveus iterum derelictus proculdubio manet priorum dominorum, utpote ager inundatus, si deinde aqua recesserit. <sup>3</sup>

Verum aliud dixeris, si perpetua inundatio fiat, ut iam mare sit, ubi terra fuit. Tunc enim res extincta videtur, quae nullum nobis praestat usum, vel praestare amplius potest. Non entis vero, eiusque quod nullum hominibus praebet usum, nullum est dominium, nulla proprietas. Ideoque ad dominium maris vel fluminis illa inundata terra pertinet, restincto prope per infortunium omni primi proprietarii dominio. <sup>4</sup>

XIII. Transeamus ad accessionem industrialem, et mixtam, de qua subtiliter admodum, sed non satis recte Iurisconsulti ratiocinati sunt. <sup>5</sup> Nos autem ita decidimus: si res utriusque voluntate iunctae sint, ne dubitari quidem potest, quin uterque fiat dominus pro rata, adeoque communitio positiva inducatur. Sed hic loquimur de accessione, quae altero insciente ac

in-

<sup>1</sup> Digg. lib. 41. T. 1. De acquirendo dominio.

<sup>2</sup> Si vero de dominio illius fundi, ante quam fuisset flumen, liquido apparet, in ipsius dominio alveus derelictus restituitur.

<sup>3</sup> Ita et Rom. Iurisc. decidunt: *Neque enim inundatio fundi speciem commutat, ob id si recesserit aqua, palam est eum fundum eius manere, cuius et fuit.* Instit. I. 2. T. 1. §. 24.

<sup>4</sup> Ita Rom. Iurisc. definiunt: *Novus alveus iuris eius esse incipit, cuius est ipsum flumen.* Instit. ubi supra §. 23.

<sup>5</sup> Digg. De acquirendo rerum dominio lib. 41. T. 1.

invito facta est. Quo in casu cum domino ius sit, omnes rei suae usu excludere, proculdubio potest etiam prohibere, quo minus quidquam rei suae se invito iungatur. Cum autem quod iungitur rei nostrae, vel eam inutilem aut deteriores saltem reddat, vel meliorem; is vero qui deteriores eam reddit, nos laedit, consequens est, ut qui accessione industriali res nostras deteriores reddit vel inutiles, is accepta re corrupta, ad omne damnum nobis resarciendum, quin si dolo malo tale quid fecerit, in statu civili, simul ad poenam teneatur, tam inhonestae actioni congruam. <sup>1</sup>

Sin res accessione industriali meliores redditae sunt, tunc, distinguere oportet, an res simul iunctae queant commode separari, nec ne. Primo casu separanda est accessio a re, suumque cuique est tribuendum. Verumtamen si ille, qui talem additionem fecit rei non suae, in mala fide est, ad aliquam poenam vel refectionem praestandam ob usurpatum indebite arbitrium, damnandus erit per iudicentem.

Posteriore autem casu optio vel rei capiendae, et aestimationis praestandae, vel e contra aestimationis capiendae, et cedendae rei, erit danda illi, qui nihil fecit, et in integra suppositione bonae fidei manet. Quod si et in hoc casu mala fides aperta adii-  
cientis apparet, ipse in aliquam poenam damnari in-  
su-

<sup>1</sup> Hic tamen advertendum est, quod poena in statu naturae proprie minime datur. Nam haec exigit superioritatem in eo, qui illam decernit, et subiectionem in illo, qui eandem patitur. Id quod in statu naturae, qui est status aequalitatis, habere locum nequit. Ideo reffectio conveniri ac reposci poterit, infligi autem poena nullo modo poterit hoc in statu. *Vide l. 2. cap. 7. §. 6.*

super merebitur, dummodo in statu civili existat, ut supra adnotatum fuit.

Hoc tamen procedit, si res iunctae in aliqua proportione, nec omnino discrepantes sint inter se. Postquam si res una ita vilis ac parva fuisset, ut nullam prope modum proportionem alterae iunctae rei, vel aestimationi industriae haberet, veluti est tela relata ad excellentem picturam, charta ad scripturam elaborate factam; tunc domino illius vilioris rei aestimationem percipere, sat esse debet. At hoc etiam in casu si adiiciens in mala fide fuisset, ad poenam aliquam levem usurpationi huiusmodi relativam, erit damnandus. <sup>2</sup> Hae vero decisiones, ut mihi videntur solidiores, sunt illarum <sup>3</sup> Puffendorffii, Thomasio, Heineccii, <sup>4</sup> et Romanorum Iurisconsultorum, atque ad omnes casus solvendo facile applicabiles.

Et revera ex hisce regulis facilis solutio promanat omnium quaestionum, quae solent promoveri circa omnium adiunctionum species inclusionis, nempe adferruminationis, intexturae, specificationis, picturae, inaedificationis. Et quidem cum inclusio ita plerumque sit comparata, ut res iunctae facile et citra nota-

<sup>1</sup> In variis accessionum speciebus Barbeyraccius tres ponit regulas, quae tamen ad omnes casus decidendos servire nequeunt, ut ipsi videtur. *Ad Puffendorff. de offic. hom. et Civ. l. 1. cap. 12. §. 7. num. 4.*

<sup>2</sup> Vide Puffend. *De iur. nat. et gen. l. 4. cap. 7.*

<sup>3</sup> Rom. Iuriscons. ita decidebant in genere: *Si valor materiae superat illum formae, tum dominus materiae acquirit dominium rei conformatae solvendo formae valorem. Si vero forma maiori pretio sit materiae, in qua nova forma introducta est, tunc auctor formae materiae etiam dominium adipiscitur, solvendo eiusdemet materiae valorem suo domino.* Vide *Instit. l. 2. T. 1. §. 25.*

tabile dispendium separari possint; eo vero casu aequum sit, res separari, et suum cuique tribui: nulla profecto ratio est, cur non illi, cuius auro gemma inclusa est, aurum, domino gemmae, gemma reddi debeat.

Idem dicendum erit de adferruminatione, adplumbatura et intextura: si res enim citra notabile dispendium separari queunt, tunc cuique suum adsignari oportet; sin minus, optio danda fuerit domino materiae rei cedendae vel retinendae, qui nihil fecit cum obligatione solvendi alteri aestimationem rei ac artificii sui, vel e contra, nam ipse in evidenti certitudine bonae fidei manet. Quod si ille, qui re non sua usus est ob tale opificium, in mala fide aperta apparet, ipse praeterea omnibus hisce enunciatis casibus, ad congruam poenam per magistratum damnari poterit.

XV. Quod ad specificationem pertinet, qua nova forma in alterius materia introducitur, hoc respondendum est: si materia aequiparabilis est ad artificium, ita ut materia et forma consimilis, vel quasi consimilis pretii sint ac valoris, tunc optio danda erit domino materiae, eligendi aestimationem, vel rem propter rationem supra notatam evidentis suae bonae fidei, multo magis si materia superat formam. Si vero mala fides artificis evidens fuerit, et hic ad poenam aliquam ille alterius rei usurpator damnabitur.

Si tamen res ita vilis ac parvi pretii fuisset, ut pene nullam considerationem mereretur aequiparata ad artificium, utpote accidit in ligno informi com-

O

pa-

parato ad sculpturam diligenter elaboratam, in ferro rudi ad horologium eleganti artificio compositum relato; tunc res erit adiudicanda artifice, qui postea ad aestimationem rei domino solvendam rigurose tenebitur; <sup>1</sup> et si in mala fide apparuerit, etiam ad aliquam multam ferendam eum obligari licebit.

XVI. De aedificatione autem si agatur facta ex aliena materia in suo solo, hoc respondemus. Si totum aedificium ex tignis ligneis constat; nulla est ratio, cur errore paulo maturius animadverso dissolvi non possint tigna iuncta, dominoque reddi. Sin ex solido lapide quis aedificaverit, vel tigna exempta inutilia futura essent domino: <sup>2</sup> conveniens erit dari optionem domino materiae iuxta supra indicatam rationem suae apertae inculpabilitatis ac bonae fidei, vel cedendi aedificium, ipsiusque materiae ab aedificatore capiendi aestimationem, vel e contra retinendi idem aedificium, solvendo postea erranti illi aedificatori sui soli valorem.

Si vero quis ex sua materia in alieno solo aedificaverit, idem dicatur. Nam si absque notabili dispendio aedificium decomponi potest, erit dissolvendum. Sin minime dissolvi potest, tunc optio danda erit domino soli, aut retinendi aedificium et rependendi aestimationem suae materiae ipsi aedificatori, vel accipiendi sui soli valorem, eidem aedificatori suum

<sup>1</sup> Optime etiam Rom. Iuricons. hoc in proposito decidunt, nobisque tenent: *Ridiculum enim, ipsi aiunt, est, picturam Appellis, vel Parrhasii in accessionem vilissimae tabulae cedere.* Instit. ubi supra §. 34.

<sup>2</sup> Rom. Iurisc. ad duplum valoris materiae solvendum aedificationem damnabant. *Instit. l. 2. T. 1. §. 29.*



aedificium cum solo relinquendo. 1 Verumtamen si in mala fide aedificator fuerit, semper erit ad poenam convenientem, et sui doli improbitatisque dignam, et ad omnis damni refectionem hic etiam rigurose damnandus.

XVII. Quod vero ad picturam et scripturam spectat, aliud erit dicendum. Nam uti iam supra insinuavimus, cum tela ac charta ita viles res sint ac parvi pretii, ut nullam proportionem habeant ad picturam artificiose factam, scripturamque diligenter exaratam; ideo domino ipsiusmet telae ac chartae sufficere debet, valorem huiusce materiae a pictore, vel a scriptore percipere. Si tamen illius pictoris ac scriptoris perfidia evidens apparuerit, illi ultra ad aliquam parvam poenam usurpati arbitrii relativam damnari poterunt. 2

Non admodum diversis principiis opus est ad decidendas quaestiones circa confusionem liquidarum materiarum, et commixtionem siccarum. Nam si res confusae vel commixtae facilem divisionem absque utriusque domini praeiudicio patiuntur, inter utrumque materia communis erit dividenda. 3 Sin vero minime divisibiles sint, vel absque unius praeiudicio, optio erit danda illi, qui nullam ad talem commixtionem ac confusionem habuit partem, ita ut ipse vel totam rem pro se retinere queat, alii solvendo suae partis

O 2

aesti-

1 Rom. Iurisc. hoc in casu illius esse domum volebant, cuius et solum est. Vide *Instit. ubi supra* §. 30.

2 Rom. Iurisc. dabant hoc in casu, scilicet malae fidei, domino chartae, vel telae furti actionem in subdolum illum Scriptorem, Pictoremque. *Instit. ubi supra* §. 34.

3 Ita deciditur a Iuricons. *Instit. ubi supra* §. 27.

aestimationem, vel e contra cedere rem totam possit, obligando alium ad sibi aestimationem suae quatae partis solvendam. <sup>1</sup> Quod si et hic mala fides proferat se, ad poenam aliquam subeundam ille subdolosus homo adstringendus erit per iudicem.

XVIII. Tandem et de plantatione et satione, quas supra ad accessiones mixtas retulimus, prope idem dicere oportet. Nam si plantae in alieno campo positae, facile a solo separari queunt, a domino iure vindicari poterunt. <sup>2</sup> E contra si iam coaluerunt, ipsarum domino optio erit danda, vel aestimationem arborum suarum accipiendi, vel arbores similis naturae ac conditionis, quoad fieri poterit, a transferente repetendi. Idem dic et de semente, si haec a solo potest tolli, suo domino restitui debet; si non, illi qui nihil gessit, optio ante dicta erit danda. Quod si et hic mala fides adest in plantatore ac satore, ipse ad multam quamdam ferendam damnumque resarciendum compelli poterit.

Denique principiis non dissimilibus erit procedendum, si agatur etiam de arbore in confinio posita. Siquidem ei qui nihil fecit, arbitrium fuerit, vel pro indiviso eadem frui dividendo fructus <sup>3</sup> aut ramos, vel

<sup>1</sup> Quod si fortuito, et non voluntate dominorum confusae fuerint, vel eiusdem generis materiae vel diversae: vel res in communi proportionem habita possidendae, vel dividendae ad ratam, vel distrahendae erunt, et earum pretium aequis vel relativis portionibus ipsarum dominis erit participandum.

<sup>2</sup> Nam, uti optime advertunt Iuricons. *Ante quam radices egerit, planta eius permanet, cuius fuerit.* Instit. ubi supra §. 31.

<sup>3</sup> Ita Rom. Iuricons. *Et ideo circa confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.* Instit. ubi supra.

vel ipsam eruere, ac ligna pro rata arboris suo fundo in partem coalitae cum male cauto, aut non satis probo vicino dividere.

## CAPVT X.

*DE DERIVATIVIS DOMINII ACQUISITIONIBVS,  
quae vivo priore domino fiunt.*

I. **P**ostquam acquisitum est dominium in re aliqua, succedit saepe mutatio, ita ut alius in illa re adipiscatur vel proprietatem vel dominium, qui antea nihil horum habebat. Has acquisitiones derivativas nos supra appellavimus, quas vel per divisionem, vel per cessionem, vel traditionem fieri diximus. <sup>1</sup> Quoties enim ex re communi partem nostram accipimus propriam, toties divisionem: quoties soli totam acquirimus, cessionem: <sup>2</sup> quoties denique res alterius propria eo volente in nostrum dominium transit, traditionem fieri inquam.

Omnibus his enunciatis casibus, id quod antea nostrum fuit vel totum vel pro parte, nostrum esse desinit, et in alterius dominium ac proprietatem transit. Id quod vocamus alienationem. Eaque si ex anteriore acquirentis iure proficiscitur, <sup>3</sup> necessaria: si de novo consentiente utriusque voluntate decerni-

<sup>1</sup> Cap. super. §. 5.

<sup>2</sup> Cessio hic accipitur in sensu, ut res communis transeat in dominio socii unius. Vide aliam acceptionem huius vocabuli *cap. 14. §. ultimo.*

<sup>3</sup> Ita ut alienatio illa non possit denegari, nam ex praecedente tacita vel expressa conventionem pendet.

nitur, voluntaria appellatur. Vtraque vero efficit, ut alius in locum alterius, adeoque et in ius circa illam rem, et onera cum illa coniuncta succedat. Sic et alienatio, cuius nulla circumstantia suspendit translationem domini, pura, cuius autem translationem suspendit conditio aliqua, <sup>1</sup> conditionalis denominatur. Necessaria ergo alienatio illa dicitur, veluti rei communis, quae fit a societate socio aliquo ad divisionem provocante. Item illa alicuius rei oppignoratæ, quippe quae itidem fit ob ius creditori in illa re antea constitutum. Ex adverso voluntaria est alienatio aedium, quas is qui alibi lares ponere vult, vendit, et in quibus nemini omnino quidquam iuris competit.

II. Ex hisce patet, voluntariam alienationem fieri non posse, nisi utroque consentiente, alienante scilicet et accipiente. <sup>2</sup> Cum vero consentire liceat in alienationem tum praesentem, ut dominium nostrum in alterum vivis nobis transferatur, tum futuram, ut quis post fata demum nostra possessionem rerum nostrarum consequatur: insuper cum ille consensus in futuram alienationem vel verus sit, vel ex fine et intentione hominis colligatur; <sup>3</sup> hinc ex priorè successio testamentaria, ex posteriore intestatorum successio derivari solet. Ibi de alie-

<sup>1</sup> Conditio in aliquem casum obligationem, vel stipulationem differt. *Vide Instit. lib. 3. T. 15. §. 5.*

<sup>2</sup> Hinc *Instit. lib. 2. T. 1. §. 4.* *Nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, qui eam accipit, ratam haberi.*

<sup>3</sup> Qui consensus praesumptus dicitur. *Vide Thom. iurisprud. div. l. 2. cap. 7. §. 23.*

alienatione praesente, postea de futura disseremus.

III. Iam <sup>1</sup> supra explicavimus, acquisitiones derivativas effici vel per divisionem, vel per cessionem, vel per traditionem. Per divisionem de communione positiva ad proprietatem fit transitus, quae est adsignatio partis ex toto positive communi, cuius sociorum competentis. Cum enim socius usu rei communis alios omnes praeter socios excludere possit; consequens est, ut unusquisque sociorum usum rei pro parte ad se pertinente petere, adeoque ad divisionem provocare queat: <sup>2</sup> quin ut eo minus audiendi sint reliqui hanc divisionem impedituri, quo minus praesenti generis humani conditioni convenit positiva communio. Nam omnes tantum propriae utilitati, neglecto aliorum commodo intendunt, unde iurgia, lites, bella procedunt, uti supra iam fuit monstratum initio cap. superioris.

Sed res communes dividendae vel dividuae sunt, vel individuae, quae scilicet per naturam suam, vel ob leges, vel mores minime possunt dividi. Prior res provocante socio ad divisionem dividuntur in tot partes, quot sunt socii, cuique pro rata portionem suam adsignando, vel per sortem, vel per conventionem, vel per arbitrium. Posteriores autem individuae scilicet vel uni sociorum relinquuntur, qui plurium licitatur, obligando illum postea ad solvendum aliis pretium relativum valori uniuscuiusque partis; vel optimis conditionibus venduntur, et pretium

re-

<sup>1</sup> §. I.

<sup>2</sup> Dummodo pactum in contrarium non obstat, vel natura rei idem suadeat contrarium. Vide infra cap. 13. §. 29.

retractum inter singulos socios pro rata dividitur; vel earum denique usus unicuique conceditur per vi-ces. <sup>1</sup>

Verumtamen in re communi vel par omnium so- ciorum est ius, vel impar ac inaequale. <sup>2</sup> In primo casu unicuique aequalis pars adsignanda est. In poste- riore inaequalis pars cuique est tribuenda, quae iuri suo competat ac respondeat. Sed in dubio cum om- nes homines aequales sint per naturam, etiam ae- quales socii reputantur, atque adeo eosdem per ae- quas portiones inter eos rem communem dividere o- portet. <sup>3</sup>

III. Superiores vero regulae ad communionem perfectam pertinent. Praeter illam et imperfecta da- tur, quoties nulli sociorum in re communi ius per- fectum est. Cum autem res ita ex benevolentia alterius pluribus fiat communis; consequens est, ut tunc in huius arbitrio sit, partes aequales facere vel inaequa- les, et pro qualitate meriti uni plus, alteri minus tribuere velle. <sup>4</sup> Proinde iniustissima sit querela eius, qui alterum minoris meriti hominem sibi equipara- tum esse clamat, vel qui sibi ipse de suis meritis iu- dicio inconvenienter adrogat, vel qui beneficia uni vel alteri concessa ad exemplum trahenda existimat.

Nam

<sup>1</sup> Vide Wolf. *Instit. ius nat. P. 2. cap. 5. §. 344.*

<sup>2</sup> Potest enim conveniri in societate, ut alter unam, alter duas lucri, damnive partes sustineat. *Vide Wesemb. in parat. Digg. T. pro socio.*

<sup>3</sup> Partibus societatis non expressis, hoc casu aequales lucri, et damni partes reputantur. *Vide Digg. pro socio leg. si non fuerint.*

<sup>4</sup> Veluti accidit, cum aliquis propriam haereditatem homini- bus variis communiter portionibus inaequalibus fruendam relin- quit.

Nam ipse beneficus homo poterit respondere illud Evangelii : <sup>1</sup> forsā non licet mihi facere , quod volo in meis ?

Denuo reveniendo ad divisionem dependentem iure perfecto , si uni sociorum res communis a reliquis sociis tota attribuitur , cessio vocatur. Quare cum tunc unus in reliquorum omnium locum succedat ; sequi decet , ut in eorundem iura omnia circa eam rem , necnon onera et incommoda cum illa coniuncta succedat.

Denique cum res communis sive dividatur , sive uni sociorum cedatur , id videatur agi , ut ii qui rem per divisionem aut cessionem accipiunt , eius dominium , ideoque facultatem alios usu rei excludendi , consequantur ; per se patet utroque casu socios efficere debere , ut ei ad quem res translata est , illam habeat ac libere possideat : eosdem huic ad praestandam evictionem teneri , ita uti si ab alio iure , et sine culpa possessoris res evicta fuerit eum resarcire debeant. Dummodo tamen ipsi suas portiones aut aestimationem earum salvas habeant , atque illi socio titulo oneroso res obvenerit. Hinc doctrina de evictionibus <sup>2</sup> fluit , unde haec ex principiis iuris naturae procedere constat.

V. Nunc transeamus ad traditionem , qua dominus qui ius , et animum alienandi habet , dominium in alium illud ex iusta causa accipientem transfert. Dominium dico contra Iurisconsultorum Romanorum

P

rum

<sup>1</sup> *Matth. 20. 11.*

<sup>2</sup> Iuriscons. ita definiunt evictionem : *Evictio est rei nostrae, quam adversarius legitimo titulo adquisierat , recuperatio.* Digg. de evictio l. 21. T. 2.

rum <sup>1</sup> subtilitates, qui volunt, ut ipsa res transferatur, antequam dominium transeat. Nihil enim tam congruum rationi est, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, ut ipsi Iurisconsulti fatentur. <sup>2</sup> Ideo omnem domini voluntatem de dominio rei suae in altero transferendo, sive expresse declaratam, sive certis signis elicitam, pro traditione esse, dominiumque in alterum transferre tenendum.

Et revera etiam apud Romanos rei Mancipi per voluntatem meram, et per aes et libram, dominium tradebatur antiquitus. Cum rei nec Mancipi veluti provincialium praediorum per traditionem tantum, dominium transferebatur. <sup>3</sup> At Iustinianus sustulit postea hoc discrimen, a quo tempore invaluit et huiusmodi ius, ut dominium absque traditione et possessionis datione non transiret de uno in alium. Sed ius naturae et gentium has formalitates subtilitatesque omnino respuit, nec curat.

Igitur cum voluntas sit illa quae transfert dominium; consequens est, ut perinde sit, sive quis praesens verbis, aut signis aliis, sive absens literis, sive per interpositam personam, sive per longam vel brevem manum, <sup>4</sup> sive adhibito certo symbolo inter homines alicuius provinciae recepto, illud tradat. <sup>5</sup>

Et

<sup>1</sup> Solus titulus dominium non probat absque traditione. *Digg. de acquir. dom.*

<sup>2</sup> *Instit. de rerum divisione* §. 40.

<sup>3</sup> *Varo de ling. lat. lib. 4.* Vide Gravinam de origine iuris l. 2. §. 49.

<sup>4</sup> *Vide Cap. XV. §. 3. nota.*

<sup>5</sup> Vide Vinnium *In Instit. l. 2. T. 1. §. 40.*



Et cum dominus tantum tradere possit, qui ius alienandi habet; ideo nullus effectus est traditionis, nisi dominus sit, qui eam facit. Sed dominus ipse potest impediri ab alienatione exsequenda patrandaque a lege, conventionem, aliisque causis. Quo in casu invalida semper erit traditio reputanda: utpote de minore, furioso, et de illo, qui se obligavit ad non alienandum, apparet succedere <sup>1</sup> per leges Romanas.

VI. Praeterea nisi ex iusta causa et patefacta non transfertur dominium, uti iam paulo supra indicatum est. <sup>2</sup> Iusta causa constare debet ex intentione transferendi in alium rei dominium: ideo causa depositi, precarii, commodati, cum hanc intentionem non comprehendat, non erit causa iusta transferendi dominiis. Omnia enim haec pro tradentis arbitrio sunt revocabilia contra naturam alienationis dominiis. Quod si accipiens ad aliquid se obligaverit per pactum, nisi illo adimpleto, non consequetur dominium huiusmodi, <sup>3</sup> ceterum quisque facile percipere potest, perinde esse sive ipse dominus tradat rem, sive de eius voluntate, mandato, approbatione alius; nam qui per alium, facit per se ipsum facere videtur. <sup>4</sup>

Ex eo vero quod diximus, illum, qui dominium transferre vult in alium, animo alienandi rem suam tradere ipsi oportere; satis liquet, traditionem furio-

P 2

si,

<sup>1</sup> Vide Instit. l. 3. T. 15. §. 9. De inutilibus stipulatio.

<sup>2</sup> Superiori paragrapho. Vide Instit. l. 3. T. 10. §. 4.

<sup>3</sup> Optime Vinnius ubi supra: Nihil autem interest, utrum ipse dominus rem suam alicui transferendi causa tradat, an voluntate eius alius.

<sup>4</sup> Digg. de reg. iur.

si, mente capti, pueri, <sup>1</sup> non esse validam et sufficientem ad transferendum dominium, cum horum mens ac voluntas imperfecta ac manca putetur. Quin etiam patet, posse unumquemque in transferendo dominio, sibi aliquod ius in re tradita reservare, cum voluntas ad totum, vel ad partem ipsiusmet rei traditae extendi possit.

Vnde facile coniiicitur, a quo dominium minus plenum sit dictum introductumque. Cum enim per illud nihil aliud intelligamus, quam dominium, cuius effectus inter duos dominos inaequaliter divisi sunt, admodum rationi consonum videtur, illius originem repetendam esse a traditione cum exceptione vel reservatione partis dominii facta. Quo posito binos dominos eiusdem rei esse oportet, quorum alteri ius acquiritur utilitatem omnem ex re percipiendi, aliosque fructuum utilitatumque usu et perceptione excludendi: alteri facultas, vel circa dispositionem de illa re concurrenti, vel aliquid exigendi, ex quo constet de agnitione dominii, nascitur. Hoc posterius dominium, minus plenum Iurisconsulti medii aevi vocarunt directum, prius utile. Posses tamen prioriori modo atque adaequato, priorem dominum maiorem, alium minorem appellare cum Heineccio. <sup>2</sup>

Cuique sat clare evidens fit, hinc feudorum introductionem processisse: <sup>3</sup> quae profecto in hoc consi-

<sup>1</sup> A Romanis Iuriscons. in hoc numero ponebantur etiam Pupilli, prodigi, maritus quoad bona dotalia. Vide *Vinnium Instit.* l. 2. T. 8.

<sup>2</sup> *Elem. iuris nat.* l. 1 cap. 10. §. 280.

<sup>3</sup> Vide *Wolf. Instit. iur. natur. et gent.* P. 2. cap. 16. §. 736.

sistit, ut unus beneficium ac possessionem rei habeat, mediante fidelitate, dependentia, et recognitione quandoquidem aliqua alteri praestanda, qui tenet dominium summum, vel ius disponendi eiusdem rei in casu, quo extinguitur illius possidentis familia, vel ipse non adimpleat condiciones, quibus a principio se obstrinxit. Primus quidem dominus utilis, alter dominus directus, ut paulo ante notavimus, vocatur. <sup>1</sup> A quibus populis feudorum usus ac inventio sit repetenda, inter scriptores magna concertatio existit. Verum illa sententia, quae horum introductionem Germanis tribuit, mihi admodum arridet. <sup>2</sup>

VII. Cum ergo utile dominium ita sit comparatum, ut maior dominus sibi reservet facultatem aliquam circa dispositionem rei concurrenti, vel exigendi aliquid, ex quo de agnitione dominii sui constet; consequens est, ut quamvis innumera possint esse dominii minus pleni genera, et res hic praecipue redeat ad conventionem partium, commode tamen reducatur ad has species: scilicet si quis a possessore rei traditae fidelitatem stipuletur, et servitia, et ne res sine suo consensu alienetur, ipsiusque pleno dominio ut res cedat certo dato casu, unde nascitur feudum, de quo paulo ante diximus: si quis canonem annuum ab eodem possessore in agnitionem do-  
mi-

<sup>1</sup> Feudum aliud datum, aliud oblatum vocatur. Primum est, quando dominus alteri constituit feudum in re sua; aliud quando danti constituitur in re data. Vide *Thomas. in sua Dissertat. de feudis oblati.*

<sup>2</sup> Vide *Montesquium in suo Spirit. leg. l. ult. cap. 1.* Qui sane huiusce introductionis Theoriam erudite quidem ac philosophice explicat et describit.

minii sibi solvendum paciscatur, unde ius emphyteuticum: <sup>1</sup> si denique quis solarium pro superficie sibi in solo reservata praestandum a possessore conveniat, unde ius superficiei provenit. Haec enim revera praecipua sunt, ac magis nota domini utilis, et minus pleni genera. <sup>2</sup>

Quod si usus rei tantum, non dominium traditur, ei, qui hunc accipit, in re aliena acquiritur servitus. Qui usus si ad utentis personam vitamque restringitur, personalis; <sup>3</sup> sin ipsius utentis praedio extenditur, realis vel praedialis dicitur. <sup>4</sup> Atque hic etiam reddit ius ad conventionem partium, cum tantum iuris transeat in utentem, quantum partes voluerunt. Ex quo patet, non omnia, quae circa servitutes introducta sunt, mere iuris positivi esse, sed tantum ea, quae minime in his recta ratio exigit necessario, utpote sunt, quod causa servitutis perpetuo durare debeat, quod insigne discrimen intercedat habitationem inter, usumfructum et usum, <sup>5</sup> quae omnia inventa positivi iuris fuerunt, profecto pactis ac conventionibus mutabilia.

VIII. Interdum res ita traditur a domino creditori, ut ipsi salvum sit dominium, creditor tamen possideat eandem in securitatem sui crediti, et tunc

CON-

<sup>1</sup> Vide *Cod. de iure emphyt.*

<sup>2</sup> Vide Wolf. ubi supra §. 734. et seq. ubi de his omnibus agit accurate.

<sup>3</sup> Huiusce servitutis tres species recensebant Rom. Iurisc. nempe usufructus, usus et habitatio. *Instit. l. 2. T. 4.*

<sup>4</sup> Quae a Rom. Iuriscons. in urbanam, et rusticam distinguebantur. Vide *Instit. l. 2. T. 3. Eodem numero sunt, et iura praediorum urbanorum, et rusticorum, quae servitutes vocantur.*

<sup>5</sup> Vide *Instit. l. 2. T. 3.*

constitui dicitur ius pignoris. Vel si id ea fiat lege, ut creditor simul utilitatem ex pignore, fructusque percipiat, quia res fructifera sit, in vicem usus rei debitaе, ius anticreticum <sup>1</sup> appellatur. Denique si creditori ius pignoris in re quadam <sup>2</sup> absque traditione constituitur, id hypothecam vocamus. Hanc potest persequi creditor, casu quo debitor ad tempus conventum debitum suum minime solvat, utpote et pignoratarius potest rem, quam habet in manus, si a debitore iuxta conventa non solvitur debitum, distrahere, et vendere in satisfactionem sui crediti.

VIII. Tandem traditione rei dominium transferri diximus <sup>3</sup> in accipientem. Accipimus vero aliquid vel realiter et vere, quoties consensum monstramus expresse verbis aut factis, rem nostram fieri velle, vel ex praesumptione, quoties ex ipsa rei indole non potest non iudicari, alterum rem, quam quis traditurus est, non aspernaturum, vel perceptam conservaturum. Quale certissimum signum suggerit diligentia ac cura, qua acquisitam rem accipiens reposcit, servavit, tuitusque est, uti et ipsiusmet rei indigentia ac utilitas, atque inquisitio aliunde eiusdem ab accipiente facta. Similiter et res tradi potest vel expresse declarata, vel simul ex certis signis elicita voluntate; <sup>4</sup> sicuti ex non repetitione

<sup>1</sup> Ἀντικρητικόν. Vide *Wesemb. Parati. In Digg. l. 20. T. 1.*

<sup>2</sup> Vide *Instit. l. 4. T. 5. §. 6. et sequent.*

<sup>3</sup> §. 5.

<sup>4</sup> Vide §. supra indicatum, et *Puffendorf. De iur. nat. et gent. l. 4. cap. 9. §. 6.*

ne debiti, ex restitutione, aut laceratione chirographi, obligationis ipsiusmet debiti remissio arguitur.

Itaque cum cuius rerum suarum domino liceat easdem in alios transferre, eaque translatio fieri queat quibuscumque conditionibus expresse, vel tacite ex apparentibus signis; consequens est, ut haec translatio fieri possit etiam ea lege, qua alter quidem dominium et possessionem, usumque demum rerum ipsarum post tradentis mortem consequatur: <sup>1</sup> atque ut haec voluntas vere et expresse declarari, et signis aut intentione tradentis, et fine acquirentis tantum desumi possit. Vnde sane testamentaria dispositio, et intestata successio derivantur. In utroque casu cum tacita accipientis voluntas praesumi queat, posteaquam de sua utilitate agitur, ipsiusmet expressa acceptione haud opus esse reputatur.

## CAPVT XI.

### *DE DERIVATIVIS ACQUISITIONIBVS per successionem ex dispositione defuncti, et ab intestato.*

I. **P**ostquam de variis modis acquirendi inter vivos actum fuit superiore capite; conveniens est, ut ad modos acquirendi dominii, causa mortis, transeamus, qui cum vel ex dispositione expressa, vel ab intestata ac praesumpta voluntate defuncti pendeant, ideo dividetur tractatio in duas partes, quarum prima

<sup>1</sup> Vide Wolff *Instit. iur. nat.* P. 3. §. 927.

ma quidem circa successiones testamentarias, altera circa intestatas versabitur.

Dispositio testamentaria sive testamentum ex conceptu Iurisconsultorum, <sup>1</sup> est solemnis declaratio voluntatis de universa haereditate omnique iure, quod testator tempore mortis habiturus est, post eius mortem in alium transituro. Ex qua definitione patet, vivo testatore nihil iuris in haereditatem transire, immo ne spem quidem tam certam, ut eam testator derogare non possit. Nam ipsi testatori, dum datur vivere vitam, rescindere priores tabulas, et novas facere, vel intestato decedere licet. Inde dicitur ambulatoria hominis voluntas <sup>2</sup> testatioque, ita ut si etiam iuramento firmata sit, adhuc mutabilis remaneat usque ad mortem. <sup>3</sup>

II. Grotius <sup>4</sup> definit testamentum, alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, retento interim iure possidendi ac fruendi. Sed falsa ac manca haec definitio a Puffendorfio <sup>5</sup> demonstratur. Nam solemnitates, quae proprie testamentum constituunt, haec non comprehendit. <sup>6</sup> Neque ut ipse censet, ex eo quod ius naturae non improbat talem alienationem causa mortis factam, cum possessionis retentione, ex eo potest desumi, testamenti factionem esse iuris naturae tot modificationibus circumscriptam,

Q

at-

<sup>1</sup> *Instit. L. 2. T. 10. De Testament. ordinand.*

<sup>2</sup> *L. 17. Digg. De transfer. legat.*

<sup>3</sup> *L. ult. Digg. De leg.*

<sup>4</sup> *L. 2. De iure bell. cap. 6. §. ult.*

<sup>5</sup> *De iure natur. et gent. l. 4. cap. 10. §. 2.*

<sup>6</sup> Neque duarum personarum consensum ac interventum, utpote vera alienatio, continet.

atque compositam. Vnusquisque enim intelligit formalitates essentielles et constitutivas huiusce actus, non provenire a iure naturae. Siquidem quamvis solemnitates actioni tam seriae, ac tot fraudibus hominum, expositae adhiberi, recta ratio consentiat, eas tamen simplicitatem iuris naturae non praescribere, ac indicare cuique patet. Et sane contradictionem penitus implicare videtur, hominem aliquid velle in illud tempus, quo velle amplius non possit, et dominium rerum suarum tum demum in alium translatum praedordinare et disponere, quando ipse earum non amplius sit dominus. <sup>1</sup> Quod profecto tam a recta ratione esse alienum reputarunt Iurisconsulti Romani etiam, ut ipsi postea non nisi meris fictionibus, tantam contradictionem tolli posse crederent. Inde fingebant idem esse momentum testamenti factio- nis cum momento mortis testatoris, idem momen- tum mortis cum aditione haeredis, utpote et haere- ditatem iacentem nullius esse, et repraesentare per- sonam defuncti. <sup>2</sup>

Praeterea vix potest excogitari ratio, cur super- stites mortuorum voluntatem pro lege habere tenean- tur, maxime cum horum, quaecumque eorundem su- perstitum sit conditio, nihil interesse queat. Quoniam quid mortuorum interest, Petrus an Paulus suis bonis fru-  
frua-

<sup>1</sup> Id quod distinctionem essentialem facit nostrae sententiae, quam paulo post videbimus, ab hac Grotii. Nam sua haec dis- positio concipitur ab eo uti post mortem se aperiens ac exe-rens, nostra autem in tempore vitae concipitur facta ac pro- lata.

<sup>2</sup> Digg. de acquir. et omittend. haered. l. 54. et de reg. iur. l. 197. Instit. l. 2. T. de haered. Instit. §. 2.



fruaturs? Nec facit ad rem, ut recte Heineccius <sup>1</sup> advertit, quod immortales sint hominum mentes, sicuti reposcit Leibnitiussua nova methodo Iurisprudentiæ. Nam ex hoc quod vinculis corporeis mentes exsolutæ subsistant, non sequitur iam, eas rerum suarum dominium retinere, cuius adminiculo usuque non amplius indigent. Cum ergo ius naturæ minime recognoscat testamenti factionem iuxta Romanas leges compositam; <sup>2</sup> consequens est, ut neque testamenta quæ aliæ nationes in more habuerunt, a iure naturæ possint provenire, cum eadem dispositione in tempore mortis reposita, et solemnitatibus a legibus cuiusque populi introductis formentur, ac pendeant, ut ex Aegyptiorum ac Graecorum testamentis patet. <sup>3</sup> Itaque magis ad normam iuris naturæ agebant antiqui Hebraei, qui neque nomen quo testamentum designarent, habebant, sicuti Heineccius erudite demonstrat in sua Dissertat. peculiari: utpote et Germani consuescebant, *apud quos haeredes successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum*, referente Tacito. <sup>4</sup>

III. Veruntamen ex eo quod testamenti factionem iuxta positivas leges conceptam ius naturæ non recognoscat, non inde sequitur omnem dispositionem causa mortis factam a iure naturæ esse reprobatam. Si vero quaeratur, quaenam illæ sint dispositiones a

Q 2

iu-

<sup>1</sup> Elem. iur. nat. et gent.

<sup>2</sup> Hanc Ulpianus definit: *Mentis nostræ iustam contestationem in id solemniter factam, ut post mortem nostram valeat.*

<sup>3</sup> Vide Caesarem: *De bello Civili III. 20. Hirt. de bello Alexan. Plutarc. in Aegid. et Cæom. et in Solone.*

<sup>4</sup> *De moribus Germa.*

iure naturae insinuatae ac receptae? Respondeo non alias, quam illas quibus homines morientes per pacta possessionem rerum suarum in alios transferunt vel quibus ipsi sani ad alios ius succedendi per declarationem non irrevocabilem in casum mortis attribuant. <sup>1</sup> Nam uti quod nostrum est, non modo in praesens, sed etiam in futurum, et post tractum temporis alienare licet, ita et disponere, ac pacisci de substantia nostra in alium sive ad praesens, sive ad futurum tempus transferenda, licebit. Sic quidem Abrahamus liberis destitutus Eleazari procuratori suae bona sua destinaverat; <sup>2</sup> eaque Isaaco, et liberis aliis postea ex Cethura susceptis divisit inaequaliter.

Pacta ergo successoria haud repugnant iuri naturae, uti optime advertit Heineccius et Puffendorfius, <sup>3</sup> sive reciproca sint, sive ex uno tantum latere obligatoria, sive acquisitiva, sive conservativa, sive ordinatoria in praesens, vel in futurum collata, sive dispositiva, sive renunciativa, quidquid in contrarium clament leges Romanae. <sup>4</sup> Nam haec nihil contra bonos mores continent, ut ipsi praetendunt, quamvis hisce aliquando homines, utpote quocumque alio instituto humano abuti queant.

Et cum quisque in traditionem rei suae possit servare legem, quam vult; <sup>5</sup> quisque etiam in pactitia

SUC-

<sup>1</sup> Ita quidem definit Testamentum Puffendorf. *Declaratio voluntatis nostrae circa illos, qui succedere debent in nostras facultates, post mortem nostram, quae usque ad ipsam mortem revocari potest.* De iure nat. et gent. l. 4. cap. 10. §. 3.

<sup>2</sup> *Genes. XV. 3. et 5.*

<sup>3</sup> Loco supra citato.

<sup>4</sup> *Cod. de pact. leg. ult.*

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. l. 4. cap. 10. §. 6. not. 2.

successione tradenda, poterit conditiones illas dicere, quas sibi placuerit, veluti haereditatem transmittere in alium pro parte, vel ex asse, per ius irrevocabile vel revocabile, pure vel sub conditione, vel in diem, et quibuslibet aliis conditionibus, quae sibi disponenti arriserint. Adeo ut non sit naturalis pugna causae testati et intestati, ut sibi male persuasit Pomponius. <sup>1</sup>

III. Porro cum aliquid accipi possit non solum verè, sed etiam ex praesumptione, quoties ex ipsa rei indole licet arguere, alterum rem, quam quis traditurus est, non aspernaturum; hinc venit, ut iure naturae perinde sit, praesens quis consensum declarat, an ob absentiam, rem accipere verbis nequeat: <sup>2</sup> cum vix verendum sit, ne molesta alteri sit illa liberalitas, maxime si successionem lucrosam esse constet ei destinatum, utpote fere semper esse solet. Verum tamen est, quod priore casu ius irrevocabile nanciscitur haeres, nisi facultatem idem revocandi dominus diserte sibi reservaverit, posteriore autem casu ante secutam acceptionem semper manet tradenti revocandi licentia. Itemque haeres vere ac realiter accipiens haereditatem, non amplius eam postea repudiare potest: e contra ille, cuius consensus acceptioque praesumitur, eam sibi delatam libere adire, vel repudiare pollet.

## V.

<sup>1</sup> Digg. De regul. iur.

<sup>2</sup> Potest tamen facto hic etiam consensus declarari, quod gestio pro haerede vocatur, ad differentiam illius declarationis, quae verbis vel signo aliquo manifestatur, quae aditio haereditatis vocatur. Vide Institut. l. 2. T. 19. et Wolf. Institut. iur. natur. P. 3. §. 616.

V. Quare si licet domino disponere de rebus suis in mortem; <sup>1</sup> nulla sane ratio opponitur, ut voluntas sua non modo verbis expressa sit, sed etiam ex praesumptis signis eliciatur, si illam non ipse patefecit expresse. Cum ergo clare pateat, finem atque intentionem aliquid acquirentium, suasque res possidentium et administrantium, non esse, ut illae se mortuis quasi pro derelictis habitae, cuius occupanti cedant, sed ut suis, quos benevolentia prosequuntur, quorumque commodis delectantur, prosint; <sup>2</sup> inde colligimus, successionem eis prae reliquis deberi, quorum in gratiam mortuum bona sua acquisivisse, ac servavisse tanta cura et diligentia, praesumere fas est. Quae praesumptio cum potius cadat in coniunctis quam in extraneis, ideo sanguine coniuncti erunt semper extraneis, atque ex ipsis coniunctis, remotioribus, propiores praeferendi. <sup>3</sup>

Itaque cum liberi inter coniunctos sint propinquiores, ipsi in consecutione haereditatis anteposendi erunt omnibus aliis consanguineis, absque aetatis ac sexus discrimine, quod discrimen utpote a civili le-

<sup>1</sup> Optime Quintilianus Declar. 308. *Neque enim aliud videtur solatium mortis quam voluntas ultra mortem, alioquin potest grave videri etiam ipsum patrimonium, et si non integram legem habet, et cum omne ius in id nobis permittatur viventibus, auferatur morientibus.*

<sup>2</sup> Vide Puffendorf. *De iur. nat. et gent.* l. 4. cap. 11. §. 1. Et Daumatum *leg. cit.* P. 2. T. 1. sec. 1.

<sup>3</sup> Ita Dig. *Cum ratio naturalis quasi lex quaedam tacita liberis parentum haereditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod et in iure civili suorum haereditum nomen eis inductum est, ac ne iudicio quidem parentum nisi meritis de causis, summoventi ab ea successione possunt.* L. 48. T. 20. de bonis dom.

lege introductum ius naturae non recognoscit. Verum si res sit individua, non est dubium, quin primogenito cedere debeat ea lege, ut reliquis fratribus sororibusque, de alimentis aliisque commoditatibus iuxta ipsorum gradus et conditiones provideat ac satisficiat. Tales res individuae profecto sunt regna ac imperia: adeoque ut primogenitorum praerogativa servetur in illis, et ut filii semper puta ad regimen imperiumque aptiores a natura filialibus praeferantur, reuera ratio suadet, ac postulat. <sup>1</sup>

VI. Quamobrem si liberi ex praesumpta voluntate parentum aliis coniunctis praeferuntur; sequi oportet, ut certo constare debeat de iisdem liberis. Nullo porro alio modo de his potest constare, quam matrimonio iusto et approbato. Ideo illi tantum, qui matrimonio legitimo nati sunt, <sup>2</sup> ad patris haereditatem erunt admittendi, non spurii ac vulgo quaesiti. Matri vero, cum certa sit, atque evidens, <sup>3</sup> omnes sane promiscue succedunt. Nihil tamen obstat, quin etiam illegitimis pater dispositione sua prospicere ac providere queat: immo a charitate ac humanitatis iure hoc videtur exactum. <sup>4</sup>

Ex eadem praesumpta voluntate parentum etiam colligi posse videtur, non modo liberos eis succedere,

<sup>1</sup> Vide Puffendorf. *De iur. et gent. l. 4. cap. 11. §. 7.* et Buddeum *in sua Dissertat. de successione primogeniti inscripta*: In qua sane curiose rem pertractat ac erudite.

<sup>2</sup> Digg. l. 2. T. 4. de in ius vocando: *Pater vero is est, quem nuptiae demonstrant.*

<sup>3</sup> Digg. eodem. *Semper certa est mater, etiam si vulgo conceperit.*

<sup>4</sup> Sic enarratur *in Genes. cap. 25.* quod dedit Abraham cuncta quae possederat, filio Isaaco: filiis autem concubinarum reliquit munera.

re, verum etiam horum filios per modum repraesentationis. Nam nepotes in locum filiorum venire, non tamen per capita, sed per stirpem aequitati naturalis convent.

Cum ergo propinquiore coniuñti semper remotioribus sint praeferendi; clare liquet nepotes, etiam si soli existant, anteponeñdos esse parentibus ipsiusmet avi, <sup>2</sup> quamvis gradu proprioribus, et eiusdem fratribus ac sororibus, quamvis gradu paribus. Nam quisque proprior iudicatur non tantum ratione gradus, sed etiam maxime ratione lineae, semper tamen habito respectu ad stirpem, non iam ad capita. Itaque si duo sint filii praemortui, unus quorum reliquerit tres liberos, alter unum tantum; hic unus habebit aequalem portionem tribus illis alterius fratris liberis, cum ipse sui patris stirpem referat eodem modo, quo illi tres proprium patrem repraesentant. <sup>3</sup>

VII. Deficientibus liberis ac linea descendantium, cum parentes sint cognati propinquiore, hi ante alios erunt ad haereditatem defuncti admittendi, aequaliter tamen eiusdem gradus, qui sunt, ad exclusionem gradus remotioris. <sup>4</sup>

Non

<sup>1</sup> Ita Digg. *Liberorum appellatione nepotes, et pronepotes, ceterique qui ex his descendunt, continentur, ac veniunt.* l. 50. T. 16. De verb. signif. Sine dubio nepos filii loco succedit.

<sup>2</sup> Avus enim cum suis parentibus patre et matre est in primo gradu, cum nepotibus vero, est in secundo gradu propinquitatis, in quo gradu sunt quoque ipsiusmet fratres.

<sup>3</sup> Vide Novell. Iust. 118. cap. 1. *Quodcunque autem nepotes fuerint ex uno filio, pro uno filio numerantur.* Et Digg. de excus. Tut.

<sup>4</sup> Plin. Pan. cap. 38. *Sic quoque abunde misera res est, patre*

Non extantibus vero descendentibus vel ascendentibus, congruum est iuri naturae, ut collaterales ex linea obliqua succedant iuxta gradus proximitatem, ita ut omnes illi eiusdem gradus aequaliter ad successionem veniant ac admittantur, exclusis semper remotioribus; <sup>1</sup> cum ratio nulla suadeat, ut inter collaterales locus sit iuri repraesentationis.

Veruntamen cum omnia haec sint potius iuris naturae permissivi quam praeceptivi; ideo nemo facile negaverit, legislatoribus quibuscumque liberum esse, ordinem successionum iuxta exigentiam status, regulare ac dirigere. Vnde sane inter nationes tot varietates postea, circa intestatas successiones provenerunt. <sup>2</sup>

VIII. Tandem si totum hoc intestato succedendi ius ex voluntate praesumpta defuncti ac haeredis nascitur, is vero, cuius consensus praesumitur, haereditatem adire, vel repudiare ad arbitrium potest; nemo non videt ius naturae ignorare omnino haeredes necessarios, adeoque neminem esse haerodem ipso iure, sed talem fieri consensu tantum, sive postea per verba, sive per facta declarato: ita ut neque per testamentum iure naturae liceat testatori legem dicere haeredi, sicuti cum filiis ac servis Romani faciebant, quibus erat permissum, illam legem ferre, quae ipsis placebat, neque eam ullo modo poterant haeredes huiusmodi praeterire. Ob quam rationem Romani Iu-

R

ris-

*filius solus haeres. Et Novell. 118. cap. 2. Si autem plurimi ascendentium vivunt, hoc praeponi iubemus qui proximi gradu reperiuntur.*

<sup>1</sup> Vide ubi supra Novell. cad. *Cognati qui proximi gradu reperiuntur, masculi et foeminae praeponi debent.*

<sup>2</sup> Vide Grotium *De iure bell.* l. 2. cap. 7. §. 11.

risconsulti haeredes in necessarios, in suos ac necessarios, et in extraneos distinguebant: <sup>1</sup> quae omnia ius naturae prorsus ignorat ac reiicit.

At ubi quis succedere alteri statuit, nihil est aequius, quam ut ille conditiones omnes adimpleat, quas ei imponere testator voluit, et ut ipse non solum in iura, sed etiam in eiusdem testatoris onera succedere censeatur. A quo deducere prorsus convenientissimum est, unumquemque haereditatemque, ad omnia iura obligationesque defuncti teneri iuxta tamen vires haereditatis, et non ultra: <sup>2</sup> contra male asserta Romanorum Iurisconsultorum, qui in solidum, atque ad omnes defuncti obligationes, haereditatem indistincte obnoxium esse volebant, <sup>3</sup> saltem antequam inventarii beneficium fuisset introductum. <sup>4</sup>

## CAPVT XII.

### DE IURIBVS AC OFFICIIS, *quae ex dominio oriuntur.*

I. **V**isis variis modis, quibus dominium introducit et acquiritur, nunc superest, ut de iuribus, atque officiis, quae ex eo oriuntur, agamus breviter. Haec vero a nullo alio derivari fonte possunt, quam ab ipsiusmet domini essentia ac constitutione.

<sup>1</sup> *Instit. De haered. qualitate.*

<sup>2</sup> Nam si haeres repraesentat personam defuncti, omnia sua iura ac obligationes in se referre debet.

<sup>3</sup> *Digg. De usufruct.*

<sup>4</sup> *Instit. De testam.*



ne. <sup>1</sup> Siquidem ergo dominium est ius alios omnes rei alicuius usu excludendi, <sup>2</sup> alios autem dum ab usu rei excludimus, nobis solis ea utendi ius contendimus ac praeservamus; ideo hinc primum ori effectum dominii oportet, liberam scilicet de re sua dispositionem, quae revera consistit in iure, suo libito ea utendi et abutendi. At cuius rei usu alios excludere possumus, eo animo profecto rem illam detinere solemus, <sup>3</sup> quae detentio possessio vocatur: adeoque inter effectus dominii possessio etiam adponitur.

Insuper tunc alios rei nostrae usu revera excludimus, quando eam ab altero possessam repetimus: cum vero rem suam ab alio possessam repetere, idem sit ac illam vindicare; consequens est, ut inter nobilissimos dominii effectus etiam ius adnumeretur rem a quocumque vindicandi. Ex quibus patet dominium, possessionem ac vindicationem rei, esse correlata ac consecraria in se.

Praeterea cum ille, cui est dispositio rei suae, quibuscumque usibus ea uti possit; hinc procedit, ut ex ipsius substantia et incrementis, ille omnem utilitatem capere queat, eamque rem immutare ad libitum, meliorare ac destruere quocumque modo vult, id quod usufructuario, commodatario ac conductori, utpote haud dominis minime licet.

R 2

II.

<sup>1</sup> Nam effectus dominii sunt: et effectus a causa deducitur.

<sup>2</sup> Vti supra cap. 9. §. 1. fuit definitum.

<sup>3</sup> Ita definitur possessio in Instit. a Theophilo: *Possessio est rei corporalis detentio cum animo possidendi. Vide Wesembec. in Parat. Digg. l. 41. T. 2.* Qui ultima verba adiicit declarationis gratia.

II. Item cum dominus sit rei suae moderator et arbiter; nihil implicat, quod ipse ius habeat eam alterandi et destruendi, dummodo ex hoc aliis detrimentum non proveniat. Vtpote habet ius etiam rem suam oppignorandi, hypothecandi, alienandi ad libitum in alios libere, vel sub conditione, quo ad fructus tantum, vel cum plena facultate eadem disponendi, cum toto dominio, vel cum dominio utili tantum, modo ei id agenti lex vel pactio non obstat.

Et quia possessio inter effectus praecipuos domini est; <sup>1</sup> facile patet dominum, et apprehendere rei suae possessionem, et eam adversus quemcumque tueri, et vim vi repellere posse, nec interesse, sive quis ipse per se, sive per alium possideat, sive absens solo animo retineat rem. Nam in qua re ius possessionis teneo, aliosque eam occupandi iure impedio, clare liquet, eiusdem dominium etiam solo animo me posse complecti ac detinere.

III. Deinde cum ius vindicandi rem, etiam consequatur dominium; fieri non potest, quin hoc iure uti possimus adversus quemcumque rei nostrae possessorem. Nec quod ad rei ipsius restitutionem attinet, quidquam interest bona fide, an mala ille, qui rem nostram detinet, sit, notus vel ignotus appareat, quandoquidem ab eo non ob factum aliquod, vel

<sup>1</sup> Digg. de rei vindicat. *Effectus dominiorum multiplex est, sed in duobus praecipue conspicitur, quorum primus est, quod dominus habet re sua utendi, fruendi facultatem iuxta leges: alter, quod amissa possessione detur domino rei vindicatio adversus quoslibet possessores ad res recuperandas. Vide Wesembec. in Parati. Digg. l. 41. T. 1.*

vel iniustam detentionem illam reposcimus, sed rem in quam ius nobis est, repetimus independenter a quocumque modo, atque a persona, cuius in manus res ipsa manet ob ius, ac rationem in eam nobis competentem. <sup>1</sup> Igitur cum non sit de novo rem suam redimere, vindicando ac repetendo eam a quocumque ipsam male possideret; aperte constat, dominum rem suam vindicantem, ad restituendum eiusdem pretium non teneri. Quamvis aequitas non patiatur, <sup>2</sup> ut ille cum alterius damno ac iactura locupletetur, et ut impensas factas a possessore bonae fidei in rem utiliter ac necessarie, restituere recuset. Multo magis autem si impensae illae ad praeservationem ac recuperationem rei suae domino contulerunt. <sup>3</sup>

III. Quia vero dominus habet ius, rei suae accessiones ac fructus sibi vindicandi adrogandique, uti iam supra notavimus; <sup>4</sup> quaeritur si possessor ad hos restituendos teneatur? Et respondemus, vel hic in bona fide est, vel in mala fide: si in bona fide fructus extantes tam perceptos, quam percipiendos, uti rei accessiones debet reddere, non autem consumptos. <sup>5</sup> Male fidei possessor vero omnes fructus perceptos, extantes vel non extantes, aut ipsorum pretium reddere tenetur. Verum bonae fidei possessori

<sup>1</sup> Vide Digg. De rei vindicatione.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *De iur. nat. et gent. l. 4. cap. 13. §. 13. cum nota.*

<sup>3</sup> Optime Cicero de offic. l. 2. cap. 3. *Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.*

<sup>4</sup> §. 1.

<sup>5</sup> Bonae fidei possessor fructus consumptos lucratur. Sic leges civil. definiunt *Cod. de rei vindic.*

ri dominum resarcire impensas omnes utiles ac necessarias par est, sicuti paulo ante adnotavimus. Ut pote ex adverso, si ipse bonae fidei possessor ex fructibus perceptis, et distractis, aut consumptis factus est locupletior, aequitate naturali videtur, eundem eorum valorem, detractis impensis, domino restituere debere. <sup>1</sup>

V. Praeterea quaeritur: an possessor bonae fidei rei consumptae, deperditae vel alienatae aestimationem domino praestare teneatur? Et respondetur, vel ille possessor locupletior factus est, et obligatur ad aestimationem rei domino tradendam, vel ad id, in quo factus est locupletior, si tamen dominus in damno manet; vel minime factus est locupletior bonae fidei possessor, veluti si res perit, et ad aliquid praestandum domino haud obstringitur. <sup>2</sup>

Male fidei possessor vero, etiamsi perierit res absque sua culpa, ad illius aestimationem restituendam domino est obnoxius, ipsiusque rei non solum fructus extantes, sed et perceptos ac consumptos, et percipiendos, vel quos neglexit percipere, vel eorum aestimationem domino reddere debet. Et haec sunt iura domini; quae tamen a iure civili ob utilitatem, salutemque Reipublicae restringuntur, atque variantur,

<sup>1</sup> Nam iure naturae aequum est, neminem eum alterius detrimento, et iniuria fieri locupletiozem. *Vti Digg. l. 50. T. 28. de regu. iuris.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 4. cap. 13. §. 8.* Etiam Romani Iuriscons. bonae fidei possessorem solvebant ab omni obligatione absolute rem restituendi vero domino, etsi ille per negligentiam eam amisisset, aut deperdisset. *Si quid dilapidaverunt, vel perdiderunt dum re sua se abuti putant, non praestabunt.* *Digg. l. 5. T. 3. De haeredit. petit.*

tur, ita ut et dispositio, et possessio, et vindicatio adimatur, extendatur, vel restringatur, uti illius gubernatores congruum ac opportunum credunt. Sic videmus leges civiles liberam dispositionem rerum suarum adimere pupillis, furiosis, prodigis, minoribus. <sup>1</sup> Eadem leges, legatarium quantumvis dominum rei legatae, possessionem apprehendere, non patiuntur. <sup>2</sup> Nam iuxta exigentiam salutis Reipublicae, quae lex suprema est, leges civiles possunt permissivas leges naturae mutare, extendere, restringere, ac abrogare, ut et populo est permissum, qui in civitatem coalet, hisce legibus naturalibus permissivis renunciare, immo facto renunciat suam voluntatem, legibus summae potestatis imperantis submitiendo.

VI. Sed cum domino vel inter vivos, vel mortis causa de rebus suis disponere liceat, et tunc tantum ad alterum transmittatur, quantum, is qui alienat, transmittere voluit; facile patet etiam pacto et dispositione prioris domini restringi posse dominii effectus, et tunc sibi plura adrogare possessorem non posse, quam a priore domino accepit: nisi is, qui talem restrictionem fecit, ultro iuri suo renunciaret, vel is plane in rerum natura esse desinat, vel ius suum ex iusta causa amittat. Ita aliquando dispositione prioris domini circumscribitur arctioribus limitibus ius omnem utilitatem e re sua percipiendi, si alteri in illa ususfructus, servitus, antichresis constituitur. <sup>3</sup> Aliquando libertas disponendi restringitur, si utile tantum

<sup>1</sup> *Instit. l. 1. De his, qui iuris sui, vel alieni sunt §. 2.*

<sup>2</sup> *Digg. T. De legatis.*

<sup>3</sup> *Vide supra Cap. X. §. 6.*

tum dominium conceditur, vel si res fideicommissum gravatur.

VII. Iam satis de iuribus, quae ex dominio oriuntur diximus. Cum vero iuri respondeat obligatio; consequens est, ut quot sunt effectus iuris domini, totidem correlatae sint obligationes, quae aliis incumbunt erga dominum. Cum ergo domino libera rerum suarum dispositio insit; iniuriam illi faciunt, nec stant obligationi, in qua sunt, qui eum in illam perturbant, vel ei damnum dant, corrumpendo rerum suarum fructus proventusque. Qui vero damnum alicui affert, iniuriam ei facit, atque eum laedit, <sup>2</sup> et qui laedit, ad resarciendum damnum tenetur, et ad poenam subeundam, ut supra ostendimus: <sup>3</sup> ideo tales perturbatores, aliarumque rerum iniusti contrectatores ad restitutionem refectionemque male usurpatae rei, vel corruptae, atque insuper ad poenam ferendam erunt obnoxii per ius naturae. <sup>4</sup> Etiam Romani Iurisconsulti, illi iniuriam fieri, dicunt, qui re sua, vel publica uti prohibetur. Hinc is tenetur ex lege Cornelia, qui aliquem a piscando in mare repulit, <sup>5</sup> qui alicuius domum vi introit, vel qui alios ab usu rei suae turbavit ac impedivit. <sup>6</sup>

VIII. Porro siquidem possessio ad effectus domini pertinet; consequens est, ut quisque sit obligatus ad

<sup>1</sup> Vide Cap. I. §. 5.

<sup>2</sup> Vide Cap. VII. §. 2.

<sup>3</sup> Ibidem.

<sup>4</sup> Quod autem ad poenam spectat, ius hoc in relationem status ac societatis civilis intelligitur. Vide supra cap. VIII. §. 14.

<sup>5</sup> Digg. De iniuriis.

<sup>6</sup> Digg. eodem.

ad patiendum, unumquemque rerum suarum possessione uti frui quiete ac libere. Quod si quis ab hac possessione directe vel indirecte interverterit aliquem, ille tamquam laedens non solum ad damnum sarcientum, sed etiam ad poenam, quam tali improba usurpatione promeruit, subeundam tenebitur.

Directe quis alterius possessionem intervertit per vim apertam, vel per ablationem clandestinam. <sup>1</sup> Posterius factum furtum vocamus: prius, si in re mobili admittatur, rapinam, sin in immobili, vim vel violentam deiectionem appellamus. Furtum igitur est ablatio clandestina rei alterius inscio domino ac invito, lucri faciendi causa. Si enim contumeliae causa quid auferatur alicui, erit proprie iniuria: sin ut res corrumpatur, damnum: rapina vero est ademptio violenta rei alienae mobilis, invito domino, et lucri faciendi causa facta. Vis denique est deiectio alterius violenta de possessione rei suae immobilis.

VIII. Verumtamen etiam indirecte interverti potest alterius possessio, veluti si quis verbis, <sup>2</sup> vel factis fraudulentis efficit, ut alter possessione sua excidat, id quod defraudationem dicimus. Cum ergo et hoc modo quis laedatur non minus, quam cum furto et rapina, ideo patrans improbe hanc, non

S

mi-

<sup>1</sup> Ita etiam Iuricons. Rom. haec delicta distinguunt: *Rapina, et damnum in turba datum per vim non multum differt a furto, praeterquam quod hoc clandestine fiat, illud vero palam, et vi committatur, atque ideo atrocius delictum est, et furto improbius, Digg. de vi bon. rapt. Vide Wesemb. in Parati. Digg. hoc eodem Tit.*

<sup>2</sup> Iniuria fit re, aut verbis: re quoties manus inferuntur, aut aliquo facto iniuria fit: verbis, quando fit convicium, fraus, dolus alicui. Vide Wesemb. in Parat. *Digg. de iniuriis.*

minore crimine furum ac raptorum se obstringunt. Vti faciunt profecto subdole terminos moventes, pondera aut mensuras adulterantes, alterum inducentes verbis dolosis ad aliquod factum damnosum. Etenim omnia haec crimina conveniunt fine, causa impulsiva et effectu: fine, dum fur, raptor, et defraudans id agunt, ut alios suis rebus spolient: causa, pura dolo malo: effectu tandem, posteaquam omnibus his factis alius fit pauperior.<sup>1</sup>

Quare cum hisce omnibus modis criminose res alterius auferatur, et cum in re sua semper domino competat vindicatio; inde non potest non produci obligatio in perfidioso illo alterius rei detentore, eandem rem vero domino restituendi cum damnis.

Neque vero ille tantum ad hanc restitutionem obnoxius est, qui rem alienam per crimen consequitur, sed etiam ille, cui res huiusmodi sine scelere ac dolo pervenit. Nam cum domino ius rem suam vindicandi competat,<sup>2</sup> a quocumque eam tenet; clare patet huic iuri obligationem in eo, qui illam bona, vel mala fide in manus habet, respondere debere. Adeoque unusquisque, cuius in potestatem res aliena etiam sine crimine venit, operam dare tenetur, ut illa in domini possessionem redeat; unde rem istam non occultandam celandamve, sed eius indicium publice faciendum esse, ut dominus, ostensis domini argumentis, eam repetere possit. Multoque magis oportet huiusmodi possessorem rei non suae promptum

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 4. cap. 13. §. 16.

<sup>2</sup> Vide Institut. l. 4. de action. *Actionibus realibus, sine aliqua contemplatione personae possidentis, petitur rem ipsam vel nostram, vel nobis debitam.*



prum esse ad restituendam rem, si ipsi dominus eam requirat. Atque hæc obligatio assidue perdurat, cum ius naturae vix unquam temporis praescriptionem admittere ac recognoscere soleat, nisi longissima ac immemorabilis sit, <sup>1</sup> quo in casu, ne semper in incerto dominia remaneant, ratio eam consiliat ac vult. <sup>2</sup> AEquitas tamen naturalis exigit, ne bonae fidei possessor propriis impensis hanc restitutionem faciat; utpote etiam ne dominus ex ea utilitates proventusque referat indebitos, cum ipsiusmet possessoris bonae fidei immerito damno. <sup>3</sup>

Verum si non appareat verus dominus, qui rem reposcat, illa nullius esse intelligitur, ideoque merito cedit bonae fidei possessori. Nam nullus alius ius habet eam possidendi nisi dominus: ergo si ille non manifestatur, primo occupanti cedit. Si vero, uti Grotius scite notat, <sup>4</sup> inolevit mos, vel lex sit ab imperante lata, ut tales res sine domino ad publicum populumque pertineant, huiusce rectoribus, aut magistratui ad hoc deputato illae erunt religiose tradendae.

## S 2

## CA-

<sup>1</sup> Ideo assentior, ius naturae expresse non ordinare, ac recognoscere praescriptionem, sed interpretative eam puto suadere, et consentiri ac ordinare. Nam tranquillitas publica vult, ne dominia in incerto perpetuo maneat. Et qui tam longe neglexit rem suam inquirere ac recuperare, quodammodo ad illius alienationem assentiri videtur. Vide *Digg. l. 4. T. 3. et meum Puffendorf. l. 4. cap. 12. §. 3.*

<sup>2</sup> Iuricons. praescriptionem definiunt: *Vt sit adiectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti.* *Dig. l. 41. T. 3. de praescript. et usucap. l. 3. Vide Wolf. Instit. iur. nat. et gent. P. 2. cap. 8. §. 461.*

<sup>3</sup> Vide supra §. 3.

<sup>4</sup> *De iure bell. l. 2. cap. 10. §. 11.*

## CAPVT XIII.

DE COMMERCIO RERVM IN DOMINIO  
*constitutarum, id est de contractibus.*

I. **C**um capite superiore de iuribus ac officiis ex dominio provenientius egimus; nunc restat ut de commerciis, quae ex eadem introductione procedunt, pauca, sed quantum satis fuerint, pertractemus.

Facta occupatione, introductaque proprietate ac dominio, homines, res utiles ita sibi vindicare coeperunt, ut deinceps nemini earum usum concedere obligarentur, sed eas sibi detinere, suisque seponere usibus possent. <sup>†</sup> Vnde id oportuit consequi, ut non eadem omnium hominum facultates essent, rerumque possessiones, sed alii indigerent aliquibus rebus, quibus alii abundarent, alii divites evaderent, alii pauperes: adeoque alter vel ex alterius adparatu, vel ex eiusdem opera, id quod sibi deerat, supplere deberet. Immo cum non omnis proferat omnia tellus, ipsa necessitas homines coëgit, ut ea, quorum copiam haberent, et quae sua arte ac industria componerent, aliis propenso animo indulgerent communicarentque, ut et ipsi alia vicissim, quibus carent, sibi acquirerent ab aliis. Quod dum fecerunt, commercia instituire, dicti sunt. Hinc commutationes, venditiones, locationes, contractusque omnes provenerunt, quibus communitatis negativae, in primor-

<sup>†</sup> Vide Cap. X. §. 3.

mordiis mundi existentis, usui sublato omnino reparatum fuit, provisumque ac uniuscuiusque necessitatibus suppletum.

II. Et revera si homines omnes amore virtutis accenderentur, non esset profecto, ut ullus timeret inopiam. Quis enim dubitaret inter homines ad virtutem compositos, ne ea, quibus indigeret, ipsi ab opulentibus large traderentur? At cum iam virtus, ac charitas in nos prorsus refrixerit ac evanuerit, uti iam supra indicavimus, etiam <sup>1</sup> de eo genere commercii cogitandum fuit, quo alter non solum principio humanitatis, atque imperfecta obligatione, sed quidem obligatione perfecta, et ex fundamento iustitiae ad rerum utilium, quibus egemus, dominium in nos transferendum, et ad nos operis suis laboribusque iuvandos obstrictus esset: ita ut omnium rerum, operationum, artiumque inter homines circulus ac communicatio fieret, in supplementum sane iuris unicuique a principio <sup>2</sup> per communitatem negativam ad omnia competentis.

Quare commercium definimus: mutuum communicationem commutationemque rerum, operarumque necessariarum, vel utilium, cum aliis earum indigis, cupidisve non ex sola imperfecta obligatione, sed ex obligatione perfecta profectam et conformatam. <sup>3</sup>

Cum

<sup>1</sup> Cap. eodem.

<sup>2</sup> Atque sic revera commercium efficitur. Vide Heinecc. *Elem. iur. nat. l. I. cap. 13.*

<sup>3</sup> Hic adnotare oportet, non recte, exacteque definivisse commercium auctores (quos inter Melonius, et Heineccius prostant), qui idem dixerunt, commutationem necessariii cum superfluo: nam indifferens prorsus est ad commercium illa necessariii ac

Cum ergo per commercia vel operae laboresque ac industriae praestentur, vel rerum dominium ac possessio transferatur ad invicem inter homines obligatione perfecta, ea vero obligatio nemini incio, ac iavito sit extorquenda; <sup>1</sup> consequi oportet, ut commercium requirat utriusque consensum. Qui consensus duorum ita conceptus vocatur contractus. Ideo de contractibus est agendum. <sup>2</sup>

III. Igitur cum res, vel operae in contractibus interveniant ac contrahantur et qui earum indigent, easdemque assequuntur, cum aliis resarcire soleant rebus; clare patet, ut fieri possit haec comparatio, communicatio ac refectio, opus esse statuere pretium, vel quantitatem, ex qua rerum operarumque utriusque contrahentis aestimatio, et valor resultet. <sup>3</sup> Ideo contractus et commercia sine rerum pretio vix concipi queunt.

Verum tamen est, non omnes contractus hoc adminiculo necessario indigere: utpote contractus benefici, et qui gratis fiunt, veluti est donatio, commodatum, mutuum, depositum. Hi enim non egent communi pretio, quippe correspectivum valorem aequalitatemque minime poscunt. E contra onerosi contractus, cum onere aequali utriusque partis constant, hu-

superflui reciprocatio. Inde paucis illud licet definire: permutationem rerum, operarumque quarumcumque.

<sup>1</sup> Nemo enim tenetur ad commercium invitatus extra necessitatis casum. Vide Wolf. *Instit. iur. nat.* P. 4. §. 1101.

<sup>2</sup> Vide Thomas. *iurisprud. divin.* l. 2. cap. 11. §. 2.

<sup>3</sup> Optime Aristoteles: Δεῖ ἄρα εἰς τινὶ πάντα μετρεῖσθαι: oportet sane una aliqua mensura omnia admetiri. *Eth. Nicol.* l. 5. cap. 9.

huiusmodi mensura necesse habent, ad hoc ut res operaeque inaequales ad aequalitatem reduci possint. Inde venit postea distinctio contractuum in beneficos, onerosos, atque aleam continentes. Benefici dicuntur, quando alter alteri se ad aliquid praestandum gratis obstringit. Onerosi, quando utrinque aequale onus est. Denique aleam continentes, illi vocantur, in quibus sic dominatur fortuna, ut quod praestatur, alter modo gratis, modo titulo oneroso accipiat.

III. Comparatio autem illa instituitur, vel inter res operasque singulas absque ullo medio interveniente, vel fit ope alicuius mensurae, cum qua reliquae res, operaeque omnes comparantur. Si prius agitur, inde oritur pretium vulgare, <sup>1</sup> quod singulis rebus operisque tribuimus in aliarum comparationem consideratis. Sin posterius, pretium hoc vocatur eminens, quia illo omnia, quae in commercio sunt, tanquam communi quadam mensura aestimamus, quale pretium apud nos est pecunia. In utroque vero proculdubio requiritur aequalitas rei, vel operae, et pretii, ita ut ad invicem pretium, et res operaeve collatae eandem aestimationem, valoremque habere putentur.

A principio tantum vulgare pretium hominibus innotuisse, vel inde desumitur, quod eminens sine plurium consensu constitui nequivit. <sup>2</sup> At vulgare quis-

<sup>1</sup> Vide Puffend. *De iur. nat. et gent. l. 5. cap. 1. §. 3.* Hoc pretium dici potest etiam intrinsecum. Vide meum Puffend. loco citato.

<sup>2</sup> Digg. T. de contrah. emption. *Olim enim non erat nummus: neque aliud merx, aliud pretium vocabatur. Sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilibus permutabat.*

quisque rebus operisque suis, ad arbitrium imponit. Verumtamen cum hoc illa ratione ac fine fiat, ut quisque ea, quae sibi desunt assequi possit; consequens est, ut in imponendo operis rebusque pretio, ratio habenda sit aliorum, a quibus aliquid acquirere optamus: adeoque tanti aestimanda sit res operaque nostra, ut eos tanto pretio ipsas adipisci velle, probabile sit. Nam si adfingamus, aromata sua tanti aestimare Indos, ut pro centenis medimnis frumenti, unam eorum aromatum dragmam dare tantum praetendant, nec ipsi accipient frumentum, quia nullus cum illis conditione tam iniqua permutare voluerit, nec alii comparare sibi poterunt aromata. <sup>1</sup> Atque hoc modo impediatur commercium, cuius quidem causa, introductum est rerum operarumque pretium. Ideo ad hoc ut pretium commercio inserviat, cuius causa inventum est; clare liquet, quod in constitutione illius, ratio haberi debet aliorum, <sup>2</sup> a quibus et nos aliquid acquirere cupimus. Aliter ad finem, cui dirigitur, minime iuvare poterit. <sup>3</sup>

V. Itaque tanti aestimandae sunt res operaeque nostrae, quanti eas alterum, a quo quid percipere volumus, verisimile est sibi comparatum. Vnde apparet, pretium rerum aliquando intendere alterius necessitatem et indigentiam: aliquando rei ipsius raritatem: aliquando ipsiusmet rei artificium, et praestant-

<sup>1</sup> Vti Heineccius advertit optime: *Elem. iur. nat. l. 1. §. 330.*

<sup>2</sup> Nimirum ad illud pretium, quod ille in res, vel operas, quibus commercium fit, admittere ac verisimiliter probare velint.

<sup>3</sup> Hinc Seneca: *Pretium cuiusque rei, pro tempore ac voluntate contrabentium est.* De Benef. l. 6. cap. 15.

stantiam: utpote etiam labores, expensasque in illam factas, pericula eius causa transacta. Denique paucitatem vel multitudinem indigentium, pretium ab aliis huiusmodi rei positum, spem futurae abundantiae vel caritatis. Quae omnes circumstantiae, vel quae plurimae interveniunt, considerandae sunt diligenter, ut in earum relatione adpositum pretium factaque aestimatio ab aliis approbari admittique queat. <sup>1</sup>

Quapropter quamvis homines prava quadam inclinatione naturae propriis rebus immensum pretium valoremque bene saepe attribuere soleant; si tamen ipsi in officio manere velint, atque monitis iuris naturae respondere, easque res propriis usibus adhibere, huius immoderatae affectionis minime rationem habebunt, <sup>2</sup> quae tantum, si agatur de resarciendis damnis, in considerationem venire potest. Verumtamen si haec affectio rationalis sit et moderata, veluti dependens a raritate rei, artificii, vel a commodo ex illa proveniente; nihil obstat, quin eadem etiam in pretio stabiliendo computetur ac intret. <sup>3</sup>

VI. Siquidem, uti iam supra monstravimus, commercia inter homines instituta fuerunt eo fine ut alter ex alterius adparatu, vel eiusdem opera, id quod

T

si-

<sup>1</sup> Hinc Wolf. *Instit. iur. nat.* P. 2. §. 498. et 499. Arguit pretia rerum in statu naturali mutuo consensu determinari: atque ideo hoc aequum pretium appellat, ad differentiam illius pretii minime approbati, ac communi consensu firmati, quod vocat iniquum.

<sup>2</sup> Recte Cicero: *Etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est aestimationis. Difficile est enim finem facere pretio, nisi fecerit libidini.* In Verrem l. 4. cap. 7.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 1. §. 4.

sibi deesset, suppleretur, et pretium quoque non ob aliam causam excogitatum introductumque ab hominibus fuit, quam ut in commutandis rebus ac operis, aequalitas obtineretur. Sed non potuit non saepe contingere, ut nec semper alteri superesset, quod deesset alteri. Saepe alter id, quod alius dare vellet, asperraretur, et ipsarum rerum, quas inter se permutare cuperent homines tam lubrica atque incerta esset aestimatio, ut alteruter nequiret damni non incurrere periculum: <sup>1</sup> quin et aliquando ipsae res commutandae tam magnae molis essent, ut nec commode in loca dissita transferri, nec in itinere commode custodiri possent. Quae incommoda cum viderentur prorsus inevitabilia, ipsa demum necessitas inexit pretium aliquod eminent, sive arbitrarium in pecunia constitutum, quod et admitteretur ab omnibus, et in quo mutua inter rem et pretium ratio facillime posset reperiri, <sup>2</sup> veluti mensura communis omnium hominum consensu firmata ac recepta per tacitam conventionem. <sup>3</sup>

VII. Hic ipse finis pecuniae, vel pretii eminentis requirit, ut in eiusdem compositione, materia nec nimis rara, nec vulgo obvia, nec difficulter in quasvis partes divisibilis, nec iusto fragilior, nec quae dif-

<sup>1</sup> Digg. ubi supra. *Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, ego invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica, ac perpetua aestimatio, difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret.*

<sup>2</sup> Pretium enim rerum ex ratiocinatione commodorum vitae defluxit. *Vide Wesemb. in Parat. Digg. l. 1. T. 1.*

<sup>3</sup> Wolf. definit pecuniam: mensura communis pretii rerum, et operarum. *Instit. iur. nat. P. 2. §. 494.*



facilius custodiri, et quae facile in quemvis locum transferri posset, eligeretur. Quia si nimis rara esset, hominibus non sufficeret: si vulgo obvia, nullius pretii esset: <sup>1</sup> si pretio destitueretur, neque res repraesentaret, neque ab omnibus reciperetur: si non in quasvis aequales partes dividi posset, non obtineretur in commercio per eam aequalitas: si fragilior esset, vel usu detereretur, eiusdem possessores paulatim redderentur pauperiores: denique si nec commode custodiretur, et difficulter in quemvis locum transferretur, idem maneret incommodum, quod commercia ante inventum nummi usum difficiliora reddidisse diximus, <sup>2</sup> ad quod evitandum introductio huiusmodi fuit praecipue conventa ac recepta.

Cum ergo in nulla alia materia omnes hae qualitates virtutesque reperiantur, quam in metallis pretiosioribus, puta auro, et argento, et aere; ideo, haec metalla huic usui adhiberi commodissimum visum est hominibus cultioribus atque inde ex ipsis nummos variae quantitatis <sup>3</sup> signatos imperantis imagine, <sup>4</sup> ac diversitate pretii, iidem cudere voluerunt. Hinc si alia materia urgente necessitate aliquando fuit adhibi-

T 2

ta,

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 1. §. 13. et Montesquium in suo Spir. legum l. 22. cap. 2. Qui sane erudite rem, totamque materiam commercii scite ac concinne pertractat.

<sup>2</sup> §. 4.

<sup>3</sup> Optime Wolf. ubi supra §. 501. *Et quoniam quilibet de valore certus esse debet, atque securus de materia non falsata, eidem inscribenda ratio, quam habet ad eam, quae in numerando pro unitate sumitur, ac imprimendum bonitatis intrinsecae signum, hoc est pecunia signanda.*

<sup>4</sup> Ad hoc ut authentica sint, et tali dato pretio ac valore secure resultent, nec quovis modo adulterari queant.

ta, haec haud idonea ad commercia facienda cum aliis populis apparuit, qui tales nummos profecto respuerunt omnino. Vt videre est de ponderibus ferri informis Lacedemonum, de pelliculis illigatis Carthaginensium, de Affrorum Conchis, <sup>2</sup> quae omnia alii populi semper recusarunt accipere: ita ut ipsa vicem fungi pretii eminentis ac pecuniae, nisi in uno populo, nequirent, et inutilia prorsus ad aliarum gentium commercia promovenda, communicandaque evaderent.

VIII. Pretium nummi definire, ac eundem nummum cudere imperantis pendet potestate, <sup>3</sup> uti infra demonstrabimus. <sup>4</sup> Nihilominus notare oportet, quod sicuti in pretio vulgari ratio habenda est aliorum, a quibus aliquid acquirere cupimus; ita facile patet, etiam pecuniae tale adsignandum esse pretium, quod alias gentes, cum quibus nos commercia habere solemus, non aspernaturas probabile est: adeoque sequendam esse rationem unius metalli ad aliud, quam pleraeque gentes vicinae cultioresque probare consuescunt. Nisi vel alios deterrere, quominus nobiscum commercium exercent, vel nos ipsi insigne detrimentum capere velimus; quae ambo ad impediendum, de-

<sup>1</sup> Plutarch. in vita Lycurg.

<sup>2</sup> Vide Puffendorf. *De iur. nat. l. 5. cap. 1. §. 13.* ubi alia etiam exempla adducit.

<sup>3</sup> Vt pretium hoc nummi ab omnibus subditis approbetur ac accipiatur, a nullo alio potest fieri, nisi ab imperante, in quo omnium subditorum voluntates consistunt.

<sup>4</sup> *L. 2. cap. 8. §. 25. Arist. Eth. l. V. cap. 5. §. 3. advertit:* Quod propter hoc nummus νόμισμα vocatur, quod non natura, sed ex νόμω, id est ex lege est, quae a principis arbitrio dependet.

destruendumque finem nummi collimant, ac e directo tendunt. <sup>1</sup>

Et revera si nummis nostris pretium iusto maius statuimus, alii populi, vel eorum mercium valorem intendunt, ita ut a nobis nummorum maiorem quantitatem repetere velint, quam ab aliis contrahentibus soleant, vel omnino habere cum nobis commercium recusabunt. Si vero minore pretio nummos nostros expendimus, quam gentes vicinae faciant, et nummi nostri ad alias gentes migrabunt, atque nos earum gentium viliores nummos vicissim capiemus, <sup>2</sup> et ipsarum merces eodem modo maiori pretio, id est ingentiori quantitate nummorum acquirere debebimus. Quae omnia quam sint ad detrimentum damnumque nostrum composita, nemo non videt. <sup>3</sup>

VIII. Sed iam ad contractus, quorum medio ac interventu commercia explicantur, veniendum est. Contractus est pactum, propter quod ad dandum, vel faciendum, vel praestandum aliquid homines inter se gratis vel onerose obligantur. <sup>4</sup> Ex hac definitione desumitur facile, inutilem prorsus ac supervacaneam divisionem esse, quam Romani Iurisconsulti faciunt inter pacta, et contractus. Primis enim actionem non dabant leges Romanae. *Ex nudo pacto perspi-*

<sup>1</sup> Hinc Pedius ait: *Pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi.* Digg. T. ad leg. Aquil.

<sup>2</sup> Cum evidenti damno ac praeiudicio rerum nostrarum.

<sup>3</sup> Solet tamen bene saepe pretium nummi aliquid deficere ab ipsius valore vulgari ac intrinseco, quod in imperantis utilitatem vergit. *Vide l. 2. cap. 8. §. 25.*

<sup>4</sup> Iuriscons. Rom. definiunt contractum: *Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur secundum Romani orbis iura.* Vide Gravinam: *Instit. iuris receptioris.*

*spicis, actionem iure nostro nasci non posse.* <sup>1</sup> *Conventiones, quae pariunt actiones, in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: ut emptio venditio, locatio &c.* <sup>2</sup> Sed ius naturae has cavillosas distinctiones vix recognoscit. Ideoque hisce interea relictis civilibus Iurisconsultis, transeamus ad divisionem contractuum. <sup>3</sup>

Vnusquisque intelligit, quod alii contractus nondum invento pretio eminente, neque eo interveniente, habuerunt locum: alii quod invento demum nummo, et pretio antedicto, eoque mediante fuerunt introducti: alii denique quod interveniente, et non interveniente, mediante, et non mediante praedicto pretio usitati fuerunt. <sup>4</sup>

Contractus ante inventum nummum antiquissimus, est permutatio. Initio enim non nisi vice rerum commercia exercebantur, ita ut operae, sive merces inter se permutarentur. <sup>5</sup> Hunc contractum postea retinuerunt gentes omnes, non solum quae auro argen-

<sup>1</sup> *Cod. l. III. T. 65.*

<sup>2</sup> *Dig. l. 2. T. De pactis.*

<sup>3</sup> Vide tamen Caput seq. ubi agitur distincte *De pactis*. Vide Wolf. *Instit. iur. nat.*

<sup>4</sup> Iuriscons. Rom. dividunt contractus ita: *Contractus vel ex re, vel ex verbis, vel ex litteris, vel ex nudo consensu nascuntur. Priores, scilicet, qui re contrahuntur, distinguunt in nominatos et innominatos: nominati sunt mutuum, depositum, commodatum, pignus, indebitum: innominati conventiones illae sunt, do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias.* Vide Gravinam ubi supra.

<sup>5</sup> *Dig. l. 1. de contra empt.* *Olim enim non erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri deest.* Et Tacitus de Germanis cap. 5. *Interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur.* Vide Grotium *De iur. bell.* l. 2. cap. 12. §. 3.

gentoque pretium nullum statuerunt, sed etiam quae admiserunt pecuniae usum. Est ergo permutatio, rei vel operae nostrae pro re, operaque alterius traditio. Quod cum dupliciter fieri possit; primum ut neutra res aestimetur, nullumve ei statuatur pretium, deinde ut ratio utriusque rei pretii ineatur; sequitur ut permutationum duo genera distinguantur. Prior quae dicitur simplex, posterior aestimatoria, illa autem donationi reciprocae, haec emptioni venditioni similis quodammodo evadit.

X. Igitur cum permutatio simplex veluti donationi adsimilis sit; inde venit, ut in ea non sit observanda necessario aequalitas, et quod nullus contraheantium de laesione conqueri queat, nisi dolus ac vis alterius partis accesserit: vel si alter, cuius de laesione agitur, liberam rerum suarum dispositionem, aut mentem sanam non habuerit.

E contra in aestimatoria permutatione aequalitas rigurose servanda est, ita ut per laesionem rescindatur contractus, nisi tamen haec ita levis sit, ut nullam mereatur considerationem. Pretium enim vulgare rerum est duplex: legitimum, et conventionale: posterius latitudinem quamdam admittit, prius aliud in puncto consistit. <sup>1</sup> Hoc ergo cum certum sit, et veluti in punctum constitutum, utpote a lege praecise definitum, qui laesus est in eo, etiam quoad minimam partem pretii, habet rationem damni <sup>2</sup> refectionis. Aliud autem de conventionali dicendum. Nam  
cum

<sup>1</sup> Vide Puffend. *De iur. nat. et gent. l. 5. cap. 1. §. 8.*

<sup>2</sup> Huiusce exemplum in annonâ adest, cui magistratus praefigit pretium.

cum illud latitudinem quamdam admittat, in eo alicuius momenti damnum esse oportet, ad hoc ut laesus ille vel ad compensationem, vel ad resolutionem contractus intendere valeat.

XI. Nec tantum res ab initio permutabant homines, sed etiam operas, vel pro operis, vel pro rebus promittebant et commutabant. <sup>1</sup> Vnde nati contractus do ut facias, facio ut des, facio ut facias, quorum eadem est natura ac indoles permutationum, atque adeo uti permutationes, etiam hi contractus vel simplices sunt, vel aestimatorii sic, ut eadem sint hic observanda, quae de permutatione simplici, et aestimatoria diximus. Ideo si operae ad rem operave alterius comparatae certo aestimantur pretio, tunc servanda aequalitas est, et damnum alicuius momenti resarciendum: sin autem sine aestimatione rei, operarumque aliquid pro re vel opera fit daturque, et tunc omnis quaerela quantacumque de laesione merito cessat, nisi adsit vis aut dolus, uti iam supra de simplici permutatione indicavimus.

XII. Praeterea multi alii contractus recensentur, quibus ante nummum inventum commercia tractari potuerunt. Tales vero sunt omnes gratuiti contractus, quibus id egerunt homines, ut quae sibi iure imperfe-

<sup>1</sup> Genera varia permutationis sunt: veluti do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des. *Vide Wesemb. in Parat. Digg. De permutatione.*

<sup>2</sup> Quod pretium a Wolfio ubi supra §. 497. vocatur primitivum, quod definit: *Valorem quantitatis physicae rei, vel operis mensuratae, ad differentiam derivativi, quod eiusdem maiori, vel minori quantitati respondet in se.* Mihi vero si invertatur haec distinctio et definitio, magis adaequata ac iusta videtur.

fecto, vel ex humanitatis tantum principio debebantur in posterum iure perfecto deberentur. Huiusmodi sunt contractus commodati, depositi, mandati, negotiorum gestionis.

Commodatum enim est obligatio perfecta ad usum rei nostrae, alteri sub conditione restitutionis in specie, gratis praestandum. <sup>1</sup> Nam cum ad officiositatem erga alios exercendam, uti antea monstratum fuit, homines iure naturae sint obstricti; obstricti erunt etiam ad rei suae non fungibilis usum <sup>2</sup> alteri, qui eo indiget, cum obligatione ipsiusmet rei restitutionis praebendum, id est ad res commodandas. <sup>3</sup> Verumtamen cum ex eo quod refrigescerit charitas inter homines, vix sperari possit alterum id sua sponte facturum; ipsa necessitas homines impulit ad inveniendum contractum, quo ad rei suae usum indigentibus hoc modo praestandum obligarentur perfecte: ita ut per hunc societas, ac benevolentia inter eos melius promoveretur, recoleretur, et cresceret. Hunc contractum, clare advertenti patet, non multum differre a precario, inter quos tamen iure civili aliqua differentia existit. Nam commodatum ad certum usum, certumque tempus, vel expressum, vel tacitum datur: precarium autem neque ad certum usum, neque ad cer-

## V

tum

<sup>1</sup> Instit. l. 3. T. 15. *Commodata autem res tum proprie intelligitur, si nulla mercede accepta ac constituta, res tibi utenda data est, alioquin mercede interveniente, locatus tibi usus rei videtur.*

<sup>2</sup> Res fungibilis illa dicitur, quae solet adnumerari, admetiri, adpendi, atque ideo per aequivalentem restitui potest.

<sup>3</sup> At obligatio haec imperfecta est, ad quam nullo modo cogi possumus ante stipulationem contractus. *Vide supra cap. 8.*

tum tempus conceditur, unde quotiescumque libet domino, repetere eum licet. <sup>1</sup>

Ergo cum gratis usus rei praestetur commodato, ac sub conditione eam in specie restituendi; commodatarii est, rem non modo non aliis usibus, quam ad quos illam concessit dominus, adhibere, sed etiam eandem summa sollicitudine, ac diligentia servare: <sup>2</sup> ac proinde usu finito, et domino eam revocante, ipsam in specie restituere, simulque omne damnum culpa sua datum resarcire, et deteriorationes ac praeiudicia reficere. <sup>3</sup> Non vero tenetur ad casum fortuitum, nisi ultro illum in se commodatarius susceperit. Neque impensas in rem factas commodatarius repetere quit, nisi tantae sint, ut mercedem, pro eiusdem locatione solvendam, excedere videantur.

Ex his apparet male Grotium, <sup>4</sup> ac Puffendor-  
fium distinxisse quoad casum fortuitum, res ne apud dominum peritura fuisset, an non, stabiliendo saltem posteriore casu, damnum a commodatario ferendum esse. Nam cum casus fortuiti, a sola providentia divina profecti, nemini imputentur, ii sane

<sup>1</sup> Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. *Vide Digg. l. 43. T. De precario. Vide etiam Wesemb. Parati. In pandectis loco citato.*

<sup>2</sup> *Digg. lib. 13. T. comm. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita, non videbitur reddita, nisi quod interest, praestetur.*

<sup>3</sup> *Digg. l. 44. T. 7. de oblat. et action. In rebus commodatis talis diligentia praestanda est, qualem quisque diligentissimus Pater familias rebus suis adhibet.*

<sup>4</sup> *Grotius De iur. bell. l. 2. 12. §. 13. Puffendorf. De iur. nat. l. 5. cap. 4. §. 6.*



ne nec commodatario imputari poterunt, nisi eos per conventionem expressam, ipse in se suscipere voluerit.

XIII. Idem humanitatis officium et charitas, a iure naturae praecepta, unumquemque obligat, ut alterius res, pro virili sua parte servare studeat. Cum vero et hoc officium ab aliis iure imperfecto tantum poscere possimus, et saepe interest, ut obligatione perfecta, et per pactum expressum res nostrae apud alios depositae custodiantur; eo consilio inventus est contractus depositi, quo sane stipulamur ab aliis, res nostras, ipsis sub depositi fide commissas, gratis custodiri ac diligenter, et quandocumque nobis placuerit, in specie restituui.

Ex hac definitione depositi evidenter resultat, officium depositarii esse, rem depositam summa religione ac diligentia praeservare. Vnde eam vinculis ac involucro exuere, vel suis usibus adhibere, sine consensu domini nequit. Eam restituere debet quandocumque dominus voluerit, nisi aliud suadeat recta ratio, ut in hypothesisi supposita a Cicerone videre est, nempe hominis furiosi repositis

V 2

tis

1 Verum incapibilis sane videtur differentia, quam Rom. Iuriscons. faciebant commodati a precario, quoad casum damni. Nam qui precarium rogavit, solum dolum praestat, commodatarius, iuxta eosdem, etiam culpam levem. Vide Cuiacium observat. lib. 4.

2 Digg. l. 16. T. deposit. l. 1. *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.*

3 Digg. l. 16. T. 3. deposit. *Nec enim in deposito quis salva fide, minorem diligentiam, quam suis rebus, praestabit.*

4 L. 3. De officiis cap. 25.

tis gladium. <sup>1</sup> Ceterum inhumanius putandus est ille homo in genere, qui acceptam in deposito rem, repositi domino restituere recusat, atque cum facinus tam deterius patrare, quisque fatebitur, quanto magis sub fidei ac amicitiae obtentu, hominem inique decipit proditque. <sup>2</sup>

XIIII. Ex eodem fonte promanat contractus mandati et negotiorum gestionis. Nam cum idem principium humanitatis, et naturalis charitatis homines impelleret ad alios, non minus quam seipsos, opere iuvandos; usque dum ad hoc naturae incitamentum fuerunt mortales sensibiles, inutile prorsus omne vinculum obligationis, ad huiusmodi officium inter ipsos homines promovendum obfirmandumque reputabatur. Sed postea quam charitas coepit tepescere inter eos, ipsa necessitas suavitatis, ut in contractum hoc negotium deduceretur: ita ut illum, cui negotia nostra committimus, perfecte obligaremus, ad ea gratis et diligenter expedienda. <sup>3</sup> Qui contractus mandatum vocatur. Quemadmodum is, qui negotia sibi non commissa, ignorante domino, gratis ultroque tractare suscipit, negotia gerere dicitur. <sup>4</sup>

Ex

<sup>1</sup> Optime Seneca de Benef. I. 4. cap. 10. *Depositum reddere, per se res debita ac expetenda est; non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore.*

<sup>2</sup> Hinc Petronius: *Qui ignotos laedit, latro appellatur, qui amico paulo minus quam parricida.* Satir. 4.

<sup>3</sup> Mandatum contractus est, in quo bona fide, alter negotium aliquod honestum committit alteri, gratis gerendum efficiendumque, alter vero suscipit. *Vide Wesemb. in suis Parati. Digg. l. XVII. T. 1. mandati.* Qui negligit tamen ponere in definitione verbum gratis, id quod est characteristicum huiusce contractus.

<sup>4</sup> Vide Digg. I. 3. T. 5. *De negotiis gestis.*

Ex quo etiam obligationem tacitam derivare homines voluerunt, cuius ope quisque, ad aliorum negotia, in se sponte suscepta, accurate ac religiose tractanda obstrictus esset.

Igitur cum mandatarius negotium alienum, fidei suae commissum, in se suscipiat, quid vero, et quantum alio committere quis velit, in arbitrio domini sit; facile patet, mandantem vel certis limitibus circumscribere mandatarium, vel ei liberam facultatem omnia suo arbitrio agendi dare. Primo casu mandatarius non debet fines mandati excedere: altero per aequipollens, atque ad libitum, semper autem intuitu utilitatis mandantis, procul a culpa doloque mandatum expedire potest. <sup>1</sup> Sed utroque casu, mandatarium ad rationem administrationis vel gestionis reddendam, omnemque diligentiam praestandam, obligatum esse, ex ipsa huius contractus natura ac indole colligimus. *Nam quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad commodum tuum conversurus es? Recede de medio, per alium transigam:* ut optime ratiocinatur Cicero. <sup>2</sup> Et revera inutilis prorsus esset conventio, pactumque mandati, si ille, qui mandat, ius impellendi mandatarium ad suae gestionis munus adimplendum, et ad ipsius administrationis rationem reddendam, non haberet. Etenim hoc in casu res tota a solo suo arbitrio penderet, atque adeo in libertatem plenam maneret agendi, vel non mandata, contra ipsiusmet contractus naturam essentialique. <sup>3</sup>

## XV.

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 5. cap. 4. §. 3.*

<sup>2</sup> *In Oration. Quaest. Rosig. cap. 38.*

<sup>3</sup> Vide Daumatum in suis *Leg. civil. iusta ord. nat. P. 1. l. 1. T. 15. Sect. 2.*

XV. Vt pote simile officium mandatori exercens negotiorum gestor, etiam ad easdem obligationes tenetur. Immo maior obligatio huic videtur quodammodo incumbere. Nam dum negotium alterius sibi a nemine commissum, ultro et gratis agendum suscipit, hoc ipso facto suo magis veluti voluntarie ac determinate se obligat, tum ad utiliter gerendum, tum ad omnem, quam negotium admittit, diligentiam praestandam, adeoque etiam ad reddendas rationes, et damna omnia, quae eius culpa data sunt, resarcienda. <sup>1</sup> Nam ei, qui facti causa et auctor est, omnes illius facti effectus merito imputantur. Cum ergo auctor huiusmodi administrationis sit negotiorum gestor, qui alterius negotia ultro ac sponte, nemine committente, tractanda percipit; <sup>2</sup> ei etiam iuste ac rationabiliter imputantur omnia, quae ex tali administratione consequuntur. At consequentia administrationis sunt, rationum redditio, unde officii praestati exacta vel inexacta cura adhibita apparet; et damni dolo vel culpa dati emendatio. Ergo negotiorum gestor ad reddendas rationes, damnaque sive dolo, sive culpa data reficienda obligatus est, uti optime Heineccius ratiocinatur. <sup>3</sup>

Et haec sunt officia eorum, qui in se gratis contra-

<sup>1</sup> Optime Cicero ubi supra: *Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis et obstas? ergo turpissima haec culpa est, quod duas res sanctissimas violas, amicitiam et fidem.*

<sup>2</sup> Digg. de verb. significat. *Gerere significat omnem rem sine verbis, hoc est absque promissione et conventionione factam: quare qui contra conventionem mandati, alterius negotia administrat sponte, gerere proprie dicitur. Vide Wesembec. Paratit. in Digg. ad hunc Titulum.*

<sup>3</sup> Vide *Elem. iur. nat. l. 1. §. 348.*

tractus antedictos, nondum invento pretio introductos, exercere suscipiunt. Restat ut et de officiis illorum, qui tales contractus imponunt, pauca aliqua dicamus. Haec autem officia sunt, ut commodans commodatario, impensas graves in re commodata factas, deponens depositario, quascumque impensas necessarias, mandans mandatario, uti et dominus negotiorum gestori, necessarias et utiles impensas restituere teneantur. Et ut simul hi omnes damna quae commodatarius, depositarius, mandatarius, et negotiorum gestor sine culpa sua propter rem negotiaque aliena in se recepta senserunt, resarcire debeant. Nam in tribus contractibus posterioribus, quisque obligat se ad aliquid gratis dandum, faciendumque, non vero ad damnum alterius gratia ferendum. Neque iustum foret, ut officium suum ultra limites contractus alicui damnosum evaderet. <sup>1</sup> Et quod ad primum, scilicet commodati contractum pertinet, vel ab eo oportet omnino homines abstineri, illumque cum aliquo nullo modo convenire, vel eundem juxta leges fungi ac stipulari, quae profecto impensas necessarias ac importantes <sup>2</sup> in re commodata factas, commodatario a commodante restitui volunt.

XVI. Nunc ad alterum genus contractuum, qui invento iam nummo fuerunt introducti, progrediendum est. Hi sunt praecipui, emptio venditio, locatio conductio. Illa est contractus de re pro certo pretio  
tra-

<sup>1</sup> Digg. l. 17. tit. 1. *Iniquum enim est, damnosum cuique esse officium suum.*

<sup>2</sup> Et excedentes mercedem eiusdem rei locationis. *Vide*

§. 12.

tradenda : <sup>1</sup> haec de usu rei vel operis pro certa mercede praestandis. <sup>2</sup> In emptione venditione pretium est aestimatio ipsius rei pecuniaria. In locatione conductione est pretium aestimatio pecuniaria usus rei, vel operarum. Ex hisce definitionibus patet, emptionem venditionem, locationem conductionem semper hodie requirere pecuniam numeratam, eoque ipso hos contractus a permutatione, et contractibus do ut des, do ut facias, facio ut des, et facio ut facias distinguui. Nam quamvis permutatio aestimatoria emptioni venditioni quodammodo similis videatur, reipsa tamen ab ea differt, quod in venditione intercedat numerata pecunia, in permutatione aestimatoria res pro re detur.

Quare cum emptione venditione id agatur, ut res tradatur alteri pro certo pretio in numerata pecunia consistente; consequens est, ut emptori aequae ac venditori, rem seu mercem notam esse oporteat: ideo non solum eius vitia, ac qualitates venditor emptori indicare teneatur, sed etiam pati, ut hic rem lustret oculis, et aliis modis examinet: ita ut nisi facta sit gustatio rerum, quae ad gustum veneunt, et nisi aliarum facta sit contemplatio ac exploratio, non prius venditio perfecta reputetur. <sup>3</sup> Verum tamen est, dari vitia quaedam, et qualitates tam apertas, et incur-

<sup>1</sup> Emptio et venditio est commutatio rei cum pretio. Vide Gravin. *Instit. iur. recept.* l. 3. T. 5.

<sup>2</sup> *Instit.* l. 3. T. 25. *Locatio est translatio usus rei ad certum tempus in conductorem, accepta ab eo certa mercede, ex quo contractus locator habet actionem locati ad mercedem petendam, conductor actionem conducti ad petendam rem, vel exigendas operas.*

<sup>3</sup> Nisi tamen emptor has diligentias remittere ac negligere velit.

currentes in oculos, quod omnino supervacaneum esset, eas patefacere velle. In his ergo si quis fallitur, is propriae negligentiae poenam merito fert: neque tunc venditoris reticentiae, aliqua culpa poterit imputari. <sup>1</sup> Immo tunc Plinii effatum valet, quod *mala emptio stultitiam domino exprobare videtur.* <sup>2</sup>

XVII. Ex emptionis venditionis contractus descriptione clare patet, in eo servandam esse aequalitatem rei et pretii: adeoque nemo laedendus laesione gravi, neque dolo, neque vi, neque iusto errore, ita ut merito omnis huiusmodi laesio sit emendanda. <sup>3</sup> Dixi tamen, nemo laedendum laesione gravi, ad significandum, quod etiam hic debet repeti supra monitum, laesionem nempe alicuius momenti esse debere, ut ea aliquam considerationem mereatur, et corrigenda sit. Nam et hic pretium non consistit in puncto, sed latitudinem aliquam admittit, cum illud ab hominum arbitrio et conventionem pendeat, atque procedat. <sup>4</sup> Et nimis versutum profecto videretur atque intempestivum, ob quodlibet levisimum damnum, contractum rescindere velle, litibusque infinitis veluti portam aperire in humanae tranquillitatis praecudicium.

Ceterum quod spectat ad errorem in specie, animadvertere oportet, non quemcumque errorem rationem iustam tradere intendandi rescisionem contra-

X

ctus,

<sup>1</sup> Ita Digg. l. 18. T. 1. *Difficile autem est, ut quisquam sic emat, ut ne degustet ac examinet. Si autem hoc negligit, sibi imputet.*

<sup>2</sup> Plin. *Epist.* 24.

<sup>3</sup> Vide Cod. *De contrab. empt.*

<sup>4</sup> Vide supra §. 10.

ctus, <sup>1</sup> sed tantum ille, qui est invincibilis, inculpabilis, involuntarius, et rei essentialis. <sup>2</sup> Alias si quis rem non satis exploratam, nec diligenter visam emit certo pretio, error nocere debebit erranti, nisi venditor illum dolo circumvenerit. Qui enim negligens est, propriae negligentiae merito dat poenas. <sup>3</sup>

XVIII. Hic quaeri solet, penes quem sit periculum rei venditae ante traditionem? Et respondetur, casum ferre dominum. Cum igitur emptor ex iure naturae fiat dominus rei, etiam absque traditione; quia emptio consensu perficitur, uti supra demonstravimus, <sup>4</sup> et perfecta emptione periculum transeat ad emptorem cum dominio: ergo periculum rei venditae, etiam ante traditionem secutam, ad emptorem pertinebit iure naturae. At sicuti certum est, non esse merum casum, qui alterius mora vel culpa provenit, atque adeo qui facto suo alteri damnum dedit, ad illud resarciendum tenetur; inde sequitur, quod si venditor vel in mora tradendi fuit vel culpae alicuius reus, a qua casus ille directe vel indirecte provenerit, tunc ad eum infortunium, periculum, damnumque omne spectabit. <sup>5</sup>

Iux-

<sup>1</sup> Vide Puffend. *De iur. nat. et gent. l. 3. cap. 6. §. 7.*

<sup>2</sup> Digg. l. 18. T. 1. de contrah. emptione: *Si ego mulierem venderem, tu puerum emere existimasti, quia in essentia error est, nulla emptio, nulla venditio est.*

<sup>3</sup> Roman. Iuriscons. volebant laesionem ultra dimidium iusti pretii esse, ut ipsa rationem daret intentandi rescisionem contractus. *Vide l. in causa Cod. eodem.*

<sup>4</sup> Cap. 10. §. 5. Vide Instit. l. 3. T. 24. §. 3. *Cum autem emptio et venditio contracta est, periculum rei venditae statim ad emptorem pertinet, tametsi ea res emptori tradita non sit.*

<sup>5</sup> Vide Digg. l. 18. T. 6. *De peri. rei ven. l. si vina.*



Iuxta sententiam nostram etiam Romani Iuriconsulti definiunt; sed male postea sibi cohaerent conveniuntque, cum ipsi negent non in uno loco, dominium transire emptori, nisi traditione secuta: quod falsum esse, iam paulum ante ostendimus. Nam cum primum de re et pretio conventum fuit inter contrahentes, illudque vel fuerit solutum vel concreditum, contractus emptionis integram suam perfectionem adipiscitur. Diximus tamen pretium solutum vel concreditum, nam aliter emptor haberet rem et pretium in manus, ideoque cum alterius iactura ac praeiudicio fieret locupletior, quod iuris naturae aequitati omnino repugnat.

Siquidem vero venditori, qui in mora tradendi, culpaeve alicuius reus est, res merito perit; facile unusquisque intelligit, emptorem a periculo esse immunem, si venditor, illi offerenti pretium, vacuum rei venditae possessionem tradere recuset, vel non possit. Itemque si rem venditam culpa venditoris vel totam vel pro parte periisse probetur, uti modo etiam diximus.

XVIII. Iam supra indicavimus, in contractibus onerosis illum, qui dominium in alios transtulit certo pretio, teneri de evictione: ideo et venditor, cum transferat rem certo pretio emptori, tenebitur ad e-

X 2

vi-

<sup>1</sup> Vide Cod. de pactis, et Digg. de contrah. emption. *Id tamen agi necesse est in emptione, ut dominium traditione transferatur* Vide Wesemb. in Parati. Digg. hoc eodem Titulo. In Institutionibus tamen contrarium firmatur. *Instit. l. 3. T. 24.*

<sup>2</sup> Digg. l. 18. T. 6. de peri. rei vend. l. 4. *Si in mora tradendi fuerit venditor, ipsi res perit.*

<sup>3</sup> Cap. X. §. 4.

victionem praestandam. <sup>1</sup> Ita tamen si res ex causa contractum antecedente evicta sit, non autem si post venditionem demum aliquid evenerit, cuius causa emptor re sua privaretur, vel si casu, vel vi maiori res ei erepta sit. Quae enim vi maiori contingunt, casu contingere videntur, nam uti haec, neque illa possunt praevideri ac impediri. Sicuti ergo casum perfecto iam contractu emptionis fert emptor, utpote dominus, ita etiam vis maior supra eundem cadere, et damnum quod ab illa proveniet, eidem pertinere debet. Praeterea non est dubium, quin emptor et venditor inter se convenire possint, ne quid evictionis nomine praestetur, sed res sit periculo emptoris. Quisque enim liber est, iuri pro se introducto renunciare: adeoque nihil impedit, ut hoc remittere beneficium emptor non queat. <sup>2</sup>

Quoniam vero emptio et venditio est contractus, contractus autem duorum consensum requirit; facile percipitur, hoc in contractu omnia redire ad consensum: adeoque omnia pacta ei posse adiacere, nisi sint turpia, aut fraudulenta, veluti addictionem in diem, legem commissoriam, pactum de evictione non praestanda, de poena in casum poenitentiae ferenda, <sup>3</sup> quae

<sup>1</sup> Ad hanc evictionem praestandam ex natura contractus tenetur venditor, etiam si nihil super ea convenerit, quia vacuum bonorum possessionem venditorem tradere, et indemnem servare emptorem debet. *Vide Digg. de Evict. l. 21. T. 2. et Wesemb. in Parat. T. eod.*

<sup>2</sup> *Digg. de contrah. emptione. Si venditio facta sit sub conditione, lex contractus servanda est.*

<sup>3</sup> *Vide Puffendorf. De iur. nat. et gent. l. V. cap. 5. §. 4. et Digg. l. 18. leg. 2.*

quae omnia a iure civili exacte explicantur. <sup>1</sup> Eodem principio licet arguere, exceptiones et condiciones quascumque, dummodo hae non sint inhonestae vel impossibiles, a stipulantibus huic contractui posse adijci: <sup>2</sup> utpote et diem, ante quam res non tradatur, vel pretium solvatur, et ut res venditori pro certa mercede locetur, nihil enim inhonesti hoc pactum habet.

XX. Ex hisce provenit postea, quod quamvis emptio et venditio aequalitatem requirat, utriusque tamen contrahentis consensu posse conveniri, ut ob inaequalitatem quantamcumque contractus non rescindatur: id quod evenit per auctionem, quando scilicet pretium non a venditore indicatur, sed ab emptoribus licitando certantibus definitur: ita etiam per emptionem sub hasta, id est tunc cum auctio solemnior, et auctoritate publica instituitur: per aversionem, quando disparis pretii res, vel mensurae non singularim, sed coniunctim aestimatae emuntur: et per emptionem spei futurae rei, quando nempe quis pro re, vel quantitate adhuc incerta, ac ex eventu demum certa futura, certum pretium solvit. In his omnibus cum aequalitas non requiratur, neuter contra-

<sup>1</sup> Addictio in diem dicitur pactum de emptione venditione perficienda, si intra certum diem nemo plus obtulerit. Lex commissoria est pactum de re inempta, si pretium ante certum diem non solvatur. *Vide Digg. de pretio rei venditae.*

<sup>2</sup> Contractus venditionis pure, ac sub conditione contrahi potest, et in diem, dummodo conditio contra leges non sit. Haec vero suspendit contractum, donec existat. *Vide Wesemb. in Parati. Digg. l. 18. de contrah. empt. T. 1.*

trahensium de laesione conqueri potest, <sup>1</sup> nisi vel dolus alterius intercesserit, vel de re quam eventus offert, a contrahentibus non fuerit cogitatum. Hac doctrina quidem decidenda erat famosa lis, olim exorta inter iuvenes Milesios, qui iactum retis emerant, et piscatores Coos, qui cum vendiderunt, atque mari postea extraxerunt tripodem aureum. Nam de piscibus tantum in stipulatione profecto conventum fuit, animoque agitatum: ideo minime emptores illi tripodem praetendere poterant, sed ille piscatoribus adiudicandus fuerat. Vnde equidem iniustum prorsus Apollo, vel melius illius nimis avidi Sacerdotes, iudicium pronunciarunt, eum sapientiori mortalium adiuiciendo. <sup>2</sup> Et haec quoad emptionem venditionem sufficiant.

XXI. Remanet, ut de altero contractu, qui invento demum nummo, ac pretio eminente locum habuit, pauca dicamus, nimirum de locatione conductione. Hic contractus cum sit conventio de usu rei, vel operis pro certa mercede praestandis; consequens est, ut locator conductori debeat rei usum, operasque conventas praestare: adeoque si vel illius culpa, vel casu contingat, ut conductor re uti, vel ipse operas promissas praestare nequeat, merito etiam pro rata cesset promissa merces: immo locator aliquando ad id quod interest, possit conveniri. <sup>3</sup>

At

<sup>1</sup> Per Rom. Iuriscons. nisi haec laesio ultra dimidium iusti pretii esset, ad rescissionem contractus non dabat actionem, uti supra indicavimus §. 7. Vide Vinnium *In Instit. l. 3. T. 24.* de emption. et vendit.

<sup>2</sup> Valer. Max. IIII. in fine.

<sup>3</sup> Haec iuxta Iuriscons. actio conducti dicebatur. *Instit. l. 3. T. 25.*

At hoc in casu damnum grave debet esse ac considerabile: nam in civile prorsus evaderet, quod lucro quovis vellet frui conductor, damnum vero etiam leve respueret ferre. Idemque est dicendum, si locator conductorem a locatione nondum finita sine iusta causa expellere praesumpserit, nam ad damni refectionem illius tam intempestivae expulsionis tenebitur. <sup>1</sup>

Officium vero conductoris est, mercedem conventam locatori solvere tempore praefixo ac stipulato: sicuti etiam rem, quam utendam accepit, in specie finita locatione reddere, utpote eadem boni viri arbitrato uti, damnum sua culpa datum resarcire, <sup>2</sup> nisi iustae causae, veluti hostium incursus, metus pestis, similesque alii casus, conductorem ad hoc necessarium consilium impellant. <sup>3</sup> Nam sicuti ipse a locatore iure exigit, ut res integra et salva tradatur, ut indemnitas praestetur, nec ante tempus eiiciatur; ita aequissimum est, ut quod sibi vult, vel non vult fieri, id et alteri faciat, vel non faciat: maxime cum in hoc consistat aequalitas ab onerosis contractibus inseparabilis absque contrahentium consensu ac voluntate.

De-

<sup>1</sup> Digg. de location. et conduction. l. 19. T. 2. *Si usus rei conductor minime habuit, ut pensio ipsi a locatore remittatur, fas est.*

<sup>2</sup> Instit. l. 3. T. 25. *Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, et si quid in lege praetermissum fuerit, ex aequo et bono praestare.*

<sup>3</sup> Hinc iuxta Iurisconsult. si haec non adimplebantur, locatori competeat, actio locati, conductori conducti. *Vide Instit. l. 3. T. 25. et Vinnium in hunc locum.*

Denique uti contractus hic etiam constat consensu; facile patet, huic quoque adici posse qualiacumque pacta, quae bonis moribus ac legibus haud repugnant: eumque tum pure, tum sub conditione, tum in diem recte iniri. Et cum tacitus etiam consensus verus consensus sit; merito inde deducimus, iure optimo valere insuper relocationem tacitam, si elapso tempore, neuter contrahentium renunciavit contractui. Et tunc intelligitur facta relocatio iisdem legibus ac conditionibus, quas uterque contrahentium probavit in locatione a principio. Hinc procedunt irregulares locationes etiam libellariae, quibus periculum et dominium utile simul in conductorem devolvitur: <sup>1</sup> hinc locationes <sup>2</sup> perpetuae, quae cum emphyteusi conveniunt: hinc socidae, <sup>3</sup> quae a societatis contractu participant.

XXII. Usque adhuc tractavimus de contractibus illis, qui nullam dependentiam a pretio eminenti, nummoque tenent, utpote et de illis, qui invento nummo pretioque antedicto introducti fuerint: nunc proximum est, ut pauca loquamur quoque de illis, qui interveniente et non interveniente pretio eminenti, nummoque exerceri possunt. Eorum autem familiam ducit contractus mutui, per quem intelligimus,

<sup>1</sup> Libellarius est contractus, quo dominus rem suam dat certo pretio sub conditione annui canonis ad tempus.

<sup>2</sup> Est enim consimilis locationi contractus emphyteuticus, libellarius. *Vide Wesemb. in Parati. Digg. T. location. et conduct. Vide supra cap. 10. §. 7.*

<sup>3</sup> Socida est, quando usus pecudum pro viliori annua mercede, aut certa fructuum parte conceditur ea lege, ut si quae illarum pereant, accipiens alias in earum locum substituatur, vel praestet aestimationem.

mus, praestationem rerum fungibilium ea lege factam, ut tantundem quandoque in eodem genere restituatur. <sup>1</sup> Res vero fungibiles vocamus, quas adnumerare, admetiri et adpendere solemus, uti iam supra diximus: <sup>2</sup> unde earum indoles est et natura, ut nullus illarum usus sit, sine abusu ac consumptione: itemque ut solutionem recipiant per functionem, sive per aequivalentem tam in genere, quam in specie: ita ut si debeam centum aureos alicui, ille solum sibi esse fateatur, sive eosdem quos mihi adnumeravit, sive centum alios eiusdem generis ac valoris ipsi reddiderim. Ex quo simul patet, quid nobis sit rem reddere in eodem genere, nempe tantundem tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis reddere.

Inde vero sequitur nova rerum fungibilium proprietas, ut Thomasius in sua *Dissertat. De pretio affectionis observat*: <sup>3</sup> nempe quod in iis tantundem sit idem, nec eae res admittant pretium affectionis, nisi rarissimae sint, et tantundem in eodem genere non facile reperiatur: uti vinum Falernum, Opimianum annorum centum erat Romae, iuxta Petronium. <sup>4</sup> Cum ergo non solum pecunia, sed et quaelibet res fungibilis credi hoc modo possit, id est ut tantundem in eodem genere restituatur; manifestum est hunc contractum, etiam antequam homines pecuniam,

<sup>1</sup> Ex hac definitione resultat, contractum istum gratuitum esse: *Uti leg. Titius. Digg. De praescript. verbis* deciditur.

<sup>2</sup> §. 2. nota.

<sup>3</sup> §. 4.

<sup>4</sup> Satyr. 34.

niam, tanquam communem rerum mensuram, invenerint, locum habuisse, et hodie esse frequentissimum. Frumento enim, vino, nummoque, et quacumque re quae usu consumatur, hic contractus revera potest consistere.

Porro ex dictis colligimus, mutuum esse alienationem, per quam rerum creditarum dominium in debitorem omnino transit. Nam cum in mutuo ea lege praestentur debitori res fungibiles, ut tantundem aliquando in eodem genere reddatur; consequens est, ut debitori facultas detur rebus illis sibi creditis abutendi ad arbitrium: ideoque, debitori, alios quoscumque usu rerum illarum excludendi, ius est. Quod ius, scilicet alios usu rei excludendi, atque ea utendi ad arbitrium, est sane dominium. <sup>1</sup> Salmásius hanc thesim impugnare voluit, sed quo successu, omnes sciunt docti. <sup>2</sup>

XXIII. Cum ergo in debitorem transferatur dominium rei fungibilis per mutuum, <sup>3</sup> atque ille ad tantundem non solum ratione quantitatis, sed et qualitatis reddendum sit obligatus: ideo si pecunia fuerit credita, eiusque valor internus vel auctus vel imminutus fuerit, haec auctio, vel imminutio pro debitore, utpote domino erit, ita ut ille ad summam

<sup>1</sup> Iuriricons. Rom. ita definiunt mutuum: *Contractus, qui re perficitur, in quo rem fungibilem eo animo traditur, ut nunc quidem accipientis fiat, et ut aliquando is non eandem speciem, sed idem genus reddat.* Digg. de rebus credit.

<sup>2</sup> Salmásius in suo tractatu *De foenore, et usuris*, impugnatus a Fabroto, et Wissenbachio.

<sup>3</sup> Cicero l. 3. de orat. *Mutationes fiunt, cum quod non habes, aliunde sumis.*



tantum consecutam per mutuuum, non auctam, vel imminutam, restituendam obstrictus fuerit. Ex hoc clare desumitur etiam, illum, qui accepit rem in mutuuum, ab hac obligatione neque rei fungibilis, quam a creditore acceperat, interitu, neque ullo casu fortuito liberari. Nam si debitor dominus fit rei mutuatae, ipse huiusce interitum ac depravationem, casumque omnem in se suscipere tenebitur: posteaquam res perit domino. Itaque si vinum mutuatum in acetum abiierit, pecunia subtracta fuerit furto, vel alio casu interierit, omnia haec, uti infortunia in debitorem colapsa, censi debent.

Idcirco ex dictis elucet etiam, an usura foenusque liceat apponi huic contractui, veluti praemium rei praestitae in mutuuum? (Usura autem definitur accessio sortis, sive lucrum proveniens ex mutuo) quaestio tot concertationibus agitata inter Catholicos, ac Protestantibus auctores, neque adhuc consopita ac decisa. Nam si contractus mutui gratuitus est, uti supra monstravimus, atque omnes conveniunt, contra huiusce naturam essentiamque, omnino erit, ad stipulari usuram, et retributionem quamcumque, veluti pretium ac stipem contractus huiusmodi. Ita enim non amplius gratuitus fuerit, neque contractus ille, qui constitui intelligitur. Vnde mutuanti deficiet

Y 2

ciet

<sup>1</sup> In mutuo dominium transfertur. Vide *Wesemb. Parati. Digg.* l. 12. T. de rebus creditis.

<sup>2</sup> Vide Daumatium in suis *Legibus Civil. iuxta ordinem naturalem* P. 1. l. 1. T. 6. Sect. 1. et Robertum *Rerum iudicatar.* l. 2. cap. 8. ubi ait: *Mutuuum gratuitum esse, iura volunt.*

ciet titulus, quo innixus, illud augmentum sortis consequi possit. <sup>1</sup>

Praeterea si dominium plenum transfertur in mutuatarium per hunc contractum, sicuti nunc omnes Iurisconsulti consentiunt; evidenter apparet, rem mutuatam mutuanti fructus ferre nequire: quoniam fructus rei ab ipsius domino tantum percipi possunt, aut ab eo, cui ipse cessit, quod hoc in casu non fit, cum mutuarius mutuatæ rei usum, ac proventus omnes habeat. Addatur insuper, quod res fungibilis, infructifera est sua natura, adeoque incapax ferendi fructus eandem mutuanti.

Tandem aequalitas, et iustitia omni contractui essentialis per usuram evertitur. Nam contra iustitiam omnino est, ut mutuans finito mutuo accipiat rem, et pretium, contributionemque usus ipsiusmet rei, quæ non amplius sua est, et quæ perit mutuuario contractu durante. Ita ut mutuatarius ad restitutionem rei, ad pretium usus ipsiusmet rei, deinde ad casus omnes in ferendos obstrictus fit; tempore quo mutuans rem salvam, praeservatamque habet praeterea etiam ipsiusmet rei fructus, proventusque certos consequitur: <sup>2</sup> id quod non minus a iustitiae regulis, quam a charitate respuitur.

XXIII. Nec valet reponere, uti usurarum patroni

<sup>1</sup> Atque equidem, utpote si contrahatur emptio et venditio cum pacto de non transferendo dominio, illud omnino iniustum, nec admittendum fuerit (sicuti *Digg. de contrab. empt.*), quia contra naturam contractus emptionis; ita et usura, quia contra naturam contractus gratuiti, uti revera est mutuum, minime cum ipso mutuo erit compatibilis.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *l. V. cap. 7. §. 15.*

ni solent, iniustum non esse, cum aliis res non gratis communicare, sed mercedem aliquam propter has exigere. Nam respondeo, hoc verum esse, quando agitur de contractibus onerosis, minime vero de gratuitis. <sup>1</sup> Quoniam contra gratuiti contractus naturam est, mercedem accipere velle. Ita enim mutuans ad stipularet sibi a mutuuario gratitudinem, atque animi recognitionem, deinde rem et pretium ipsiusmet usus rei, quod non solum aequitati ac iustitiae, sed etiam lumini naturali ac rationi repugnat.

Eodem modo ac faciliori reiicitur etiam alia harum usurarum propugnantium instantia, nimirum quod mutuarius saepe saepius insigne lucrum in re mutuata faciat, dum creditor interea re sua caret, et crebro non sine damno et incommodo: neminem vero cum alterius damno locupletiolem fieri oportet.

Etenim mutuarii lucrum omnino incertum est, infortuniis atque eventibus, periculisque fere infinitis obnoxium: <sup>2</sup> unde inconueniens prorsus erit iniustumque, quod mutuans hoc in incerto lucrum certum sibi per foenus seponere velit. Quod si mutuans incommodum damnumque huiusce contractus causa patiatur, non incongruum erit, ut in contractus stipulatione lucro cessante, vel damno emergente prius de-

<sup>1</sup> Hic enim, denuo repeto, contractus gratuitus est, id est ut nihil debeat pro eo ultra rem acceptam. Hinc optime Wesembecius advertit: *Quod causa finalis mutui est, ut alii aliorum beneficiis atque auxilio benigne gaudeant, et fruantur.* In Parati. Digg. l. 12. de rebus credit. T. I.

<sup>2</sup> Digg. de reg. iur. l. 10. *Secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.*

demonstrato, huiusmodi reffectio compensatioque conveniatur ac fiat. <sup>1</sup>

Denique nihil etiam dicere iuvat, quod maximum periculum subeat, qui debitori res suas ea lege concedit, ut iis ad arbitrium abuti possit: adeoque non absurdum sit, creditorem ab eo mercedem aliquam pro magnitudine periculi exigere. Siquidem cuique liberum est, dare mutuum, vel non: adstipulari vero hunc contractum, indispensabile fit, atque etiam subire pericula, quae ab eodem contractu minime separari possunt. Ideoque iniustum erit ac prorsus inhumanum, immo absurdum, horum causa mercedem repetere velle, <sup>2</sup> quoniam idem esset, ac stipem exigere contractus stipulationis causa.

Ceterum usura non tantum a iure naturae ac principiis rationis, uti usque adhuc demonstratum est, reprobatur, sed etiam a lege Divina positiva, dicente Christo in Euangelio: *Mutuum date nihil inde sperantes.* <sup>3</sup> Vtpote postea expresse fuit damnata, ac proscripta etiam ab Ecclesiastico iure, sicuti constat ex Concilio Viennensi sub Clemente V. convocato,  
et

<sup>1</sup> Tunc enim creditor titulum iustum habuerit, adstipulandi stipem et contributionem aliquam a debitore. Idem dic et de mora, ob quam semper a legibus civilibus damnum praesumitur, reffectioque adiudicatur. *Vide Fleury Instit. Eccles. P. 3. cap. 13.*

Alius legitimus titulus fructuum nascitur a census constitutione, qui toto coelo differt a mutuo, nam hoc in contractu venditio intervenit, et sors alienatur in perpetuum, ita ut repeti nequeat, quod creditor de census solutione securus est. *Vide Fleury ubi supra.*

<sup>2</sup> Recte Cicero de amicitia: *Benefici liberalesque simus, non ut exigamus aliquid, neque enim beneficium foeneramus.*

<sup>3</sup> *Lucas cap. 6. 35.*

et ex toto Titulo Decretalium de usuris. Nec non ab omni populo civili, ac bene constituta Republica sub gravissimis poenis fuit semper prohibita et interdicta. <sup>1</sup>

Neque adducto Evangelii loco adponi potest interpretatio a Protestantibus auctoribus excogitata, nempe quod hic textus ad mutuum tantum referatur, non vero ad usuram. Nam hac supposita interpretatione, quae sane contra expressum verborum sensum prostrare videtur, non amplius esset verum Christi effatum, quo ait, se ad perficiendam legem, non vero ad eam destruendam venisse, <sup>2</sup> posteaquam usura per veterem legem erat prohibita inter Hebraeos: e contra per Evangelicam legem omnibus esset licita ac permissa. Cum ergo ex dictis appareat clare, usuram a iure naturae, a lege Evangelica, et Ecclesiastica, atque insuper ab omni bene constituta Republica omnino proscripam, improbatam ac condemnatam esse, supervacaneum prorsus foret, de eius improbitate ac iniustitia, ultra verba facere. <sup>3</sup>

XXV. Sequitur eiusdem generis alter contractus, qui dicitur pignus, per quod intelligitur obligatio ad rem creditori in securitatem crediti tradendam. <sup>4</sup> Si

res

<sup>1</sup> Cato de Re rustica. *Maiores nostri, ita legibus posuerunt, furem dupli condemnare, foeneratorem quadrupli.* Cicer. de offic. l. 1. Primum improbantur hi quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut foeneratorum. Vide etiam pro Celio, et Tacitum Annalium 6. In Gallia punitur severe et capite. Ordonnance de Bloi. art. 202.

<sup>2</sup> Matth. 6. 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.*

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 7. §. 16. et Daumatum in suis Leg. Civil. iuxta ord. natur. P. 1. l. 2. T. 6. Sect. 1.

<sup>4</sup> Digg. de pignoribus. *Pignus est ius reale, quo creditor nomi-*

ne

res immobilis in huiusmodi obligatione constituitur absque traditione, Hypotheca appellatur. Si fructus rei pro usura, ac profectu rei debitae relinquuntur, conventio haec, pacti antichretici nomine venit.

Officia pignorantis sunt tradere rem propriam creditori in pignus: adeoque fraudem animadversione dignam esse eius, qui rem alienam veluti sibi commodatam, depositam, locatam, pignori supponit. Insuper pignorantis munus est, dare rem bonae qualitatis ac conditionis absque dolo ac malitia.<sup>2</sup> Creditoris autem, sive eius qui recipit pignus, officia sunt: servare rem pignoratam non minori diligentia, quam suas servare solet: 3 soluto debito eam restituere debitori, talem qualem recipit. Denique cum regulariter casum ferat dominus; consequens est, ut pignoris periculum penes debitorem maneat, isque pignore casu fortuito pereunte ad solvendum, quod debet nihilominus sit obligatus. Neque creditor, si pignus periit absque sua culpa, ad aliquid restituendum tenetur.

Hypotheca, 4 uti adnotatum fuit, in rebus im-

mo-

ne eius, quod sibi debetur, rem obligatam tenet, quamquam et ipse contractus, quo res creditori obligatur, pignus etiam dici possit.

1 Vide Cap. X. §. 8.

2 Nam pignus in gratiam creditoris datur, quo magis ei in tuto sit creditum. Vide Instit. l. 3. T. 15. §. 4.

3 Ea igitur, quae diligens pater familias in suis rebus praestare solet, a creditore pignoris exiguntur. Vide Digg. l. 13. T. 7. De pign. action.

4 Aliquando et Hypotheca a latinis auctoribus pignus appellatur. Terentius in Phormione ait: *Ager oppositus est pignori ad decem minas.*

mobilibus maxime consistit, veluti fundis, aedibus, <sup>1</sup> territoriis, nec non in universitatibus rerum mobilium diffusioribus, quae non aequè facile de loco in locum transferuntur, veluti Bibliothecis numerosioribus, et cellarum vinariarum doliis, atque etiam in iuribus, si inde insignis utilitas ad possessorem redundare possit, et ius huiusmodi sit certum, ut ius ad haereditatem fideicommissariam. Quidquid porro venit creditori tali titulo oppignoratam, in ea re illi ius durat profecto, in quemcumque eadem translata sit: cum alias sine effectu esset hypotheca, atque prorsus inutilis evaderet. <sup>2</sup>

XXVI. Circa pactum Antichreticum hoc est notandum, quod ei locum esse potest tantum in oppignoratione rerum fructuosarum pro debito <sup>3</sup> simul rerum, quae vel sint frugiferae, vel usu non consumuntur. Et cum fructus vice proventuum, vel usus rei debitae stent; hinc venit, eos non notabiliter excedere oportere horum modum ac quantitatem. <sup>4</sup> Neque hoc in contractu creditor de fortuito casu tenetur respondere, nisi aliter conventum fuerit. Nam res in dominio debitoris manet. <sup>5</sup> Quare si ob sterilitatem, calamitatem publicam, vel tempestatem tantum percipere nequiverit creditor, quantum ei pro-

Z

ven-

<sup>1</sup> Hypotheca dicitur, quidquid supponitur obligationi, manente apud debitorem possessione. *Vide Instit. l. 4. T. 6.*

<sup>2</sup> *Vide l. si rem. Digg. de pign. action.*

<sup>3</sup> Veluti pro dotis debito, pro qua fructus debentur. *Vide Datumatum In leg. civ. iuxr. ord. nat. P. 1. l. 1. T. 1. sect. 2.*

<sup>4</sup> Hoc pactum a iure canonico reprobatur, sed sane ipsum per idem ius concipitur factum pro pecunia. *Ca. 1. et 2. Extra. de usuris.*

<sup>5</sup> Et res perit domino.

ventuum creditae rei suae nomine debebatur, illud debitor supplere aliunde debet: <sup>1</sup> nec postea ad aliquid restituendum ipsi debitori erit obligatus creditor, si res absque sua culpa perierit.

Contractibus omnibus antedictis commune est, ut si debitor suum debitum non solverit intra tempus designatum, creditor possit pignus, ac rem Hypothecatam distrahere, <sup>2</sup> atque ex reportato pretio suum creditum cum fructibus satisfacere, reliquo tantum creditori restituto. Quod tamen, si contractui clausula commissoria adiecta fuerit, restitui haud debet. <sup>3</sup>

XXVII. Alter contractus, qui interveniente et non interveniente nummo habuit locum, est fideiussio, <sup>4</sup> id est obligatio ad id, quod alius debet, in subsidium solvendum. Si quis vero in solidum, et una cum alio se obligat, obligatio correalis vocatur, et correus debitor ille: utpote qui alterum, consen-

<sup>1</sup> Dummodo aliud non sit conventum.

<sup>2</sup> Digg. de pign. action. *Venditor si convenerit de distrabendo pignore sive ab initio, sive postea, sive etsi non convenerit, hoc tamen in re utimur, ut liceat distrahere.*

<sup>3</sup> Clausula vel lex commissoria dicitur: pactum de re oppignorata, si intra certum tempus non reluatur, creditori pro sorte et fructibus relinquenda. Quae clausula per leges Rom. prorsus improbat. *L. ultim. Cod. de pactis et pignoribus.* Id quod efficiebant ob creditorum aliquorum insatiabilem avaritiam. Iure naturae tamen quo licet sub quacumque conditione honesta ac rationabili res alienare suas, etiam hoc pactum valet: nisi malitia, aut laesio vel dolus ac pravitatis aperta in eo intervenerit, quo in casu reprobandum esset. *Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 10. §. 14. num. 2.*

<sup>4</sup> Fideiussor accipitur pro eo, qui per stipulationem se pro principali debitore obligat. *Vide l. 1. Cod. de const. pecun.* Quae Cicero Sponsorem appellat. *De offic. l. 3. cap. 4.*



tiēte creditore, obligatione liberat, eamque in se totam suscipit, is expromissor appellatur. Qui omnes contractus, aequae ac pignus, ad maiorem securitatem creditorum introducti fuerunt. Etenim si fides tanta ac probitas inter homines fuisset, ut nullus posset diffidere de altero, neque pignus, neque fideiussionem, correitatem, aut expromissionem quisquam exigeret. Sed nunc perfidia ita humanum genus invasit, ut tot malitiae fulcimentis opus fuerit. Vnde cum Seneca <sup>1</sup> licet exclamare: *O turpem humano generi fraudis confessionem, ac nequitiae publicae.*

Ex definitione fideiussionis contractus patet, pro rebus illis tantum posse fideiuberi, pro quibus licitum est contrahere. Nam si contractus iste in subsidium aliorum, atque additamentum venit; evidens est, principale corruente et ipsum corruere oportere. Ideo cum de eo capite non liceat contrahere, <sup>2</sup> pro eo nec fideiussio fieri poterit. Si tamen multa crimen expiari queat, alium pro alio intercedere, et se ad multam pro reo solvendam in subsidium constituere permissum erit.

Ex eadem definitione desumitur, fideiussorem non teneri, nisi ad id, quod principalis debitor obstringitur, et tunc tantum quando aperte constat, ipsum principalem debitorem non esse solvendo. Ideo Hebraei, <sup>3</sup> Graeci, <sup>4</sup> ac Romani <sup>5</sup> usque ad Iustitia-

Z 2

nia-

<sup>1</sup> *De Beneficiis l. II. 15.*

<sup>2</sup> *Digg. de cust. Reo. l. 3. Nemo potest se contractu, ad poenam corporalem obligare, ideo nec fideiuberere pro ea.*

<sup>3</sup> *Vide Proverb. 20. 16.*

<sup>4</sup> *Thaletis dictum in Diogene.*

<sup>5</sup> *Novella III.*

niani tempora fuerunt prorsus contra rationem, qui admittere solebant creditorem ad conveniendum fideiussorem, antequam ab eo principalis debitor fuisset excussus. Nam illi nullam differentiam inter debitorem principalem, ac fideiussorem ponebant: id quod omnino contra naturam contractus fideiussionis apparet.

Hinc optime a Iustiniano <sup>1</sup> beneficium excussionis ac ordinis fuit introductum. Nam cum fideiussor sit in subsidium tantum principalis debitoris obligatus, nisi illo excusso, atque ad solutionem quaesito, ipsum fideiussorem par est conveniri requirere.

Denique animadvertendum est, plures fideiussores, qui pro iisdem personis, iisdemque rebus intercesserunt, obligaruntque se, pro rata tantum teneri, nisi se ultro in solidum obligationem contraxerint. <sup>2</sup> Inde neque beneficio divisionis, quod a Romanis legibus fuit inventum, fideiussores haud solidari iure naturae indigent. <sup>3</sup> Nisi forte confideiussores aliqui solvendo non sint, atque id fideiussores idonei ignorare non potuerint. <sup>4</sup>

XXVIII. Correi vero, cum teneantur, et se obligaverint in solidum, poterunt conveniri ad arbitrium cre-

<sup>1</sup> Ubi supra Novella III.

<sup>2</sup> Vide Vinnium *In Instit. l. 3. T. 21. §. 4.* Vide meum Puffendorf. *l. 5. cap. 10. §. 9.*

<sup>3</sup> *Instit. l. 3. T. 21. de fideiuss. Ex Epistola Divi Hadriani compellitur creditor a singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatae tempore partes petere.*

<sup>4</sup> *Instit. de fideiuss. §. 4. et Digg. l. 46. de fideiuss. l. 10.* Vide Vinnium ubi supra, et Wesemb. in hunc lib.

creditoris, <sup>1</sup> ita ut ille conventus, ad omne debitum creditori solvendum, erit obstrictus. At solvens ab altero correo redintegrari, atque indemnus fieri debet. Ergo neque hic sane est opus beneficio divisionis, at ex contraria ratione ad supra expositam confideiussorum, cum creditor, quemcumque vult correorum, ad totum debitum solvendum impetere possit. Quia tamen, si uterque reus solvendo sit, et uterque facile interpellari queat, nulla iusta causa est, cur unum urgere, totamque summam ab eo solo extorquere velit creditor: aequitate hoc in casu videtur, creditorem reum utrumque convenire pro sua rata parte. Etenim non patitur humanitas, ut cum alterius incommodo, absque ullo emolumento quidquam exigamus ab altero, quod sine detrimento aliunde consequi possumus.

Tandem ex definitione expromissoris desumitur, eius eandem esse obligationem, ac ipsius debitoris principalis, adeo ut hic expromissione, de consensu creditoris, suo debito liberetur, <sup>2</sup> neque tunc creditor ad eum urgendum amplius venire valeat. <sup>3</sup> Vt pote et si debitor principalis solvat debitum, ad nihil postea neque fideiussor, neque correus, neque expromissor huiusmodi amplius tenetur. <sup>4</sup>

## XXVIII.

<sup>1</sup> Correi dicuntur qui eiusdem debiti se reos, et sponsores una promissione constituunt, quos et comsponsores Cicero ad Atticum ep. 46. vocat. Vide Instit. de stipulation. et Wesemb. in Parat. Digg. T. de duobus reis. Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 10. §. 11.

<sup>2</sup> Expromissor est, qui principalem debitorem se constituit, pro alterius obligatione. Vide Digg. ad SC. Velleianum.

<sup>3</sup> Sed omnes rationes suas in expromissorem, qui in locum prioris debitoris succedit, dirigere debet.

<sup>4</sup> Cod. de fideiuss. l. 2. Non est ambigui iuris, solvente reo, fideiussorem liberari.

XXVIII. Eiusdem characteris ac conditionis contractus societatis est : qui definitur lucri ex collatis rebus , vel operis provenientis , damnique inde emergentis inter plures communicatio. Et sicuti operae , et res aequae ad invicem cum nummo , et sine nummo communicantur ac comparantur , ita et mediante et non mediante ipso nummo , atque antea et post talem introductionem hunc societatis contractum habuisse locum opus est. Ex definitione ergo huiusce contractus apparet , hic agi de communione sociorum consensu firmata. Consensus vero vel expressus est , vel tacitus , atque hic idem , quod ille operatur , ut supra demonstratum fuit. <sup>1</sup> Idcirco consequens est , ut et societas tacito consensu , id est facto , ac signis non minus , quam verbis expressis contrahi queat. <sup>2</sup>

Pro ut inde postea vel omnia bona , vel quaedam tantum , vel res singulares , operaeque conferuntur , societas vel universalis , vel generalis , vel singularis solet appellari. In universali , et generali societate sors quodammodo intercedit , ita ut dividatur lucrum aequaliter inter socios , ac damnum resultans ad ultimum ex massa omnium bonorum , aut operum collatorum in commune , sint haec aequali , vel inaequali aestimatione. In singulari vero aequalitas dominatur , sed respectiva eo modo scilicet , ut qui plus rerum , opera-

<sup>1</sup> Cap. 10. §. ultimo. *Socii* , inquit Cicero in Verrem orat. 5. *putandi sunt , inter quos res est communicata , animo contrahendae societatis.*

<sup>2</sup> Iurisconsult. civiles , ita definiunt societatem : *Vt sit contractus , in quo bona fide contrahentes societatem de rebus honestis in eum eo animo , ut res operaeque , earumque rerum luca et damna , inter ipsos communicentur.* Vide Wesembec. in Parati. Digg. 1. 17. T. *pro socio.*

rumque in commune contulit, tanto plus lucri, damnique ferre debeat, uti observat Grotius. <sup>1</sup>

Quocirca cum in societate universali universa, in generali quaedam bona communia sint, ita tamen ut hic contractus sortem contineat: consequi debet necessario, ut lucrum inter hos socios sit commune et collatio tamen inaequalis esse possit, nec socio liceat conqueri, si exigentibus necessitatibus, unus socius, qui minus contulit altero, plus relative assequatur, vel plus expendat. Itaque socius contractum ab altero aes alienum pro rata debet exsolvere. Neque hoc contra iustum est, nam idem socius fit particeps utilitatum, quas alter adipiscitur, adeoque etiam incommoda et damna ferre tenetur. <sup>2</sup>

XXX. E contra in societate singulari omnimode relativa aequalitas semper est observanda, adeoque qui plus rerum, operarumque in commune posuit, tanto plus lucri, damnique reportare debebit. Vnde patet quod in hac societate aequalitas non refertur ad collationem, sive ad res, vel operas, sed tantum ad divisionem lucri, et damni; quae divisio tamen non aequalitatem poscit absolutam, sed respectivam, nimirum ad ratam rei, operaeque uniuscuius-

<sup>1</sup> De iure bell. l. 2. cap. 12. Vnde si lucrum factum sit duodecim aureorum, et ego contulerim centum, Titius quinquaginta, mihi tribuenda erunt octo, Titio quatuor, quia duplum fructuum ex duplo collatae sortis, ferre debeo. Vide Gravinam *Instit. iur. recept. T. de societate.*

<sup>2</sup> Iuriscons. civiles distinguunt societatem in universalem perfectam, in universalem imperfectam et particularem. Universalis imperfecta illa ab ipsis dicitur, quae a nobis dicta est generalis, veluti haereditas est a multis in commune possessa. Vide De Luca *Instit. civil. l. 3. T. 26.*

iusque in communem positae : quae aequalitas quidem geometrica dicitur , ad differentiam arithmeticae aequalitas , quae est absoluta et universali societati competens. <sup>1</sup>

Quoniam vero in suis rebus quisque alteri quaecumque commodum concedere potest : nemo negaverit , posse socios pactionibus inter se aliud statuere , et in dividendo lucro damnoque , vel aequalitatem arithmeticam , vel etiam quaecumque inaequalitatem probare ac admittere ; dummodo non dolo unius ex sociis , sed voluntaria electione et scientia omnium hoc fiat. <sup>2</sup>

Inde animadvertendum est , quod ex eo quia societas consensu , et per modum conventionis contrahitur , ex eo haud posse deduci secundum principia naturalis iuris , regulam iuris Romani , nempe ut liceat a societate cuique deficere ad arbitrium , dummodo id non intempestive , et in alterius fraudem conficiatur. <sup>3</sup> Nam res omnis redivit ad legem conventionis ; ideo si perpetuam societatem inire placuit contrahentibus , <sup>4</sup> ea debet esse perpetua ; si temporaria , temporaria. Nisi vero si alter sociorum iniuriosus , vel damnosus fuerit , vel leges contractus manifesto violaverit ; etenim hoc casu acquissimum videtur,

<sup>1</sup> Vide Digg. pro socio. *AEQUALIS EST IN PARTICIPATIONE , QUANTUM IN COLLATIONE INAEQUALIS.*

<sup>2</sup> Neque tamen refert aequales sint partes , an inaequales : potest enim conveniri , ut alter unam , alter duas damni , lucrive partes sustineat. Vide Wesemb. in *Parat. Digg. ubi supra.*

<sup>3</sup> *Digg. de leg. l. 77.*

<sup>4</sup> Vide Daumatium in suis *Leg. civ. iuxta ordinem nat. P. 1. l. 1. T. 8. Sect. 1.*

tur, socio liberum esse, ante tempus constitutum societatem deserere.

XXXI. Contractibus modo enunciatis addamus et donationem, per quam intelligimus promissum de re nostra in alterum gratis transferenda. <sup>1</sup> Ex hac definitione licet arguere, non solum pure, sed etiam sub conditione quacumque posse donari, aliisque res proprias tradi: adeoque etiam sub conditione mortis donatoris, vel ipsiusmet contemplatione, donationem fieri posse. <sup>2</sup> Ideo recte dividitur donatio inter vivos, et mortis causa. <sup>3</sup> Rem inter vivos donatam, merito esse tradendam, nec amplius eam revocandi donatori arbitrium superesse, clare patet. Nam a momento illo, quo donatio a donatore fuit manifestata et perfecta, atque ab eo, cui donatur accepta, res donata in dominium eiusdem donatarii transit, ita ut in ea non amplius ius donanti remaneat. <sup>4</sup> E contra, cum res causa mortis donata, nondum in dominium donatarii perveniat, sed usque ad mortem donantis in suo dominio maneat, et nisi data conditione mortis ipsiusmet donantis, in donatarium transeat, atque adeo cum voluntas hominum usque ad mortem mutationibus obnoxia reputetur;

Aa

hinc

<sup>1</sup> Instit. l. 2. T. 7. *Donatio est, quod sponte, et nullo cogente conceditur.*

<sup>2</sup> Donatio aut est simplex, aut ob causam, aut sub modo, aut conditionalis. Vide Wesemb. in *Parat. Digg. T. de donatione.*

<sup>3</sup> Instit. ubi supra. *Duo sunt donationum genera, mortis causa et inter vivos.*

<sup>4</sup> Etiam ius civile hanc donationem irrevocabilem declarat, nisi tamen aut donatarius fuerit ingratus, aut donator post donationem susceperit liberos. Vide *Cod. de donat. l. ultim. et l. si unquam Cod. eodem.*

hinc donatio huiusmodi usque ad mortem donantis profecto revocabilis consideratur. <sup>1</sup>

Reliquum est, ut adnotemus, donatarium re sibi evicta, a donatore minime petere posse evictionis praestationem: nam hanc tantum ob contractus titulo oneroso inuito competere posse, supra iam demonstravimus, <sup>2</sup> minime vero pro gratuitis, quorum numero est donatio. Verum donatario, ad gratum animum recognitionemque verbis factisque donatori testandam, obligationem incumbere, indubitati iuris est. <sup>3</sup>

Ceterum de omnibus generatim contractibus adhuc monendum superest, quod cum ii omnes consensu contrahantur, <sup>4</sup> ab illis etiam solis queunt iniuri, qui vel a natura, vel a legibus consentire non prohibentur. Et quia contractus commercii causa inventi sunt; consecrari oportet, ut de rebus tantum illis contrahi possit, quae honestae, et permittentibus legibus in commercio veniunt: ac proinde nullum valere contractum de rebus turpibus, impossibilibus, et de rebus exemptis per leges commercio. <sup>5</sup> Verum tamen est, quod res commercio a legibus civilibus, non

<sup>1</sup> Vide Cod. *De revoc. donat.* l. 2. Ita ut etiam si aliter cautum inveniat, semper revocari potest. *Vide Cod. de donat.*

<sup>2</sup> Cap. X. §. 4.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 5. cap. 4. §. 1.*

<sup>4</sup> Omnibus enim contractibus consensus intervenit, sine quo nullus contractus subsistit. Vide Gravinam *Instit. iuris recept. l. 3. T. 1.* Et Vinnium: *Consensus communis est omnium contractuum spiritus.* In *Instit. l. 3. T. 23.* Vide et *Digg. de pact.*

<sup>5</sup> Ut sunt res sanctae ac religiosae et sacrae. *Vide Instit. l. 2. T. 1. de rer. divis.*



non a natura exemptae, apud unum populum extra commercium remitti possunt, quae e contra apud alium in commercio constituuntur. In exemplo sint Aegyptii, apud quos erat permissum cadavera parentum oppignorare, 1 quod e contra apud nos turpissimum reputaretur. Hic referri possunt etiam res mancipi et non mancipi Romanorum, de quibus videre est Gravinam. 2

## CAPVT XIII.

## DE PACTIS.

I. Cum ex vetere loquendi consuetudine contractus ad rerum operarumque commercium, 3 pacta vero ad alias res quoque, quae minime in commercio esse solent, referantur; conveniens fuit, nos pacta a contractibus distinguere, quamvis hanc distinctionem vix ius naturae recognoscat, uti iam supra adnotavimus: 4 posteaquam utrumque negotium ex consensu convenientium capiat substantiam. Cum tamen nihil obstat, quominus nos hanc distinctionem admittamus, ideo sequendo Puffendorium, 5 Hei-

Aa 2

nec-

1 Diodor. *Sicut. Bibl.* l. 1. §. 3.2 *De origine iuris* l. 2. §. 44. et Vinnium *In Institut.* l. 2. T. 1. §. 40.3 *Συνάλλαγμα* contractum dicebant Juriscons. Roman. *Vide Digg. de verb. sign.*

4 Cap. super. §. 9.

5 *De iure nat.* l. 5. cap. 3. §. 4.

necciumque, et pacta diversa tractatione a contractibus  
sejungere putavimus. <sup>2</sup>

Quocirca quamquam homines ingenui utriusque  
sexus non sint in commercio, inter eos tamen con-  
veniri solet de nuptiis in futurum, vel in prae-  
sens tempus celebrandis, atque is consensus tum  
sponsalitiis, tum nuptialis sub pactorum nomine  
venit: ita ut a Iurisconsultis Romanis, <sup>3</sup> nusquam  
consensus huiusmodi, contractus nomine appelle-  
tur. <sup>4</sup>

Hisce praemissis, ad naturam pactorum explican-  
dam veniamus. Pacta introducta fuerunt ex eo, quia  
homines nequeunt commode vivere, nisi humanitatis  
et benevolentiae officia ad invicem sibi praestent. Cum  
vero charitas inter eos ita defervescerit, ut de reci-  
proca benevolentia ipsi parum, aut nihil expectare  
possint; atque insuper cum ad haec officia adimplen-  
da, quae imperfecta sunt, uti iam supra ostendi-  
mus, <sup>5</sup> nemo cogi queat; consequens fuit, ut non  
alia ratio esset ea certo consequendi, quam alterius  
consensus ac obligatio. Qui consensus duorum vel  
plurium in idem placitum de dando vel faciendo ali-  
quid,

<sup>1</sup> *Elem. iur. nat. l. 1. §. 285.*

<sup>2</sup> Verum etiam Iuriscons. civiles, pactum nomen generale esse,  
quod comprehendat et contractus, et transactiones, et conventiones,  
sine causa sustinent non uno in loco. *Vide Wesembec. Parati. Digg.*  
*l. 2. T. de pactis.*

<sup>3</sup> *Vide Noodt De pactis, et transaction. cap. 9. et Hertium in*  
*Puffendorf. ubi supra nota 1.*

<sup>4</sup> Huic tamen pacto dabant actionem Rom. Iuriscons. utpote  
et his, quae contractibus adiacebantur: e contra aliis pactis actio-  
nem non dabant. *Vide Vinnium Instit. l. 3. T. 14. §. 4.*

<sup>5</sup> *Cap. VIII.*

quid, <sup>1</sup> dicitur profecto pactum : atque ea , quae nobis ab aliis dari , fierique hoc modo firmamus , pacisci vocamus.

II. Cum ergo a pacta promissis pendeant , promissa a verbis , et cum decipere verbis interdictum , reprobaturumque sit iure naturae ; <sup>2</sup> consequi par est , ut non servare promissa nullo modo per ius naturae liceat. Ergo pacta religiose servanda : nam iis solis genus humanum sustinetur ac viget : unde Cicerō <sup>3</sup> inquit : *Perfidiosum nefariumque fidem frangere , quae continet vitium.*

Praeterea cum executio iustitiae sit fons ac scaturigo omnium officiorum , quae aliis debentur , haec vero praecipiat , ut quod nobis nolumus fieri , nec nos aliis faciamus ; ergo cum nos a nullo decipi velimus pactis , neque nobis licebit , alios pactis ipsis decipere , et contra iustitiam per fidem nostram illudere. <sup>4</sup> Adeoque etiam hac ratione , pacta omnia erunt per ius naturae rigurose observanda.

Denique societas civilis ad quam promovendam , conservandamque homines iure naturae obligantur , nullo modo durare posset absque pactorum religiosa observantia , <sup>5</sup> nam per haec tantum illa componitur  
ac

<sup>1</sup> Ita Ulpianus pactum sane definit : *Duorum , vel plurium in idem placitum consensus.* Digg. De pactis l. 1. Ex hac definitione patet , quod vix ulla differentia est inter pactum et contractum , uti adnotavimus cap. superiori. Vnde utraque capita in unum componi possunt.

<sup>2</sup> Vtpote iam supra cap. 7. §. 9. fuse probavimus.

<sup>3</sup> Pro Roscio Comae. Cap. VI.

<sup>4</sup> Cicer. *Fundamentum est autem iustitiae fides , id est dictorum conventorumque constantia et veritas.*

<sup>5</sup> Vti ex libri sequentis cap. 1. apparebit.

ac sustinetur. Inde eleganter Cicero <sup>1</sup> ostendit, quod ne illi quidem, qui maleficio ac scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae, id est sine pactis vivere. Quibus omnibus argumentis clare evincitur, homines ad pacta adimplenda exacte teneri, et fidem datam per ea nullo modo praeterire posse. <sup>2</sup>

III. Pacta vero vel unilateralia sunt, quae unam tantum partem obligant, vel bilateralia sunt, per quae ambo paciscentes mutuo aliquid promittendo se obstringunt. <sup>3</sup> Adeoque posterioribus pactis tacita inest conditio, unum praestitutum quod promiserit, si et alter ex sua parte pacto satisfecerit. Deinde utraquae sunt vel obligatoria, quibus nova obligatio vel unius vel utriusque partis constituitur, vel liberatoria, quibus obligationes antea constitutae tolluntur, vel mixta, quibus et obligationes priores tolluntur, et novae pro arbitrio paciscentium constituuntur, quales in primis novationes, et transactiones de causis dubiis esse, nemo non percipit. Sed horum omnium eadem est ratio, ut summa fide, et quam religiosissime servanda sint, posteaquam omnia haec dant ius illi, cui paciscitur ea exigendi, quae fuerunt promissa.

Ex

<sup>1</sup> *De officiis* l. 2. II.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 3. cap. 7. §. 8. cum notis.

<sup>3</sup> Hoc est pactum in genere apud Iuriscons. civiles, quod ita definiunt: *Vt sit duorum vel plurium de re sua, seu negotio contrahendo, puta de aliquo dando, vel faciendo honesta et licita conventio.* Quod distinguebant a pacto nudo, ac a pacto convento et speciali, quod nullam mutuum obligationem continet et *συνάλλαγμα*. Hoc autem definebant, *nuda conventio, quae nullam mutuum obligationem contineat, super re certa facta, nullam producat iure civili actionem.* Vide Wesemb. ubi supra.

Ex quibus facile apparet, male a Grotio,<sup>1</sup> et a Puffendorffio<sup>2</sup> distingui pacta in perfecta et imperfecta, scilicet in ea, quae dant ius ad exigenda promissa, et ea quae nullum ius dant ad promissa huiusmodi repetenda, qualia sunt illa, secundum hos auctores, concepta talibus verbis: ego destinavi hoc tibi dare, et peto, ut mihi credas. Nam si haec cavillatio commentumque verum esset, omnia fere pacta et promissa turpiter quodammodo eludi possent. Porro res est prorsus contradictoria, aliquem promittere velle, et alio tamen ius ad exigendum dare nolle. Ergo omnia pacta, ius tradere ad promissorum rerum consecutionem, atque adeo esse perfecta tenendum, dummodo sint rite, recte, ac serio formata.<sup>3</sup>

Ex dictis etiam coniiicitur, iure naturae nihil interesse, stipulationem inter ac nudum pactum. Unde contra iuris naturae principia Romani Iurisconsulti pactis non dabant actionem, nisi stipulatione compositis. Verum est tamen, quod etiam ex Romanorum Iurisconsultorum sententia obligabatur ille, qui nudo pacto aliquid promiserat, eumque qui fidem fefellerat, ipsi non minus perfidum, quam aliae gentes putabant. Quin non imperfectam hanc obligationem existimabant, sed perfectam, siquidem ratione illius locus erat compensationi, novationi, pignori-  
bus,

<sup>1</sup> *De iure belli* l. 2. cap. 2. §. 2.

<sup>2</sup> *Ius natur. et gent.* l. 3. cap. 5. §. 5.

<sup>3</sup> Hinc Cicero ad Heren. *Pacta sunt, quae sine legibus civilibus observantur ex conventionione: quae etiam iure praestari dicuntur* l. 2. Vide Vinnium *In Instit.* l. 3. T. 14. §. 2.

bus, fideiussioni, exceptioni, <sup>1</sup> quae omnia, nisi ab obligatione perfecta provenire queunt. Solum negabant actionem, quia civilem invenerant modum, quo paciscentes uti iusserant, scilicet stipulationem. <sup>2</sup> Unde eam qui negligebant, ipsos perlusorie egisse, nec legitime censebant, sane contradictione quadam ipsiusmet iuris, <sup>3</sup> nec iuxta rationis dictamina. <sup>4</sup>

III. Pactum ergo cum sit duorum in idem placitum consensus, consensus vero duarum, pluriumque voluntatum in eandem rem propositum ac conspiratio; inde consequitur, ut ille consensus tamquam internus intellectus conceptus externo aliquo signo manifestandus sit: aliter ab hominibus cognosci minime posset. Signa autem haec sunt verba, aut literae, aut facta. Illa expressa signa dicuntur, haec tacita, atque desumpta; quae ambo cum ad manifestationem voluntatis nostrae inserviant; facile desumitur, perinde esse, sive expresse, sive tacite consensus declaratur, atque adeo sive verbis, aut aliis signis paciscatur, dummodo ab his, ex communi hominum sententia, clare consensus colligi queat.

Quoniam vero per duarum voluntatum conspirantium in idem propositum, pacta contrahuntur; voluntas autem nihil potest appetere, nisi ab intellectu illu-

<sup>1</sup> Digg. *De compensat.* l. 1. *de novat.* l. 1. *de pactis* l. 10.

<sup>2</sup> Stipulatio erat certa formula verborum constans interrogazione, et responsione tali modo prolata: vis mihi hoc dare? volo. *Digg. de stipulat.*

<sup>3</sup> Propter id, quod diximus supra §. 1. nota 5.

<sup>4</sup> Vide meum Puffend. l. 3. cap. 6. §. 9. et Grotium *de iure bell.* l. 2. cap. 2. §. 1. Ideo ait Paulus: *Omnibus pactis stipulatio subici debet, ut ex stipulatu actio nasci possit.* Sentent. 2. Sen. 22.

illustrata, atque excitata, uti supra iam fuit probatum; <sup>1</sup> inde sequitur, ut quicumque lumine huiusmodi destituitur, valide pacisci nequeat. <sup>2</sup> Adeoque nullius momenti sunt pacta furiosorum, nisi dilucida intervalla habeant, infantium, <sup>3</sup> ebriorum, atque eorum omnium, qui ob lubricum aetatis, vel ob aegritudinem, rem de qua paciscitur, non intelligere, probabile est. <sup>4</sup>

Ad ebrietatem porro quod spectat, distinguere hic minime oportet, uti supra fecimus de imputatione tractando, <sup>5</sup> inter ebrietatem voluntariam, vel involuntariam. Verum dispertienda est ebrietas in varios gradus, ita ut vel modica fuit, aut summa: si modica, cum haec haud tollat omnino usum rationis, pacta concepta in tali statu valere debebunt: si vero fuit summa, cum haec prorsus omne lumen mentis extinguat, pacta ab huiusmodi ebrio firmata, profecto invalida, nullaque erunt reputanda. Nam homines ad paciscendum minime tenentur, uti ad pravas actiones evitandas sunt obstricti. <sup>6</sup> Adeoque omne id, per quod ad illas actiones pravas homines possunt in-

Bb

<sup>1</sup> Cap. II. §. 2.

<sup>2</sup> Vt pote inhabilis ad scienter consentiendum. Vide Grotium *De iure belli* l. 2. cap. 16. §. 6. et seq.

<sup>3</sup> *Instit.* l. 3. T. 20. *Infans, et qui infantiae proximus est, non multum a furioso distat. Et paulo post. Furiosus nullum negotium gerere potest, quia non intelligit, quae agit.*

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 3.

<sup>5</sup> Cap. III.

<sup>6</sup> Vnde Aristoteles *Eth. Nicol.* l. 3. 7. Pittaci legem memorat commendatque, qui duplicem poenam in delinquentes ebrios statuebat, unam propter ebrietatem, aliam ob delictum in tali statu patratum.

citari, aufugere debent: ebrietas cum auferat lumen rationis, disponit ad eiusmodi improbas actiones, id eo propter hoc ab hominibus est devitanda. Unde si quis ab ea captus aliquid pravum gerit, de eo respondere fas est, et auctor reusque actionis illius merito censetur, utpote voluntarie in ebrietatem lapsus, quae in causa est actionis huiusmodi. <sup>1</sup> Paciscens autem cum non sit obligatus ad paciscendum, neque ad id evitandum tenetur, per quod ad involuntarie paciscendum surripi potest, utpote per ebrietatem succedit. Quare paciscens hoc in statu involuntarie pacisci reputatur, neque ad promissa servanda tali pacto facta tenetur, <sup>2</sup> dummodo ebrietas summa sit, ac tollat rationem.

V. Ex hisce principiis colligitur etiam, inutile esse pactum ex ignorantia, vel errore initum. Nam qui errat circa promissa, vel ignorat, quod promittit, voluntate minime pollet. Verum tamen est, quod error, vel ignorantia ad hoc ut reddere inutile pactum censeatur, debet versari circa substantiam rei vel accidentia relevantia; posteaquam si tantum accidentia non importantia, et minime essentialia error aut ignorantia inspiceret, pactum nihilominus valeret. <sup>3</sup> Quamobrem si de diversis personis rebusque, senserint stipulator et promissor, vel si alteruter erraverit circa personam vel rem ipsam, cum talis error vel ignorantia, versetur circa substantiam ac essentiam rei pactae, pactum minime valebit. Si

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 5.

<sup>2</sup> Quippe ad paciscendum minime obstringimur.

<sup>3</sup> Vide Grotium ubi supra §. 23.



vero erretur circa nomen tantum personae, vel minus considerabilem qualitatem, veluti an sit nec ne persona doctoratu insignita, vel frequentans aliquorum hominum consuetudinem, aut societatem, error vel ignorantia hoc in casu, utpote parvi momenti, pactum non infirmabit. <sup>1</sup>

Multo minus valebit pactum, si ad errorem unus paciscentium, opera et dolo malo alterius inductus fuit: quia ille scienter nequit consentire, cuius menti veluti praestigias alter obiecit, ut rem vel personam, de qua pactus est, sibi multo aliter conciperet, ac eam postea re ipsa deprehendit. <sup>2</sup> Porro etsi error a tertii dolo proveniat, inscio altero paciscente, ipsi decepto nihilominus erit liberum, resilire a pacto per huiusmodi errorem concepto, ac praeterea ad refectionem damni ille tertius, subdolos improbusque homo impeti ab utroque paciscente poterit. Quippe non video, qua nixi ratione Heineccius, ac Thomasius velint <sup>3</sup> obstringi deceptum, ad pactum stare. Nam quamvis deceptio a tertio proveniat, ipse voluntarie, et per illius fraudem in pactum venit, atque adeo consensu necessario ad paciscendum omnino defecit: quare pactum

Bb 2

in-

<sup>1</sup> Ita sane Rom. Iuririsc. definiunt: *Quod si ego me virginem emere putarem, cum esset iam mulier, emptio valebit: in sexu enim non est erratum. Ceterum si ego mulierem vendere, tu hominem emere putasti, quia in sexu ac essentia error est, nulla emptio, nulla venditio est.* Digg. l. 18. T. 1. *De contrab. emptio.*

<sup>2</sup> Nec ille, qui tali improbo modo decepit alium, ac promissa extorsit, ut ea adimpleantur, ius habere potest.

<sup>3</sup> Heinecc. *Elem. iur. nat.* l. 1. cap. 14. Thomasius *Iurisprud. divin.* l. 2. cap. 7. §. 49.

inutile, invalidumque erit aestimandum ex suis iisdem principiis.

VI. Deinde cum vis et metus consensus libertatem auferant; consequens est, ut etiam per vim et metum pacta extorta, nulla sint dicenda. Dummodo tamen, qui coëgit non habuerit ius ad exercendam vim, <sup>1</sup> uti magistratus habent. Id quod dicendum est etiam, si tertius insciente paciscente altero, per vim et metum indirecte, ac non deliberate ad hoc, dederit causam ineundi pacti, utpote si etiam ipse paciscens ratum pactum postea fecerit: quia tunc non ex voluntate priore expressa vi, sed ex posteriore ultronea obligatur. Itaque si quis, imminente a latronibus periculo, praesidium sibi ab aliquo mercede luculenta conduxerit, frustra ille comite mercede poscente reponeret, se metu latronum promississe; nam pactio conductoris omnino voluntaria, ac independens est a vi latronum, quamquam indirecte ab ea habuerit causam. Aliud vero est dicendum, si tertius vim adhibuerit expresse, determinate et directe ad hoc, ut paciscens pactum ineat cum aliquo: hoc enim casu, quamvis insciens sit alter paciscens ac absque culpa, cum vis paciscenti facta a tertio, ut pacisceretur ei auferat voluntatem libertatemque necessario in pactis exactam, prorsus inutile pactum huiusmodi erit reputandum. <sup>2</sup> Ideo si tertius exem-  
pli

<sup>1</sup> Digg. l. 4. T. 2. Quod metus causa. *Non eam vim dici potest, quam magistratus intulit, scilicet iure licito, nec ea ab obligatione liberat.*

<sup>2</sup> Optime Seneca: *AEque dignus est poena, qui ipse vim adhibet, et qui ab alio admota ad lucrum suum utitur.* Controvers. l. 4. Controvers. 8.

pli causa armis minitetur aliquem periculo vitae, nisi paciscatur altero certam summam, si is hanc ob metum promiserit, ad eam contribuendam minime tenebitur, quamvis insciens alter paciscens sit violentiae illius: nam qui promisit, ac passus est vim huiusmodi, voluntate ac libertate essentiali, ac necessaria hisce conventionibus per legem exacta haud erat instructus. Ideoque hic etiam apparet, Heineccium ac Thomasium<sup>1</sup> aperte allucinari absque ulla distinctione, generatim et absolute in contrarium decidendo.<sup>2</sup>

VII. Quoniam vero pactum duorum, pluriumve in idem placitum consensu constat: facile desumitur, id non modo in pactis bilateralibus, sed etiam unilateralibus iustam habere rationem, quod promittens non teneatur, nisi alter sibi gratam esse rem promissam ostenderit, atque eam acceptare velle. Verum autem est aliquando hoc praesumi, vel ex statu, vel ex praecedente rogatione eius, cui quid promittitur,

<sup>1</sup> Heineccius *ubi supra* cap. 14. Thomasius *ubi supra* §. 27. Sicuti etiam Puffendorf, qui hanc sententiam tenet. *Ius nat. et gent.* l. 3. cap. 6. §. 7.

<sup>2</sup> Rom. vero Iuricons. confuse, ac incerto pede processerunt. Verum *Digg. l. 4. T. 2.* quod metus caus. optime decidunt hoc modo: *In hac actione non quaeritur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecit: sufficit hoc docere, metum sibi illatum vel vim et ex hac re eum, qui convenitur, et si crimine caret, lucrum tamen sensisse. Nam cum metus habeat in se ignorantiam ac involuntarium, merito quis non adstringitur ut designet, quis ei metum vel vim adhibuit: et ideo ad hoc tantum arctor adstringitur, ut doceat, metum in causa fuisse, ut alicui acceptam pecuniam faceret, vel rem traderet, vel quid aliud faceret.*

tum ex ipsius rei indole ac qualitate : <sup>1</sup> veluti si ille , cui promittitur , re indigeat promissa , eamque indicaverit cupere , aut aliunde quaesiverit.

Praeterea cum pacta ineantur de aliquo praestando , impossibilia vero minime praestari possint ; ideo impossibilium pactorum omissio nemini imputatur , et pacta huiusmodi nulla reputantur. <sup>2</sup> Si tamen , in illa impossibilitate ex sua culpa paciscens devenerit , postquam pactum inierit ; vel si dolo malo promiserit id , quod quamvis absolute impossibile non esset , sibi tamen impossibile noverat , ad damna resarcienda altero paciscenti decepto tenebitur. Ex eadem ratione etiam impossibilia moraliter reputantur , quae contra bonos mores , ac leges sunt. Nam nullus potest velle , ac promittere id , quod contra bonos mores ac leges venit.

Ita nemo non percipit , inutilia esse pacta , et promissa , quibus leges iustitiae humanitatisque refragantur : nec non quae decorem , pietatem , verecundiam laedunt. <sup>3</sup> Vno verbo omnia pacta de rebus turpibus , ac inhonestis sive unilateralia , sive bilateralia sint , nullius momenti , atque interdicta esse putantur. Adeoque pactum de patrandi delicto , de premio pro delicto tribuendo , omnino inutilia , atque reprobata sunt per ius naturae. Siquidem manifesto contradictorium esset , ius naturae fulcire ac sustinere pacta , eidem iuri contraria. Ergo si quis homicidium , sacrilegium se  
fa-

<sup>1</sup> Vide Cap. XI. §. 5.

<sup>2</sup> Digg. de reg. iur. *Ad impossibile nullus obligatur.*

<sup>3</sup> Digg. ubi supra : *Quae contra leges sunt , impossibilia putantur.*  
Digg. de pact. *Quae legibus adversantur pacta , utpote turpia aut dolosa nulla sunt.*

facturum promittat, <sup>1</sup> nullius esse momenti stipulationes putantur.

VIII. Inde colligitur etiam, quemquam non obligari ad praestanda promissa, quae sunt coniuncta cum alterius detrimento. <sup>2</sup> Quippe quia cum ius naturae laedere alios prohibeat, et cum pacisci cum nocumento alterius, laedere alium sit; ideo pacta illa nulla censenda erunt, et iuri naturae ex adverso posita. <sup>3</sup> Nec potest pactum huiusmodi alio damnosum ac noxium, volenti ac urgenti factum valere. Posteaquam non minus poena dignus ille est, qui scienti ac volenti, quam qui invito iniuriam fecit. Neque huic doctrinae reponi potest tritum illud: *volenti non fit iniuria*. Nam huic regulae non est locus, si velle non liceat: velle autem non licet ea, quae Deus vel per rationem, vel per revelationem prohibuit, uti est pactum de propria laesione ac offensa. <sup>4</sup> Quare si quis impius in propriam vitam, pactus est ab alio, ut se obruncet, inutile tale improbum pactum prorsus aestimandum, et nullo modo exsequendum fuerit.

Tandem cum ea tantum pacisci queant ab hominibus, quae ab iisdem praestari possunt; et cum res aliorum, utpote haud existentes in eorum potestate, prae-

<sup>1</sup> Digg. l. 45. T. 1. de verb. oblig.

<sup>2</sup> Cicero: *Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiosè, ne quid simulate, ne quid prave, et cum alterius damno paciscatur.*

<sup>3</sup> Optime Seneca: *Interim scelus est fides.* Trag. Herc. vers. 480.

<sup>4</sup> Hoc in casu id habet locum, quod inquit Seneca: *Scilicet quod lex adbibenti vim non irascitur, sed passo succurrit.* Consolat. III. §. 26.

praestari a paciscentibus nequeant ; <sup>1</sup> consequens est, ut de rebus aliorum, dominis renuentibus, non liceat pacisci : immo nec de propriis, in quibus iam alteri, antiquiore pacto, ius aliquid quaesitum sit. Si vero quis dolo malo aut sciens res huiusmodi promiserit, ipse ad id praestandum, quod interest, obstringi poterit. Verumtamen ille qui se operam daturum promissit, ut alius det faciatve aliquid, ad omnem diligentiam adhibendam tenetur, <sup>3</sup> ut ille rem eandem tradat faciatve, nec plus ab eo legitime exigi potest.

VIII. Insuper si datio et factum, quod promittitur, ab utriusque consensu pendet, sua sponte sequitur, ut in paciscentium arbitrio sit, pure an sub conditione, an in diem, an ex die pacisci velint, <sup>4</sup> easque circumstantias, ac conditiones postea a paciscentibus accurate esse observandas. Conditio autem est certa circumstantia a paciscentibus expressa, a qua pacti effectus suspenditur, tanquam ab incerto eventu, usque dum fuerit adimpleta. <sup>5</sup> In diem dicitur pacisci, quando usque ad certum diem effectus,

ex-

<sup>1</sup> Digg. l. 44. T. 7. de oblig. et action. *Quaecumque gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum efficiunt.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 3. cap. 6. §. 3.

<sup>3</sup> Instit. l. 5. T. 20. de inut. stipul. *Quod si effecturum se, ut Titius daret, sponderit, obligatur.*

<sup>4</sup> Digg. de pactis lib. 2. T. 14. *Convenire licet in praesens, aut ad diem, aut ex die, sub conditione, aut sine conditione, per se ipsum, per nuntium, aut per epistolam.*

<sup>5</sup> Haec a Rom. Iuriscons. dividitur in casualem, vel potestativam vel mixtam. Harum eventus ex fortuna, vel ex honoratae personae voluntate, vel ex utroque pendet. *Vide Cod. l. 6. T. 50. de cad. tollendis. Vide meum Puffendorf. l. 3. cap. 8. §. 4.*

executioque pacti confertur. Ex die vero, quando a tali die effectus pacti incipere paciscentes conveniunt. Vnde potest desumi, conditionem impossibilem pactum reddere inutile ac elusorium. Nam haec conditio non exprimit incertum eventum, sed quem non extitutum, certissimum est: ex quo consequitur, ut nec suspendat effectum pacti, nec sit conditio: atque adeo illi, qui sub tali conditione promiserunt, vel iocantes vel insanientes sunt reputandi. <sup>1</sup>

Idem dici debet etiam de conditionibus turpibus, scilicet de iis, quae sunt contra bonos mores ac leges conceptae. Cum enim de rebus turpibus pacisci non liceat, ut paulo ante <sup>2</sup> demonstravimus; <sup>3</sup> inde merito colligimus, turpes, pravas, inhonestasque conditiones vitiare pactum, eumque qui sub tali conditione promisit, ad illam adimplendam non teneri: immo si adimpleta sit, utrumque paciscentem poenas dari mereri, utpote ambo cum sint directe vel indirecte auctores delicti <sup>4</sup> sub eadem conditione comprehensi: et quod improbum est, ponere conditione, <sup>5</sup> criminis semper ac reprobandum apparet, atque adeo poena puniendum.

X. Demum uti quisque potest alteri committere res, actionesque suas per mandatum ac negotiorum

Cc

ge-

<sup>1</sup> Digg. l. 44. T. 7. de oblig. et action. *Sub conditione impossibili factam stipulationem, constat inutilem esse.*

<sup>2</sup> Cap. X. §. 7.

<sup>3</sup> Digg. l. 45. de verb. oblig. *Turpes conditiones nullius esse momenti, generaliter novimus.*

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 5.

<sup>5</sup> Paul. Sentent. l. 3. T. 4. *Conditiones turpes ac contra leges magis nullius momenti, et pro non scriptis sunt, quam impossibiles.* Vide

Wesemb. in Parat. Digg. l. 45. T. 1.

gestionem ; ita nihil obstat , quo minus quisque per alios pacisci queat : ideoque perinde sit , sive ipse quis paciscatur per se , sive eius mandato alios. <sup>1</sup> Verum tamen est negotiorum gestori non licere , pacisci nomine mandantis , nisi de eius mandato ac consensu expresso , vel evidenter tacito et interpretativo : veluti est ille , qui ab utilitate manifesta derivante in mandantem ex tali pacto desumi potest. Itaque neque hic decisio Heineccii <sup>2</sup> mihi videtur adprobanda , qui nunquam pro absente ignoranteque , negotiorum gestori promittere , licere affirmat. <sup>3</sup> Siquidem promittendo etiam aliquid aliorum nomine , inscientibus ipsis , eorum negotia aliquando utiliter geri possunt ; id quod ipsiusmet officium , ac munus est negotiorum gestoris : nemo enim negaverit , eum qui decem E. G. promisit , ad consequendam summam quindecim alterius generis rei , utiliter negotia gerere.

Postremo observandum est , quod cum nihil discriminis sit per ius naturae , ut supra notavimus , <sup>4</sup> inter pacta et contractus , quoniam utrumque negotium utriusque convenientis consensu capiat substantiam ac implementum ; consequi oportet , ut omnes regulae , quas hoc capite explicavimus , non minus ad

con-

<sup>1</sup> Digg. de pactis l. 2. *Potest quis per alium , quod potest facere per se ipsum.* Vide et Decret. l. 6. de reg. iur. Cap. 68.

<sup>2</sup> *Elem. iur. nat.* l. 1. §. 403.

<sup>3</sup> Procurator autem vel omnium rerum , vel unius rei esse potest. *Vide Digg. l. 3. T. 3. de proc.* Procurator enim certae rei non potest excedere fines mandati , alius iuxta Iurisconsultos excedere potest utiliter agendo. *Vide meum Puffendorf. l. 3. cap. 9. §. 2.*

<sup>4</sup> §. 1.



contractus, quam ad pacta referri debeant: atque inde optime ratiocinetur ille, qui a natura pactorum, contractuum indolem eruendam ducit argumentum. Quapropter etiam capite sequenti tractationem de modis, quibus pacta, contractusque solvuntur, in unum iungemus.

## CAPVT XV.

QVIBVS MODIS OBLIGATIONES EX  
*contractibus pactisque resolvuntur.*

I. **S**upra iam demonstravimus, <sup>1</sup> nihil datae fidei observantia debere hominibus esse sanctius, per quam contractus, promissiones, pactaque implentur ac exsequuntur; unde profecto societas, ac conversatio inter homines nascitur et sustinetur. Ex quo arguere licet, tunc demum paciscentes finem suum esse nactos, quando pacti legibus satisfactum est, et data fides promissioque implementum accepit. Idcirco tunc ipsam obligationem ex pacto, promissoque aut contractu ortam cessare oportere, <sup>2</sup> cum nihil amplius remaneat, cuius causa promissio ac obligatio durare debeat.

Ergo cum cesset obligatio ex pacto promissoque nata, quando pacti legibus satisfactum est, et promissio implementum accepit; <sup>3</sup> consequens est, ut illa tollatur facta solutione, quippe quae nihil aliud est,

Cc 2

quam

<sup>1</sup> Cap. super.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 11. §. 1.

<sup>3</sup> Primus modus solvendi obligationem.

quam naturalis praestatio eius, quod in obligatione est deductum illi, cui quis ex promisso, contractu obstringitur. Praestatio autem haec fieri potest vel solvendo rem ipsam, quae debetur, vel tantumdem, <sup>1</sup> si res fungibilis in obligatione sit. Posteaquam si res non fungibilis debeat, per tantumdem praestationem non liberatur paciscens, nisi ille, cui vicaria praestatio exhibetur, eandem admittat recipiatque.

II. Ex usque adhuc dictis facile desumitur, praestandam esse eandem speciem ab eo, cui usus tantum, vel custodia rei non fungibilis concessa fuit: idem vero genus vel tantumdem ab eo, cui res fungibilis abutenda fuit tradita. Quamobrem creditori invito non licet obtrudere aliud pro alio, multoque minus liceat eum cogere ad partem pro toto, vel rem tardius, aut alio loco, quam legibus contractus cautum est, capiendam; quia omnibus his casibus non praestaretur naturaliter, quod in obligatione fuit promissum.

Ex eodem principio etiam patet, non alii solvendum esse, quam creditori, <sup>2</sup> dummodo leges illum solutionem capere patiuntur, <sup>3</sup> vel ei, cui ipse nomen cessit vel delegavit, vel cui solutionem fieri mandavit: cum alias praestetur quidem quod in obligatione est, sed non ei, cui ex promisso obligatus est

<sup>1</sup> Instit. l. 3. T. 30. quibus modis tollitur obligat. *Solutio rei debitaе, et quidquid vim habet solutionis, dissolvunt obligationem.*

<sup>2</sup> Digg. l. 12. T. 6. de condit. indeb. *Inde indebitum est, non tantum quod omnino non debetur, sed et quod alii debetur, si alii solvatur.*

<sup>3</sup> Digg. l. 46. T. 3. de solut. et liber. *Pupillo solvi sine tutoris auctoritate non potest.*

est debitor, ac propterea leges pacti minime adimplentur.

III. Praeterea cum cesset obligatio ex pacto, quoties eius legibus satisfactum est, et promissio adimplentur, in rebus vero fungibilibus tantumdem pro eodem habetur; hinc venit, ut et compensatione obligatio extinguatur, quae nihil aliud est, quam mutui debiti et crediti, quorum utrumque certam aestimationem habet, <sup>1</sup> contributio. <sup>2</sup> Et revera illum dicimus esse solutum, qui consequitur id, quod in obligatione est. Is vero, cui res fungibilis debebatur, eam proculdubio nanciscitur, si tantumdem acceperit, uti supra animadvertimus. <sup>3</sup> Inde sequitur necessario, ut ei, qui ex huiusmodi obligatione tantumdem percepit per compensationem, solutum esse videatur brevi manu. <sup>4</sup>

Hinc colligi potest etiam, compensationi non esse locum, nisi inter eos, qui sibi mutuo debent: ac proinde frustra obruditor alteri, veluti in solutum, quod nobis a tertio debetur, nisi ultro creditor eam rem, ab alio nobis debitam, acceptare velit. Compensatio ergo admittitur in rebus fungibilibus, <sup>6</sup> quae

<sup>1</sup> Secundus modus solvendi obligationem.

<sup>2</sup> Digg. l. 16. T. 2. de comp. *Compensatio est debiti, et crediti inter se contributio.*

<sup>3</sup> Cap. XIII. §. 11.

<sup>4</sup> Scilicet absque manuali traditione alicuius rei. *Vide Digg. de donat. inter vir. et uxor. l. 24.*

<sup>5</sup> Digg. ubi supra l. 16. *Creditor compensare non cogitur, quod alii, quam creditori suo debet.*

<sup>6</sup> Compensatio fit cum res in suo genere fungibiles ultro citroque debentur, scilicet quantitatis cum quantitate, speciei cum specie eiusdem generis. *Vide Paulum l. 2. cap. 2. Vide Wesemb. Parat. Digg. hoc eodem Titulo.*

quae cum regulariter non recipiant pretium affectionis, certam habent semper aestimationem. Non autem compensari potest una species cum alia, nec diversum genus cum genere diverso, praestationes personales cum similibus praestationibus, quia haec omnia et affectionem admittunt, et incertae sunt aestimationis, ac varii omnino pretii.

Verumtamen si mutuo inter se debentes res huiusmodi, in earum compensationem consenserint, nihil obstat, quin haec possint fieri. Vtpote eodem modo etiam queunt admitti compensationes inaequalium quantitatum, usque ad concurrentem summam. Et quamvis regula sit, quod non detur compensatio de liquido ad illiquidum, <sup>1</sup> si tamen creditor liquidus compensationem facere velit cum illiquido debito, nihil est, cui quis reponere valeat.

III. Porro cum ille satisfactus videatur, qui nihil a debitore exigere vult, et quisque se iure, quod in favorem sui invectum est, abdicare ac respuere possit; consequens est, ut et condonatione et remissione, quaevis solvatur obligatio. <sup>2</sup> Per eam quidem intelligimus renunciationem creditoris, qua iure suo exigendi debitum, ultro se abdicat. <sup>3</sup> Et cum unum

<sup>1</sup> Digg. l. 16. de comp. *Ob compensationem necessum est, ut debitum sit purum, non suspensum conditione, aut dilatatum die, ac insuper etiam liquidum, alioquin non servaretur aequalitas, si puro ceteroque debito et liquido, permissum esset obicere, et compensare non liquidum debitum et conditionale.* Vide et Wesemb. Parat. Digg. in hoc Titulo.

<sup>2</sup> Tertius modus solvendi obligationem.

<sup>3</sup> Digg. de divers. reg. iuris. *Nihil tamen naturale est, quam eo modo quidque dissolvi, quo colligatum est. Omnia, quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt.*

unum et idem sit, sive quis animi sententiam verbis, sive factis, aut aliis signis demonstrat; perinde etiam esse patet, sive verbis quis acceptum proferat, sive factis indicet, veluti redditione, vel combustionem, vel laceratione chirographi: dummodo de contraria mente creditoris alioquin non constet, vel ab alio, quam a creditore chirographum illud consumptum destructumque, vel casu fortuito liquido appareat. Ideo si incendio orto conflagraverit chirographum, vel fures idem abstulerint, inutiliter a debitore remissionem debiti praetendi posset. E contra recte sibi remissa debita ac tributa, Romani reputare poterant, tunc cum Hadrianus horum chirographa, et rationes omnes immensa liberalitate comburi iussit. <sup>1</sup>

V. Insuper cum nihil sit tam naturale, quam eodem modo quidque dissolvi, quo colligatum est; <sup>2</sup> consequi debet necessario, ut pacta bilateralia, quae mutuo consensu formantur, et mutuo consensu dissolvi <sup>3</sup> queant: <sup>4</sup> dummodo tamen leges positivae non obstant prohibeantque, eo quia contractum aliquem indissolubilem declaraverint. Vtpote de matrimonio succedit, quod inter Christianos indissolubile esse, nemo ignorat: quodque e contra per leges Romanas, Hebraeas, Graecasque impune resolvebatur: atque hoc etiam de donationibus inter vivos per le-

<sup>1</sup> Spartian. Hadrian. cap. 6.

<sup>2</sup> Digg. De regulis iuris l. 35.

<sup>3</sup> Digg. de pactis. *Mutuus consensus dissolvit obligationem.*

<sup>4</sup> Quartus modus solvendi obligationem.

leges civiles dispositum est, quae eas omnino irrevocabiles esse declarant. <sup>1</sup>

Quia vero mutuo consensu tantum tolli potest bilateralis obligatio; unius sane voluntas illam non destruit: ideoque alterius partis perfidia non reddit irritam obligationem, uti Grotius, <sup>2</sup> et Puffendorfius <sup>3</sup> rectissime observarunt. Ita ut ipse, qui fidem non praestat, adhuc obligatus remaneat, cum se sua sola voluntate exsolvere non possit, alterique ius sit eum cogendi ad implendum pactum. Quamvis si ille iure suo uti nolit, proculdubio cessat utriusque obligatio, quippe iam utriusque consensu sublata. Ut pote si ipse, cui a perfido illo fides deficit, contractui nolit amplius stare, ei prorsus liberum erit. <sup>4</sup> Posteaquam omni bilaterali negotio tacita inest conditio, unum praestitutum, quod promiserit, si et alter ex sua parte pacto satisfecerit. Si ergo hic pactum non implevit, deest conditio, a qua suspensa est obligatio, unde et alterius obligatio prorsus cadit ac cessat. <sup>5</sup>

VI. Quoniam autem sub conditione, in diem, ac sub aliis circumstantiis supra indicatis pactum concipi potest, aequae circumstantiae a paciscentibus accurate observandae sunt. Ex eo facile percipitur, conditione adveniente aut die, sub qua concepta est obligatio, exse-

<sup>1</sup> Vide Cap. XIII. §. 30.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 3. cap. 19. §. 14.

<sup>3</sup> *De iure naturae* l. 5. cap. 2. §. 9.

<sup>4</sup> Decret. l. 6. T. ult. de reg. iur. *Frustra sibi fidem quis postulat ob eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.*

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 11. §. 9. et Grotium ubi supra.

conditionem pacti peti posse, non antea. <sup>1</sup> Vnde si conditio, vel alia adposita circumstantia contractui, postea deficit, <sup>2</sup> contractum deficere etiam, resolvique putandum est. Nisi casus fuerit, ut quis paratus ad conditionem adimplendam, ab ipso paciscente, vel a tertio, sine quo adimpleri non potuit, sit prohibitus. Etenim cum tunc per illum minime steterit, ut conditio pacti implementum habuerit, ideo quantum ad eum tanquam si fuisset impleta conditio, erit consideranda.

VII. Porro obligationes dantur, quae contemplatione personae, eiusque qualitatum profecto contrahuntur. Hae vero cum ita sint comparatae, ut vicariam praestationem non admittant, sicuti supra indicatum fuit; <sup>3</sup> quisque recognoscit, eas non transire posse ad haeredes et successores, adeoque morte promittentis expirare, <sup>4</sup> ac perimi: uti videre est in obligationibus desponsatorum ac mandatariorum, quae ipsis paciscentibus morientibus resolvuntur. Mors enim omne quod personale est, solvit ac terminat. <sup>5</sup> Verumtamen hic modus tollendae obligationis non pertinet ad obligationes ceteras, quae ex rebus adimpleri queunt: quippe hae tanquam vicariam admittentes praestationem, ad haeredes transferri debent, sicuti iam supra notatum fuit. <sup>6</sup>

Dd

VIII.

- <sup>1</sup> Quintus modus solvendi obligationem.
- <sup>2</sup> Digg. de obligat. *Item deficientia temporis et conditionis, solvunt obligationem, in diem et sub conditione conceptam.*
- <sup>3</sup> §. 3.
- <sup>4</sup> Sextus modus solvendi obligationem.
- <sup>5</sup> Cap. si gratia de reformat. in 6. *Nam quae a sola voluntate alicuius pendet, per mortem illius finiuntur.*
- <sup>6</sup> Cap. XI. §. ult.

VIII. Idem dic, si contemplatione status alicuius obligatio contracta sit. Nam perinde est, ac si sub conditione durationis illius status promissum esset. Ideo si ille mutat statum, utpote deficiente conditione, obligatio eius cessare oportet. <sup>1</sup> Quare si quis administratorio nomine contraxit, finita administratione, <sup>2</sup> non amplius tenetur. Quod tamen de sola obligatione proveniente a lege positiva, vel a pacto et conventionem sane debet intelligi. Nam obligationes, quas ipsa naturalis ratio hominibus imponit independentem ab hominum institutionibus, perpetuo inhaerent. <sup>3</sup> Sic officia specialia, quae hominem in magistratu constitutum respiciunt, cessant, simul ac ille magistratum deponit, utpote a iure positivo, et alicuius populi legibus introducta. At officia, quae liberis erga parentes ipsa naturalis ratio imponit, veluti obsequium, reverentia, gratus animus semper perdurant: adeo ut etiam soluta patria potestate, absque iniuria parentibus, a liberis denegari nequeant.

VIII. Denum si obligatio ita comparata sit atque composita, ut nunquam illius finis obtineri possit: evidens apparet, quod eadem obligatio necessario perire debet, atque cessare. Ergo fieri nequit, quin is, qui speciem individuum promiserit, illa casu pereunte, ab obligatione eandem praestandi, <sup>4</sup> liberetur. <sup>5</sup>

Ni-

<sup>1</sup> Septimus modus solvendi obligationem.

<sup>2</sup> Cod. mandat. *Sic qualecumque mandatum per abdicationem ipsius mandatarii cessat.*

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. II. §. 12.

<sup>4</sup> Octavus modus solvendi obligationem.

<sup>5</sup> Digg. de oblig. *Interitus rei ante moram debitae obligationem dissolvit.*



Nisi forte ipsam aestimatam, vel tanquam in solutum tradendam promiserit, ita ut per aequivalens premium compensari polleat: vel nisi per novationem prima obligatio expresse sublata sit. Tunc enim paciscens ad pretium illud solvendum, vel ad rem, in locum primae promissam, praestandam tenetur. Denique cum impossibilitas illum minime excuset, qui in mora, vel culpa est, ut probatum fuit supra; <sup>1</sup> hinc debet inferri, periculum rei promissae, eum comportare teneri, qui in eadem mora vel culpa adest: ita ut ea omnia, quae supra de periculo rei venditae diximus, <sup>2</sup> hic sint repetenda applicandaque: <sup>3</sup> aliter contra iuris naturalis regulam, ac humanae aequalitatis principia, paciscens huiusmodi ex propria culpa doloque, commodum utilitatemque referret.

X. Tandem cum et per alium solvere, <sup>4</sup> et obligationem alteri remittere, et ab ea communi consensu discedere, novamque obligationem introducere, ac substituere liceat; consequi oportet, ut quisque alteri priorem obligationem remittere, novamque eius loco recipere possit, quod novatio: <sup>5</sup> et si de rebus

Dd 2

du-

<sup>1</sup> Cap. III. §. ult. Vide meum Puffendorf. l. 5. cap. 11. §. ult.

<sup>2</sup> Cap. XIII. §. 17.

<sup>3</sup> Digg. l. 45. T. 1. de verb. oblig. *Non aliter enim post mortem tui stipulati tenearis mihi, quam si per te steterit, quominus vivo eo tui mihi dares. Quod ita fit, si aut interpellatus non dedisti, aut occidisti.*

<sup>4</sup> Instit. l. 3. T. 30. quib. mod. toll. oblig. *Quisque enim liberator obligatione, alio solvente.*

<sup>5</sup> Digg. de novat. *Novatio est prioris debiti in aliam novam obligationem vel civilem, vel naturalem transfusio, atque translatio: hoc est cum a precedente causa, ita nova constituitur, ut prior obligatio perimatur.*

dubiis agatur, <sup>1</sup> transactio vocatur. <sup>2</sup> Creditor etiam debitori ea lege condonare queat debitum, ut pro eo alium submittat, quod solet appellari <sup>3</sup> delegatio. Eam a cessione, qua creditor actionem adversus debitorem, hoc etiam inscio ac invito, in alterum transfert, multum differre, nemo non sentit. <sup>4</sup> Concludamus, quod omnia haec disertis et apertis verbis, vel signis evidentissimis, ac consentientibus omnibus, qui ad negotium illud concurrunt interveniuntque, fieri debent omni simulatione, <sup>5</sup> dolo ac fraude remota.

Haec de contractibus pactisque fuerunt exponenda, ut iura et obligationes, quae ex domini derivativi introductione processerunt, ostenderentur, unde eorum officiorum, <sup>6</sup> quae aliis praestare tenemur, <sup>7</sup> minime a societate civili dependentium, perfecta tractatio evaderet. Atque ita priori libro harum nostrarum institutionum, nempe iuri naturae finem imponimus.

LI-

<sup>1</sup> Digg. de trans. l. 1. *Transactio est compositio, qua res dubia, et litigiosa partium consensu componitur.*

<sup>2</sup> Nonus modus solvendi obligationem.

<sup>3</sup> Digg. de novat. et deleg. *Delegare est vice sua creditori, alterum reum dare.* Vide Noodt de pactis, et trans. cap. 12.

<sup>4</sup> Haec cessio differt postea ab illa, quam Cap. X. §. 1. indicavimus factam a sociis, in eorum portionibus uni socio.

<sup>5</sup> Dolus distinguebatur a dolo malo per Rom. Iuricons. Primus dicebatur, circumventio verborum licita; alium autem, scilicet dolum malum definiebant, cum esset aliud simulatum, aliud actum, atque hic omnino interdictus reprobatusque erat. *Vide Cicer. de offic. l. 3. cap. 9.* Sed ius naturae hanc cavillosam distinctionem non admittit in contractibus.

<sup>6</sup> Nempe neminem laedere, et suum unicuique tribuere.

<sup>7</sup> Vide caput 8. §. 1.

# LIBER II.

## IUS GENTIUM. I

### CAPVT PRIMVM

#### DE STATV HOMINVM NATVRALI et sociali, et de eorum differentia ac distinctione.

I. **S**Vperiore libro de Iure Naturae, quo singularum actiones diriguntur, egimus. Nunc reliquum est, ut iuxta divisionem factam ab initio operis, <sup>2</sup> etiam Ius Gentium ad sua principia revocatum breviori, quo fieri possint methodo expediamus. Id quod ad ipsiusmet iuris naturae explicationem absolvendam perficiendamque, ap-  
prime conducibile ac necessarium apparet. Etenim pe-  
ne officia omnia, quae nos aliis debemus, a statu politico ac societatis, a quo ius gentium procedit, in hac generis humani constitutione dependeant, quia nunc omnes homines fere huiusmodi in statu ita sunt constituti, ut si ipsi per hypothesim, <sup>3</sup> in praesenti naturalis status depravatione, extra illum

<sup>1</sup> Τῆς Πολιτικῆς ἀνθρώπου ἀρετῆς ἡ κτάνται τελευτισίραν.  
Virtute politica, quae ab hoc iure pendet, praestantiorem homo nullam  
aequitur. Plutarc. in Cato. maiore.

<sup>2</sup> Cap. I. §. ult.

<sup>3</sup> Haec verba animadvertere oportet, quibus obviam fit appa-  
ren-

lum, supponantur infelices, ac miserrimi et vix ad se conservandos habiles prorsus videantur. Quare cum iuris naturae systema, absque iuris gentium expositione, veluti imperfectum ac mancum traderetur; opere pretium est huiusce tractatum instituire, uti facimus hoc secundo libro. Hoc insuper indispensabile fit eo magis, quod quamvis ius gentium, sive ius, quod ad civiles societates regulandas per se, et ad invicem intendit, sit idem ius naturae ad societates easdem, familias, hominesque in eis viventes applicatum; nihilominus cum ipsae societates, proprietates ac relationes diversas prorsus habeant ab illis, hominum singulorum in statu naturae viventium; aliquas quoque diversas, et peculiare modificationes iuris exigunt, quae propriam expositionem desiderant: atque adeo etiam hac de causa necessarium fuit utraque iura distinguere, ut iam in prooemiali discursu adnotavimus. <sup>1</sup>

Quandoquidem ergo ius gentium definitur, <sup>2</sup> ius naturale vitae hominis sociali, negotiisque societatum, et integrarum gentium applicatum; facile patet, illius indolem naturamque perspicere, sine distincta statuum ac societatum notione minime posse: ideoque horum statuum ac societatum descriptio praemittenda est.

II. Status dicitur qualitas, per quam res unaquaeque limitatur, <sup>3</sup> atque in quadam constitutione con-

ci-  
 renti contradictioni §. 8. ubi Puffendorf. ac Hobbesium confutamus. Nam hic de statu naturae corruptae, illic de statu naturae absolute loquimur ac in genere.

<sup>1</sup> §. ultimo.

<sup>2</sup> L. I. Cap. I. §. ultimo.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. I. cap. I. §. 7.

cipitur. Adeoque qualitates, per quas homines limitantur, atque in quadam constitutione concipiuntur, recte vocantur status hominum. Sicuti vero animi ac corporis hominum vires, dispositionesque, per varias impressiones ac motus, a Deo eorundem conditore in ipsis excitatos ac productos limitantur, componuntur, ac diriguntur; ita actiones eorum liberae etiam per legem modificantur ac conformantur. Inde priorem hominum statum, physicum, in quo machinale ac passivum hominis comprehenditur, posteriorem moralem, in quo voluntarium, activum, ac liberum ipsius continetur, appellamus.

Sic a primis limitationibus venit, quod alii homines sint masculi, alii foeminae, alii corpore recte formato, alii monstruoso, alii valido ac robusto, alii debili ac languido constant: quae quidem omnia ad statum hominis physicum, quem Iurisconsulti naturalem vocant, referuntur. A posterioribus vero provenit, quod alii homines sint boni, alii mali, alii aequales, alii inaequales, alii iusti, alii iniusti, utpote etiam quod alii sint mariti, alii caelibes, patres alii, alii filii domini alii, alii servi, imperantis alii, alii subditi, denominati: et quod variae horum omnium actiones modificentur, componantur, vetentur, ac praescribantur a lege. Haec autem ad statum moralem, qui inaccurate profecto a Romanis Iurisconsultis vocatur civilis, <sup>1</sup> sunt

<sup>1</sup> Iurisconsult. civiles ita dividunt status: *Status hominum alius est naturalis, alius iuris gentium, alius civilis. Naturali statu sunt homines, alii masculi, alii foeminae, compositi animae et corporis. Iure gentium alii liberi, alii servi, alii ingenui, alii libertini. Iure civili civis sunt, et patres familias.* Digg. de statu hom. l. 1. et 2. Vide Wesemb. in Parat. hoc eodem Titulo.

sunt referenda. Moralis enim status latius sane patet, quam civilis, uti ab iis, quae dicemus postea apparet.

Cum itaque iam de iure gentium acturi simus, quod in actionibus liberis hominum, quatenus ii in societate peculiari sunt constituti, dirigendis versatur, nemo non videt, statum hominum non physicum, sed moralem ad nostram tractationem pertinere, eumque tantum nostram institutionem respicere.

III. Praeterea status ille moralis, secundum quem homines quam maxime distinguuntur ac limitantur, vel eis connatus est, vel ab aliquo ipsorum facto pendet. <sup>1</sup> Prior vocatur naturalis, posterior adventitius. Quocirca status naturalis a nobis definitur, qualitas vel conditio homini ab ipsa natura, sine facto eius imposita, in qua liberae eius actiones, pro ut id natura illius status exigit, lege naturali limitantur. <sup>2</sup> Status vero adventitius, qualitas vel conditio, quam homo sibi facto suo eligit, in qua eius actiones, prout id eius status indoles ac conservatio poscit, lege limitantur. <sup>3</sup> Ex limitationibus ergo utriusque status certa iura hominibus tribuuntur, ac certa officia eisdem imponuntur. Sic singularia iura et officia competunt iis, qui in statu naturali vivunt, singularia iis, qui in adventitio. Etenim alia competunt hominibus iura, utpote aequalitate donatis, independentibus vicissim, a  
Deo

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>2</sup> Ergo ex hoc quod homo est, huiusce status legibus ipse obstringitur.

<sup>3</sup> Homo ex quo nimirum est civis, maritus, pater, legibus hisce tribus relativis, et ipsis essentialibus ac conferentibus obligatur.

Deo provenientius, libertate praeditis, inter se se paciscentibus: alia hominibus ipsis, utpote in matrimonio, in patria potestate, in dominio, in societate civili, ac imperio constitutis. Quae quidem sunt principales species statuum adventitiorum uti postea suo loco videbimus, sicuti priores indicatae, sunt praecipuae naturalis status constitutiones. Hinc redit sane Puffendorffii<sup>1</sup> definitio status in genere, quamvis aliis verbis, et limitatori modo concepta: ita enim ille hunc definit: *status in genere est illa conditio, in qua homines constituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum obstricti, quem etiam peculiari fere iure committantur.* Generica tamen haec definitio non distinguit, uti oportet, statum adventitium a naturali.

Ex dictis ergo quisque arguere potest, nos hic non opponere statum naturalem statui brutorum, neque statui qui repugnet naturali, qualem sibi statum servorum fingeant Iurisconsulti,<sup>2</sup> sed statui sociali, civili, matrimoniali, ac familiae: quippe quorum utrumque facto suo, sibi aliisque imponunt homines, et quorum uterque est vere adventitius, quamvis a iure naturae insinuatus, atque ab eo promanet.

III. Status vero naturalis qualis fuerit, hic adhibita in consilium ratione est considerandum accurate. Etenim cum inde ratio proveniat, qua homines plerique, relicto illo statu naturali, sibi alios asseruerunt in societatem, statumque adventitium confecerunt, hunc

Ee

ideo

<sup>1</sup> De officio hominis, et civis l. 2. cap. 1. §. 1.

<sup>2</sup> L. 2. Instit. de iure personarum.

<sup>3</sup> Immo fere omnes; nam nunc omnes homines propemodum in statu societatis vivunt. Vide Cap. VI. §. 2.

ideo statum prosequuntur varia iura ac officia, quae hominibus omnibus, uti a Deo in eodem statu constitutis, inhaerent ac competunt, sicuti supra iam tetigimus, <sup>1</sup> et postea demonstravimus.

Iuxta igitur naturalem statum homines considerati, omnes sunt aequales, uti iam supra observatum fuit. <sup>2</sup> Et revera omnes homines, quamvis alter alteros perfectior imperfectiorque esse possit, natura tamen sibi invicem sunt aequales. Nam omnes iisdem partibus essentialibus mentis, ac corporis constant, et libertate donati eadem iisdemque animi facultatibus instructi apparent. A quo sequitur, ut status naturalis sit status aequalitatis: ac proinde nemo eorum, qui in illo vivunt, altero vel superior sit, vel inferior et quod consequi exinde necesse est, nec imperio, nec subiectioni, immo nec ulli dignitatum discrimini subiectum sit. <sup>3</sup> Quod Iurisconsulti ac Philosophi simul antiqui omnes prope recognoverunt, ut videre est ex Vlpiano, <sup>4</sup> atque ex Arriano in sua prima dissertatione Epicteti. <sup>5</sup>

V. Quoniam autem status naturalis est status aequalitatis, status vero aequalitatis est etiam libertatis; inde in eo nec subiectioni, nec imperio politico, nec servituti, aut dominio herili locus esse potest. Itaque ab eo statu exulare oportet omnes leges positivas humanas, itemque magistratus, poenas, et quidquid si-

<sup>1</sup> L. 1. cap. 3. §. 2.

<sup>2</sup> L. 1. cap. 3.

<sup>3</sup> AEqualis omnium natura est in hoc statu, et ideo et iura aequalia. Vide Robber. rerum iudic. l. 3. cap. 6.

<sup>4</sup> Digg. De regulis iuris l. 32.

<sup>5</sup> Cap. XIII.



ne alterius praerogativa potestateque fungi, ac patri-  
ri nequit. <sup>1</sup>

Nam libertas <sup>2</sup> definitur, facultas omnia agendi  
suo arbitrio et in suam utilitatem. Ea vel politica  
et civilis est, quando quis superiorem non agnoscit,  
cuius arbitrio quid agere vel omittere teneatur, vel  
iuris gentium, quando scilicet quis in nullius domini  
potestate constitutus est. Haec autem potestas domi-  
niumque cui refertur servitus, a gentium consensu,  
suadente ratione, introductum inventumque fuit, uti  
melius postea videbimus: <sup>3</sup> vel tandem libertas natu-  
ralis dici poterit, quandoquidem quis ab alterius iure  
et vi exemptus prorsus evadit, uti definitur libertas  
profecto a Romanis Iurisconsultis. <sup>4</sup>

Porro cum status naturalis independens omnino sit  
a legibus civilibus ac humanis positivis, quippe quia  
ab eo imperium, magistratus, poenas ac omnem in-  
aequalitatem penitus exulare oportet, et cum ea ratio  
minime cadat in ius illud sempiternum ab ipso Deo  
immortali constitutum, atque in corde hominum scri-  
ptum, cuius imperium in nos natura ostendit, pro-  
clamatque ratio; iam satis patet, hominum actiones  
in statu naturali lege naturae ac rationis regi, eos-  
que qui in illo vivunt, non minus quam nos, qui  
status adventitios adscivimus, ad Deum colendum, ci-

Ee 2

que

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>2</sup> Hic accipienda est libertas in relationem actionum, ad diffe-  
rentiam illius, quae est modificatio attributumque voluntatis, de  
qua l. 1. cap. 2. §. 11. egimus.

<sup>3</sup> Cap. IIII.

<sup>4</sup> *Instit. de iure personarum* §. 2. Vide Thomas. in notis ad *Instit.*  
pag. 13.

que obtemperandum, ad seipsos amandos conservandos et perficiendos, ad alios denique homines tanquam seipsos diligendos, <sup>1</sup> ad suum cuique tribuendum, ad neminem laedendum decipiendumque, quin et ad omnia humanitatis officia, quae iam supra explicavimus, <sup>2</sup> aliis praestanda, esse obligatos.

VI. Quapropter clare liquet, homines ad haec officia adimplenda teneri absque dependentia societatis. Ideoque primo aspectu videtur, quodammodo male ac inaccurate a Puffendorffio societatis principium, veluti iuris naturae fundamentum stabiliri. At vir ille doctissimus ac huiusce scientiae tam insignis restaurator non actualitatem socialitatis, sed dispositionem hominum, ad eandem tanquam fundamentum antedictum iuris naturae, ponit firmatque. A qua dispositione hominum quamvis ipsi extra quamcumque societatem concipiantur, omnia quidem officia iuris naturae directe, vel indirecte saltem derivari queunt. <sup>3</sup> Verumtamen confitendum est, huius viri doctissimi principium supra omnem difficultatem obiectumque, minime esse vindicatum ac constitutum: ut potest colligi ex iis, quae hoc in proposito, nos fuse scripsimus in praefatione ad

<sup>1</sup> Haec enim praecipua officia sunt absoluta a lege naturae praescripta.

<sup>2</sup> L. 1. cap. 5.

<sup>3</sup> Hinc Wolfius *Instit. iur. nat. P. 4. cap. 1. §. 1090.* vult, ut societas intercedat a natura inter gentes omnes, in quam ob obligationis naturalis indispensabilem necessitatem consentire ipsae tenentur, uti quasi haec pacto contracta videatur. Atque haec societas, communis salutis causa inter gentes instituta, civitas maxima vocatur, cuius membra, seu veluti cives sunt singulae gentes.

ad nostrum Puffendorhium <sup>1</sup> reformatum illustratum-  
que.

Ex dictis desumitur etiam, quam absurde Hobbe-  
sius <sup>2</sup> omne ius a pacto deducere intendat: ac proinde  
quam irrationabiliter, hominibus in statu naturali  
viventibus, ius in omnes, et in omnia tribuat. Quod  
perinde est, ac ius naturae omnino a statu naturali  
tollere atque proscribere. Idem dicere oportet de scri-  
ptoribus illis veteribus, qui homines sibi finxerunt in  
tali statu parum a brutis discrepantes, nullo iuris vin-  
culo, nulla obligatione, nullo officii debito obstricti.  
Ita autem Cicero <sup>3</sup> descripsit statum huiusmodi sane o-  
ratorie ac poëtice, magis quam philosophice: *Quis  
vestrum ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam  
tempore homines, nondum naturali, neque civili iure de-  
scripto, fusi per agros, ac dispersi vagarentur, tantum-  
que haberent, quantum manu ac viribus per caedem, ac  
vulnera eripere ac retinere potuissent?*

VII. Verum tamen est, quod ubi acriora legum  
vincula, magistratum potestas, et poenae determina-  
tae ac humanae exulant, uti in statu naturali evenit,  
ibi et oppressis nullum nisi in seipsis praesidium esse  
potest: inde consequens est, ut in statu naturali cui-  
vis sit ius omnem vim, atque iniuriam vi propulsandi,  
ac repellendi, idque quod alter iure perfecto debet,  
vi extorquendi. Non autem idem ius in eo statu com-  
petit cogendi alterum ad officia humanitatis ac be-  
nificentiae praestanda, nisi vel hic se ad ea pacto ul-  
tro

<sup>1</sup> §. 7.

<sup>2</sup> De Cive cap. I. §. 2.

<sup>3</sup> Pro Sextio cap. 42. Vide etiam *De l'inegalité de Rousseau*, qui  
simili modo phantastico statum huiusmodi pingit.

tro obstrinxisset, vel extrema necessitas aliquem adigisset, ut res alienas contrectaret, easque in suos usus converteret ac adhiberet.

Ideo cum in statu naturali ad officia humanitatis et beneficentiae cogi nemo possit; clare elucet in eodem statu, ei opus esse pactis, qui de illorum praestatione certus esse vult. Unde sequitur, ut in illo statu omnia propemodum etiam, quae tum de officiis paciscentium, tum de iure commercii, et de contractibus supra exposuimus, <sup>2</sup> habuerint locum, vel saltem habere potuerint. Quia saepe homines, et illa quae iure perfecto deberentur, pactis intervenientibus, a debitoribus sibi stipulari debuerint: adeoque nullum fortius fuerit vinculum, quo homines in isto statu continerentur, quam pactorum religio ac observantia, Dei voluntate per ius naturae vallata, <sup>3</sup> ita ut eo laxato, statim fere abrumpi oportuerit amicitia, et pax huiusce status fulcimen ac condimentum.

VIII. Quamobrem facile percipitur, contra verum prorsus ab Hobbesio <sup>4</sup> et Puffendorffio <sup>5</sup> statum naturalem, ut infinitis malis miserisque absolute obrutum depingi. Nam pene omnia, vel saltem pluri-

<sup>1</sup> Vide l. 1. cap. 6. §. 9.

<sup>2</sup> Hac de causa supra §. 2. ad naturalem statum etiam pacta reduximus.

<sup>3</sup> Hinc venit, quod si non admittatur ius naturae a Deo proveniens, atque obligatione munitum, pacta ab arbitrio nostro tantum erunt dependentia: atque adeo nullam veram obligationem imponere poterunt, id quod Hobbesii systematis instabilitatem, ac implicantiam demonstrat.

<sup>4</sup> De Cive cap. 1. §. 7.

<sup>5</sup> De iur. nat. l. 2. cap. 2. §. 2.

rima, quae ipsi huic statui tribuunt, vel malitiae<sup>1</sup> ac depravationi hominum, vel constitutioni naturae humanae, inevitabili destinatione sunt referenda. Posteaquam si homines rectam rationem, naturaeque iuris dictamina sequi vellent, prope omnia haec mala facile, vel sane praecipua evitare possent. Neque vero in statu civili haec infortunia ab hominibus declinari queunt, nisi ad normam rationis iurisque naturae, novo iuris positivi robore fulciti, proprias actiones ab ipsis dirigantur componanturque. Et revera inopia, fames, frigus non magis premere homines potuerunt in statu naturali, quam in civili: cum nihil obstiterit, quo minus in primo statu, et res necessarias occuparent, et commercia aequae commode fere ac in civitatibus instituerent, quamvis nondum nota esset illa dignitatum, conditionum, ac fortunarum inaequalitas, quae fastum, luxuriamque, matrem inopiae peperit.

Neque solitudo in hoc statu concipi potest, nisi admittatur Hobbesii male excogitata inter homines repugnantia a natura hostilitasque. Nam cum ipsi homines in hoc statu videant, se ad invicem naturae aequalitate donatos, atque ad se iuvandos vicissim aptos conformatosque; impossibile est, quin simul conversare, ac in unum convenire velint.<sup>2</sup> Qua conversatione sane etiam praeconceptae suppositaeque ruditati ac ignorantiae, tanquam eodem  
sta-

<sup>1</sup> Vide §. 1.

<sup>2</sup> Atque ab hoc statu coniunctio mulieris cum viro, et pater, ac filius minime excludi possunt: cum rationabili instinctu aequae in hoc statu, ac in illo civili homines dominantur; quamvis verum sane matrimonium statui adventitio adscribamus.

statu inseparabili quodammodo occurrit, ac providetur. Siquidem quid impedit, quominus in eodem statu, cultura rectae rationis per scientias artesque prope omnes, aequè instituatur ac fiat, uti in statu civili? Tandem si bellum inter status naturalis incommoda, ac infortunia referendum est, nihil profecto praecipuum habebit status civilis, quippe quo factum est, ut cum olim singuli vel pauci inter se se periclitarentur, hodie integrae gentes, cum universarum fere nationum interitu, in se invicem saeviant infurientque.

VIII. Quapropter non status naturalis generatim essentialis miseria calamitatesque, sed partim spes maioris securitatis commoditatisque, partim aequalitatis hominum perceptio, naturaeque instinctus, partim ipsa hominum praecipue adversantium rationi malitia ac protervia effecit, ut in societates, mortales coalescerent, <sup>1</sup> sicuti ex dicendis constabit. Et cum in statu naturali nullum fortius sit vinculum, quo homines contineantur, quam pacta, et conventiones, uti paulo ante <sup>3</sup> monstratum fuit; consequens est, ut pactis et conventionibus constitutae sint societates. Et cum pauciores, quam multi facilius in unum placitum

<sup>1</sup> Sic et familiae aliqua forma in statu naturae concipi debent, ni hoc in statu homines, tanquam arbores e terra excitati, figurare velimus. Quo in supposito sane ideali Puffendorfius suum statum naturae describit ac percipit. *Vide Puffendorf. de iure naturae l. 2. cap. 2. §. 2.*

<sup>2</sup> Hic volumus advertere, nos hisce non solum societatem civilem, sed etiam omnes minores societates complecti ac intelligere, nempe matrimonialem, paternam, familiarem, saltem si haec societates sub certis regulis concipiantur.

<sup>3</sup> §. 7.

tum convenire soleant : in societates primum simplices, deinde et in magis compositas paulatim coaluisse homines, verisimile est. <sup>1</sup> Hinc etiam Scriptura sacra primum homines describit in societate matrimoniali existentes, postea in familia, denique in civitates convenientes : siquidem prius <sup>2</sup> Adami et Evae matrimonium : inde mox natis Abele ac Chai-no liberis, extitit familia : <sup>3</sup> tandem civitatis Enochiae constructionem eadem recenset ac memorat. <sup>4</sup>

Ex dictis patet, hic per societatem nos intelligere consensum duorum pluriumque in eundem finem eademque media, quae ad finem illum obtinendum sunt necessaria. Quamdiu ergo ille consensus durat, tamdiu durat societas : eo vero cessante, scilicet cum aliquis sociorum non amplius in finem eundem communem eademque media communia intendat, patrisque societatis non stet, eadem simul cessat societas. Quod tamen nolumus ita accipi, ac si unius dissensu statim et pactum quo inita est societas, irritum sit. Sed quod iste a reliquis non amplius tanquam socius possit considerari, qui cum reliquis nec in eundem finem, nec in eadem media conspirat, eumque animum suum signis luculentis testatur. Hinc manet quidem reliquis ex illa conventionione ius, alterum ad servanda promissa adimplendasque leges conventionionis, vel si id fieri nequit, ad resarciendum damnum, praestandumque quod interest, adigendi. At is non

Ff

po-

<sup>1</sup> A quibus status adventicii supra enunciati §. 3. formantur ac constant.

<sup>2</sup> *Genesi II. §. 22.*

<sup>3</sup> *Genesi III. 1.*

<sup>4</sup> *Genesi III. 17.*

potest amplius socius dici, ex quo vinculum illud, quod socios continet, perfidiose abrumpit, nisi alii socii eum constringant ad societatem servandam. Durante vero societate status ille, in quo socii vivunt, status socialis vocari solet.

X. Ceterum cum quisque facile percipere queat, societatum varios esse fines; consequens est, ut variae et diversae sint societates. Adeoque si finis iustus licitusque sit, etiam societas iusta et licita: sin iniustus ac illicitus, haec quoque iniusta ac illicita merito habeatur. Proinde societates latronum piratarumve turpissimae reputandae erunt, cum finem habeant turpissimum iniustumque. Item cum ex fine de mediis iudicari oporteat, officia autem ac iura sociorum sunt media societatis; ergo iura officiaque sociorum ex ipso societatis fine merito sunt aestimanda. Quocirca sicuti alius est finis societatis matrimonialis, alius illius parentum et liberorum, alius dominorum et servorum, alius denique illius societatis civilis quam vocamus Rempubicam; ita varia sunt etiam omnium harum societatum iura ac officia. Quod igitur sunt fines, totidem diversae societates, et quot societates diversae, totidem iura ac officia diversa ipsarummet societatum esse decet.

Praeterea cum societas ex consensu pendeat, consensus vero vel ultroneus vel coactus et vi extortus sit, qui rati habitione aliquando convalescit, ut monstravimus supra; <sup>1</sup> necessario sequi debet, ut societates aliae sint ultroneae, aliae coactae a principio, posteaque obfirmatae et receptae consensu. Nam hae

<sup>1</sup> L. 1. Cap. XIII. §. 6.



societates coactae non ideo statim iniustae dicendae sunt, quod earum origo vitiosa fuerit, si postea ii qui vi impulsii societati dederunt nomen, expresse vel tacite rem ratam habuerunt. <sup>1</sup> Sic rata existimata fuerunt matrimonia inita Romanos inter et Sabinas, quamvis initium modusque horum, ob vim iniustam a Romanis adhibitam, esset vitiosus, quia postea ipsae raptae mulieres rem ratam habuerunt. Sic multoties populi debellati ac devicti expresse vel tacite, et voluntarie dominationi victoris se subiiciunt, dum valentes illius imperium detrectant ac reiiciunt.

XI. Idcirco cum consensus possit praestari expresse vel tacite, nempe quando ille ex factis signisque colligitur, veluti ex patientia ac taciturnitate; inde sequitur, ut et societates vel expresso vel tacito consensu ineantur: et perinde sit, ac si expresse consensum dedissent, qui postea cum aliis in societate vivunt, atque ad eundem finem cogitationes consilia ac operationes suas conferunt, et mediis iisdem utuntur. Aliquando etiam ex ipsa rei natura consensus ipse praesumitur, ut in societate parentum et liberorum evenit. Ii enim non modo consentiunt in societatem parentum, sed ne in ea consentire possunt, inhabiles ad hoc omnino cum sint: nihilominus cum eorum educatio hanc societatem requirat, ut liberi in illam consentiant, a lege naturae praesumitur. Sicuti etiam ex continuatione permanentiae in societate civili, consensus in eandem societatem tacite deducitur, uti superiori §. signatum fuit. <sup>2</sup>

Ef 2

XII.

<sup>1</sup> Digg. de except. *Quod dolo motuque gestum est, si ratum habetur, valet.*

<sup>2</sup> Vide Wolf. *Instit. iur. nat.* P. I. §. 27.

XII. Insuper aliquando evenit, ut societates integrae in eundem finem consentiant, iisdemque mediis utantur. Ex quo clare patet, fas esse inter eas societates nasci societatem. Vnde inferri potest, societates alias esse simplices, quas homines singuli formant, alias esse compositas, quas variae societates simplices ineunt inter se, quae societates tunc tanquam socii considerantur. Quin ex eadem ratione desumitur, societates etiam iam tum compositas, coalescere posse in maiores et maxime compositas, atque ita fieri societates in immensum excretas complexasque.

Et revera simplicissimae societates sunt illae coniugum, parentum et liberorum, dominorum et servorum. Ex his societatibus singulis inter se consociatis nascitur societas composita, quam vocamus familiam. Ex multis familiis consociatis, pagi vici urbes: ex pluribus pagis vicis urbibus integrae Republicae: ex pluribus Rebuspublicis systemata civitatum existunt: uti Achaica Respublica, ac Amphictionum consociatio ex variis Graecis civitatibus compositae olim fuerunt, et nunc etiam sunt civitates Helveticae et Batavorum Provinciae, quae ambo in unum sociatae ac coalitae duas Republicas ac civitatum systemata, ad normam illarum antiquarum, sane conficiunt.

XIII. Deinde qui in unum finem eademque media consentiunt, vel aequales sunt vel inaequales. Primi tanquam pares media ad communem finem assequendum necessaria, communi consensu inveniunt: unde nascitur societas aequalis. Secundi uni pluribusve

id

id negotiū dant, ut de fine mediisque ad finem consequendum necessariis, soli despiciant: et tunc ea societas est inaequalis, quam et rectoriam vocant. Res ipsa et ingenii humani natura unumquemque convincit, quo maior est societas, eo minus fieri posse, ut tanta sociorum multitudo media necessaria ad finem societatis comparandum, communi consensu ac suffragio capiat inveniatque: adeoque clare liquet, quo maior est societas, eo magis eam esse debere rectoriam ac inaequalem. Quanto enim plures sunt consociantes, tanto magis difficile evadit, ut in unum omnes concurrant, atque in societate perdurent. Nam fere impossibile est, quin socii distrahantur in plures factiones ac vicissim dissentiant. Tunc vero discordantis patriae plerumque non aliud remedium est, quam ut ab uno regatur, sicuti sapienter ac politice, iuxta suam consuetudinem Tacitus observavit Annal. l. 9.

Verumtamen cuiuscumque generis sit societas, ex ipsiusmet definitione apparet, eam ad consequendum eundem finem, atque ad eadem adhibenda media esse comparatam compositamque. Ideoque cum tantum ii qui idem volunt, consentire in eundem finem eademque media queant, atque ii tantum idem velle possint scienter ac constanter, qui eundem finem, mediaque ad ipsum accommodata cognoscunt; consequens est, ut singularum societatum concipienda sit veluti una voluntas unusque intellectus, ita ut singula membra tanquam unam personam, quam non physicam sed moralem vocant, constituent.

XIII. Quare si unaquaeque civitas veluti unam per-

personam moralem constituit; sequi necessario debet, ut iisdem legibus ordinationibusque ac homines singuli vel personae physicae, civitates regantur, ad eoque officia omnia, quae ius naturae hominibus singulis praescribit, a societatibus quoque tum maioribus tum minoribus accurate sint observanda, atque e contra quae personis singulis competunt iura, etiam societatibus competant. Ita tamen ut religiosa numinis observantia ac veneratione, et se ipsos praeservare ac perficere, et sua cuique tribuere, absque alicuius offensione, semper debeant. Quamobrem ius gentium supra <sup>1</sup> definivimus, ius naturae vitae hominis sociali negotiisque societatum et integrarum gentium applicatum: unde Vattel in suo iure gentium <sup>2</sup> vocat ius gentium paucis mutatis, ius naturae societatum.

Ex hoc principio derivat, unumquemque socium etiam obligatum esse ad actiones suas communi societatis fini attemperandas. Nam sicuti quisque particularis ad propriam conservationem per ius naturae vacare tenetur; sic quisque socius societatis praeservationem quacunque ratione semper curare debet. Id equidem nullo alio modo fieri potest, quam actiones suas fini societatis temperando ac componendo. Et revera qui huic contravenit officio, neque unam volun-

<sup>1</sup> L. I. cap. I. §. ult.

<sup>2</sup> L. I. cap. I. Vide etiam Koehlerum in suo *Specimine iuris gentium* l. I. §. 20. Vide et Buddeum *Philos. pract. Pars 2. pag. 226*. Verumtamen, uti iam supra adnotavimus §. I. ob relationes diversas harum societatum ab illis singulorum hominum, etiam modificationes aliquas diversas iuris ac officiorum, ipsae societates existunt.

unitatem, neque unam personam cum aliis sociis civibusque gerit, neque in eundem finem tendit: ergo existimandum est, illum facere iniuriam sociis, cum minime agat iuxta conventiona, atque adeo reliquos socios laedat, et fini societatis adversetur. Ac proinde neque iniustum fuerit, si ille et ad resarciendum damnum et ad officia socii in posterum accuratius observanda malo quodam passionis quod vocant, adigatur, si tamen hoc patitur societatis natura. Denique nec potest vitio verti socio, si vel socium tam male consiliatum ac perfidiosum a se segreget, vel ipsae excedat e societate, in qua nec finis communis, nec mediorem ad hunc finem necessarium, ratio ulla habetur.

XV. Deinde ex dictis merito colligimus etiam, societatem quidem, neminem laedere, et suum cuique tribuere debere: non tamen alterius privati, <sup>r</sup> vel alterius societatis utilitatem suae utilitati antepone-  
ne-

<sup>r</sup> Atque hic adnotare ac repetere conveniens duco, quod si gentes diversae ac societates civiles inter se spectantur, tanquam personae liberae in statu naturali viventes, hinc venit, quod ab obligatione naturali, conveniendo in civitates se liberare non poterunt. Inde ad eadem officia tum erga se ipsas, tum erga gentes ac societates alias obligantur, quibus singuli singulis tenentur in statu naturali, atque adeo ipsis societatibus eadem iura competunt, quae singulis in statu naturali.

Cum ergo gentium omnium eadem sit obligatio atque eadem sint iura, ideoque omnes natura aequales appareant, neque ulli praerogativa aliqua vel praecedentia competat; nulli simul ius erit in actiones alterius, sed singularum erit libertas, cuius usus minime impediri poterit a gente alia. Adeoque si aliqua gens aliam in iuribus huiusmodi attentare ac impedire praesumpserit, ei iniuriam faciet, laesioque vindicanda iure belli.

Ex

netur. Cum enim quaelibet societas unam personam moralem constituat ac formet, eique idem ius, quod singulis personis physicis competat, nulla autem persona physica alteram amare magis, quam se ipsam, vel ei officia sibi noxia praestare teneatur: consequens est, ut etiam societas huiusmodi officia alteri cum detrimento suo praestare, vel utilitatem alienam propriae anteponeere minime debeat. <sup>1</sup> Itaque haud dicendi erunt inhumani unius societatis contribules, si alteri societati vel privato, commercium unius mercis concedere nolint, cuius ipsi indigent. Vel populus ille minime iniustus fuerit, qui ab alio de sede sibi concedenda in finibus suis quaesitus, recusat denegatque, cum illi sint ad propriam habitationem et subsistentiam omnino necessarii.

Sed non mihi videtur congruere exemplum ab Heineccio hoc in proposito adductum, scilicet societatis mercatorum, quae alias societates a commercio mercium quarundam monopolio excludere tentat, ipsius

Ex his licet desumere, quod officia gentium ac societatum civilium inter se eadem sunt, ac illa particularium in statu naturae viventium, ut paulo ante adnotavimus, nimirum se conservare ac perficere, et neminem laedere, suumque unicuique tribuere, nec non officia humanitatis impertiri. Prima officia ad societates eadem exercentes referuntur, alia ad societates alias particularesque ipsarum diriguntur. Haec postrema adamussim sunt cum illis particularium. Laesio enim, impetat societatem, vel peculiarem personam, eadem est: suumque idem est particularium quam societatum. At prima, cum societates modificationes diversas habeant ab illis particularium personarum, ideo aliquam diversitatem officiorum etiam admittunt ac exigunt. Hac de causa in his explicandis ut immoremur, opus est.

<sup>1</sup> Optime Grotius: *Si par sit necessitas, propria causa praefertur.*  
De iure bell. l. 2. cap. 2. §. 2.

psius solae utilitatis causa. <sup>1</sup> Nam hoc fuisset cum earamdem aliarum societatum detrimento expresse coniunctum: id quod nunquam licet, extra necessitatis casum, directe intendere ac procurare.

XVI. Ita etiam demonstrari potest, in compositis civitatibus utilitatem minorum, maiorum utilitati cedere debere. Posteaquam minores societates tunc considerantur tanquam singuli socii, socii vero singuli in unum eundemque finem communem, eademque media consentire, nec propriam utilitatem fini communi societatis praeponere obstringuntur; ergo neque minoribus societatibus, quae in maiorem societatem coaeruerunt, quidquam, quod maiori illi societati manifesto refragetur, salva iustitia, agere licebit. Hinc si aliqua civitas confaederata recusaret pendere tributum, ad Reipublicae manutationem constitutum conventumque, eadem apertam iniuriam faceret aliis civitatibus consociatis, quippe illud ageret, quod fini confaederationis ac compositae civitatis adversaretur, quodque propriae utilitati semper anteponere, iuxta pacta conventa tenetur. <sup>2</sup>

Tandem concludamus, quod cum in societatibus sociorum omnium officia ex ipso cuiusque societatis fine sint aestimanda; inde venit, hanc esse veluti omnium legum, quibus societates continentur, summam, ad omnia ea agenda obligatos esse socios, sine quibus finis, cui societas refertur obtineri nequit.

Gg

E

<sup>1</sup> Heinecc. *Elem. iur. nat.* l. 2. §. 23.

<sup>2</sup> Cicero de *Finibus* l. 3. *Nec magis vituperandus est proditor patriae, quam communis utilitatis ac salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem.*

E contra ea omnia, quae fini societatis adversantur, omittenda sunt. Ideo recte dicitur, societatis cuiusque salutem supremam sociorum legem esse debere. <sup>1</sup> Nam conservatio salusque omnium sociorum est finis ipse, cui omnis societas dirigitur ac tendit: cum institutio quaecumque effectum ipsiusmet institutionis consequi velit.

## CAPVT II.

### DE SOCIETATE CONIUGALI, et de officiis in ea observandis.

I. **C**um igitur de societatum civilium compositione nos agere debeamus, ad quas ordinandas ius gentium praecipue intendit, cuius tractatio hoc in libro a nobis instituta fuit; operae pretium est prius societatum simplicium naturam essentiamque explicare: quippe quia ex variis societatibus huiusmodi in unum coniunctis, societates illae civiles formantur atque proveniunt. <sup>2</sup> Quoniam vero simplicissima societatum est coniugalis, quae ex paucissimis hominibus diversi sexus, nempe ex duobus constat, ideo de

<sup>1</sup> Cicero de leg. 3. *Salus populi suprema lex esto.* Et revera si conservatio sui ipsius hominis naturalis praecipua obligatio est: eadem erit et societatum civilium, quae veluti particulares personae considerantur in statu naturali. Inde venit postea, quod nec aliam societatem laedere licet societati, et dari debet ab ipsa suum unicuique.

<sup>2</sup> Praeterea cum etiam hae societates minores propria officia et iura teneant; conveniens est horum quoque peculiarem tractationem habere, ne opus nostrum quodammodo mancum ac imperfectum videatur.



de ea, ante omnes alias societates verba facere oportet.

Ex eo patet, velle Deum, ut genus humanum renovetur, illorumque hominum numerus qui quotidie debitum naturae per mortem reddunt, nova prole suppleatur, quod alias finis quem Deus in producendo genere humano intendit, nimirum sua existentia et conservatio, ipsiusque societatis religiosae ac civilis propagatio et incrementum minime obtineretur. Addatur, quod nisi ad reproductionem humani generis naturalis stimulus carnis, quem in nos omnes indidit Deus, dirigeretur, omnino inutilis ac reprobatus evaderet: id quod dicere de facultatibus naturalibus, infinitae sapientiae Dei prorsus indignum apparet. Quare qui illum finem ob oculos habent, utpote iuxta intentionem Dei naturaeque praescriptum finem bonum intendere putandi sunt, atque adeo simul media, per quae ille finis obtineri potest, adhibere tenentur. Cum vero obtineri finis ille nequeat, nisi masculus et foemina convenire simul, ac in unum finem, scilicet concubitum certis regulis consentire velint; inde consequi oportet, ut coniugium tali modo praecordinatum, sit societas licita ac honesta, quia ad finem bonum, et Deo gratum directe resultat: et deinde, ut eadem primordialis ac simplicissima inter societates denominetur, quia ex duobus hominibus tantum diversi sexus componitur:

Gg 2

a

- 1 De quo fine vide l. 1. cap. 3. §. 6.
- 2 Orbis iasebit squallido turpis vita; si sterilem vitant prober steriles inventa. Senec. in Hippol. vers. 466.
- 3 Hinc Graeci vocant coniugium, exordialem omnium societatum.

a qua postea omnes aliae societates procedunt ac pendunt. Optime Cicero omnia haec exprimit: <sup>1</sup> Cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis, deinde una domus, cui sunt omnia communia. Id autem est principium urbis, et quasi seminarium Reipublicae. <sup>2</sup>

II. Verumtamen cum finis Dei tanquam humani generis conditoris, non solum in eo consistat, ut homines existant producanturque, sed ut et praeserventur et perficiantur, et verae felicitatis sint participes, uti iam supra notatum fuit; <sup>3</sup> hinc sequitur, ut non solum procreanda, verum etiam prospicienda atque educanda sit soboles, ne male se habeat, aut ne potius in inutilia terrae pondera, quam in idonea membra humani generis adolescat. Et cum officium istud educandi sobolem nemini incumbere magis possit, quam parentibus, quibus ipse Deus tam ingentem eius amorem impressit, adeo ut ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortetur, observante Iustiniano; <sup>4</sup> merito colligimus, eos non modo procreationem sobolis, sed et commodam illius educationem, tanquam finem matrimonii, sibi ob oculos ponere debere. Ideoque verum coniugii finem esse equidem procreationem sobolis, illiusque commodam, atque accuratam educationem et levamen. <sup>5</sup>

Et

<sup>1</sup> De offic. l. 1. cap. 4.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. discours. prooem. cap. 4.

<sup>3</sup> L. 1. cap. 3. §. ult.

<sup>4</sup> Leg. unic. Cod. de rei uxoriae action.

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. l. 6. cap. 1. §. 2.

Et revera si Deus, qui homines creavit, hunc instinctum in ipsis impressit, quo ad liberorum educationem procurandam naturaliter excitantur ac impelluntur, ita ut vix sit aliquis homo moratus, qui eam negligere et praeterire soleat; sane dicendum erit, voluntatem ipsiusmet Dei esse expressam in hac naturali inclinatione, ut nos eam curam suscipiamus, veluti ab eo per vocem naturae hominibus praescriptam ac demandatam.

III. Hisce paucis necessario praemissis veniamus ad definitionem coniugii. Definimus ergo coniugium,<sup>1</sup> societatem simplicem duarum personarum diversi sexus, procreandae educandaeque sobolis causa initam.<sup>2</sup> A qua definitione resultat: 1. nuptias contra hi haud posse sine personarum utriusque sexus consensu: 2. atque etiam ad ea omnia praestanda obstrictos esse coniuges, sine quibus procreatio commodaque educatio prolis obtineri nequit: 3. utpote e contra ad ea omnia omittenda, quae huic coniugii fini adversantur. Siquidem melius aliquando fuisset non procreare liberos, quam procreatos aut nulla aut mala educatione instituere. Nam leve praeiudicium humani generis est, si non omnibus annis eadem sit hominum productio ac idem nascentium numerus. At damnum illud maximum capit ex uno vel altero homine nato in generis sui dedecus, et vituperium,

<sup>1</sup> Hic coniugium, matrimonium, nuptias indistincte ac promiscue accipimus.

<sup>2</sup> Rom. Iuriscons. matrimonium definiunt: quod sit viri et mulieris coniunctio, individuum vitae consuetudinem continens. Vide Instit. T. de patr. potest. Quisque recognoscere potest, hanc mancam ac imperfectam esse definitionem ex nostrae comparatione.

rium, ob defectum educationis ac morum culturae.

Quandoquidem ergo nuptialis coniunctio est societas, societas autem absque consensu non potest contrahi; inde venit quod nuptiae absque consensu concipi nequeant. Ideoque ratae non erunt nuptiae inter raptorem et raptam, nisi vi rapta ex post facto ultro consenserit, vel nisi facta ac simulata vis et resistantia intervenerit. Nam denegatio huiusmodi nihil differt ab expresso consensu et manifesta approbatione, adeoque coniugium minime infirmare potest. Extra vero hunc casum vis interveniens semper invalidum reddit coniugium.

Sic multo minus postea valebit consensus dolo malo extortus, cum nunquam consensus, quem dolus expressit, a voluntate ac mentis determinatione, uti verus consensus debet, procedat. Quare nuptiae tali consensu compactae, tanquam si eodem deficerent, omnino inutiles et invalidae reputantur. Hic simul notare oportet, quod sicuti societas non est, ubi quis in finem tantum, non autem in media consensit; ita nuptialis societas confici non aestimatur per ius naturae solo consensu in finem futurum, sed consensus praesens in ipsam communicationem corporum, veluti medium necessarium ad futuras nuptias perficiendas, requiritur.

III. Itaque consensus in futuras nuptias potius spon-

r Hinc Robertus rerum iudic. l. 2. pag. 520. *Nuptias conventus magis, quam concubitus facit.*

2 Optime Quintilianus decl. 257. *Nusquam tamen libertas tam necessaria, quam in matrimonio. Quis enim amare alieno animo potest? quis vi aut dolo ad hoc inducitur?*

sponsaliorum, quam sub coniugii nomine venire debet. Atque adeo iuxta iuris naturae simplicitatem, nimis subtilior canonistarum distinctio apparet inter sponsalia de praesenti et de futuro ita ut minime ea per rectae rationis principia posse defendi ac sustineri videatur. Verumtamen cum sponsalia sint pactum, pacta autem omnia iure naturae perfecte obligent, sicuti libro superiori <sup>1</sup> vidimus; consequens est, ut sponsalia sint adimplenda, nisi ea, quibus et alia pacta vitiari observavimus cap. supra citato, vel animorum dissimilitudo eorumque adversatio, aut status mutatio, vel aliae iustae causae ibidem recensitae dirimi potius hoc pactum, quam male conciliatum conventumque exsequi suadeant. <sup>2</sup>

Qua de causa neque consona rationi dispositio iuris Romani erit dicenda, qua neutram partem perfecte sponsalibus obligari, definiebatur. <sup>3</sup> Reliqui vero latini inde saltem actionem ex sponso dabant, ad id quod interest ob pacti violationem. <sup>4</sup> Romani, quemque profecto suo arbitrio impune renuntiare posse conditioni sponsalitimae, statuebant. <sup>5</sup> Vnde postea mira apud eos repudiorum frequentia ac facilitas processit.

V. Quoniam igitur finis matrimonii est procreatio commodaque educatio sobolis; inde venit, ea omnia sine quibus hic finis obtineri non potest, esse adimplenda, e contra quae illi adversantur, omittenda

<sup>1</sup> Cap. XIII.

<sup>2</sup> Cod. de nupt.

<sup>3</sup> L. 1. Cod. de repud.

<sup>4</sup> Vide Gell. noct. Att. III. 4.

<sup>5</sup> Leg. 1. Cod. de sponsal.

da esse. At si illi, qui ad nuptias adpellunt animum, ea aetate fuissent, ut sperari nequiret, ipsos procreationi sobolis, et eiusdem educationi sufficere posse, admitteretur id, sine quo, matrimonii finem obtinere impossibile est; ergo, qui aetate huiusmodi sunt, a matrimonio contrahendo omnino erunt arcendi. Hinc merito prohibentur coniugio infantes, immo et adolescentes, quorum nondum est vel tantus vigor, ut genus humanum nova sobole multiplicare, vel tanta industria aut prudentia, ut et alimenta uxori, liberisque necessitate adveniente parare, et eorum actiones dirigere ad rectum honestumque valeant.

Ex quo sane coniiicitur etiam, quid sit iudicandum de senum nuptiis. Quemadmodum enim ob indissolubilitatem huius societatis, de qua paulo post erit dicendi locus, non disiungendi sunt coniuges, qui in illo statu consenuerunt; neque improbandum videtur matrimonium viri declivioris aetatis, sed valentis ac vegeti cum muliere iuvene, cum adhuc sperare liceat, coniugium illud assequi finem matrimonii posse; ita nemo sanus probaverit nuptias senis cum sene, vel adolescentuli cum anu effacta posteaquam coniugia huiusmodi nec finem nec media matrimonialis societatis obtinere queunt. Verum tamen est, quod tales nuptiae tolerantur in civitatibus, quasi vero ut matrimonia eo magis excitentur ac promoveantur, quan-

2 *Contrahere* (optime Wesembecius) *matrimonium possunt omnes, qui non aut natura aut lege prohibentur: prohibentur natura furiosi, impotentes, impuberes, nisi malitia superet aetatem. Lege divina, & naturali prohibentur nuptiae inter parentes et filios. Lege positiva inter tutorem et pupillum, inter minorem, et curatorem.* Parat. Digg. T. de ritu nuptiar.

to minus circa ea scrupulose inquiratur. Puffendor-  
 fiius <sup>1</sup> acute ac concinne matrimonia haec vocat ho-  
 noraria eo sensu quidem, quo honorarii quandoque  
 dicuntur, quibus titulus muneris sine functione con-  
 ceditur. Apud Suetonium eodem modo in Nerone <sup>2</sup>  
 uxoria ornamenta appellantur, nimirum eo significa-  
 tu, quo triumphalia ornamenta dici sueverunt, quae  
 aliquando permittebantur quibusdam absque solemnitate  
 triumpho, atque absque clarorum facinorum me-  
 rito.

VI. Illis vero prorsus matrimonium interdicendum  
 est tamen, quos vel ipsa natura, vel hominum ma-  
 litia potentiam procreandi prolem abstulit aut dene-  
 gavit. Adeoque impudicissimae sunt reputandae non  
 solum Eunuchorum nuptiae, sed etiam illae Spado-  
 num, nisi incerta sit masculi impotentia atque occul-  
 ta, vel non omnis spes curationis evanuerit. Ergo  
 absurda dicenda sunt matrimonia Spadonum indiscri-  
 minatim apud Aegyptios usitata ac admissa, de qui-  
 bus Grotius verba facit ad Deuteronomium. <sup>3</sup> Vtpo-  
 te etiam multo magis illa Eunuchorum apud Turcas  
 permessa. <sup>4</sup> Nec defuerunt hoc saeculo inter ipsos Chri-  
 stianos, qui talia matrimonia ac portenta uti licita,  
 in grande aetatis nostrae dedecus, declamarunt pro-  
 pugnaruntque. <sup>5</sup>

Ex usque adhuc dictis facile est colligere, etsi

Hh

eos,

<sup>1</sup> De iure nat. l. 6. §. 15.

<sup>2</sup> Cap. XXXV.

<sup>3</sup> Cap. XXIII.

<sup>4</sup> Richault dans l' état praesent. de l' Empir. Otoman. l. 2. cap. 21.

<sup>5</sup> Delphinus de Eunuchi coniugio.

eos, qui obtinendo fini matrimonii, se satis idoneos animadvertunt, recte et ordine facere, si matrimonium ipsum contrahant, <sup>1</sup> non tamen talem esse profecto obligationem ad ineundum matrimonium, ut is contra ius naturae agere videatur, qui castum caelibatum coniugio praeferre statuit. Cum enim nemini imputanda sit omissio actionis, si agendi defuerit occasio, uti iam supra visum fuit, <sup>2</sup> et saepe contingat, ut tum res ipsa, tum temperamentum conditio tempus locus aliaeque circumstantiae turbent consilium contrahendi matrimonii, adeoque illud ineundi desit occasio, et insuper cum nullum sit peculiare praeceptum, quod unicuique hominum coniugium positive contrahere iniungat, quamvis Deus in genere hoc per naturam inculcet, praescribat ac velit; ideo vitio tunc ei verti non potest caelibatus, cui divina providentia conditionem honestam, aut inclinationem ad hunc vitae statum minime obtulit excitavitque. <sup>3</sup> Quare irrationabiliter prorsus ac male Iudaei matrimonium uti praeceptum indispensabile, nullique praetereundum sustentant. <sup>4</sup> Nec valet ratio ab ipsis adducta, nempe quod ille male generi humano consulunt, qui caelibatum praeferunt matrimonio. Quasi sit humanum genus interiturum, si unus vel alius ad nuptias non adpellat animum. Nimis enim invadit homines stimulus carnis, ut huiusmodi

va-

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Consentaneum est naturae, ut sapiens velit uxorem adiungere, et ex ea liberos procreare, uti a natura vivat.*

<sup>2</sup> L. 1. Cap. III. §. 4.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 6. cap. 1. §. 7.

<sup>4</sup> Selde. *iur. nat. sec. discip. Hebraeorum* l. 5. cap. 3.



vanis Hebraeorum cogitationibus ac terriculamentis locus esse possit. Hinc Pauli Apostoli effatum, qui se non continet, nubat. <sup>1</sup> Quod sane demonstrat evidentissime, hoc minime universale esse praeceptum omniumque obligatorium.

VII. Cum ergo finis matrimonii sit procreatio educatioque prolis; necessario sequitur, ut omnia, quae huic fini in coniunctione viri ac mulieris adversantur, sint vitanda. Adeoque omnis concubitus, qui in hunc finem directe non tendit, a iure naturae interdictus erit atque proscriptus. Itaque omnis nefanda Venus omnia adulteria supra omnes furtivi amores, qui insuper cum maxima aliorum iniuria coniuncti sunt, denique omnes foedae vel sodomiticae pollutiones, omnes quaestus nefarii ac meretricii concubitus a recta ratione omnino reprobati ac prohibiti putari debent, cum non ad procreationem educationemque sobolis, sed tantum ad libidinem explendam, evomendamque inserviant. Siquidem omnes hae impurissimae commixtiones non fiunt prolis producendae causa, immo ii qui hisce lasciviis indulgent, potius hunc finem declinant, et quantum in ipsis est impedire student. Nam istae vagantes clandestinae incompositae aut naturae adversantes coniunctiones vel distrahere ac perdere, et destruere foecundationis coagulum, <sup>2</sup> vel avertere seminis ictum ut plurimum solent, vel si aliquando accidat, ut ex hisce proles nascatur, cum contra coeuntium propositum ac intentione.

Hh 2

tio-

<sup>1</sup> I. Corinth. cap. 17. 9.

<sup>2</sup> Optime auctor operis inscripti: Les interets de la France mal entendus: *La propagation s' use comme les autres choses.* Discours politique de la debauché.

tionem hoc eveniat, nec iuxta rationis praescriptum, ipsi, prolis huiusmodi educationem negligere consue-  
sunt plerumque, ex quo deinde sequitur, ut infeli-  
cissimi hi liberi ad omne scelus adolescant, multo ma-  
gis tales denaturati patres hac de causa contra matri-  
monii finem venire, ac contra ius naturae peccare vi-  
dentur.

VIII. Quamobrem etiam *πολυανδρίαν*, id est unius  
foeminae cum pluribus viris coniunctionem rectae ra-  
tionis omnino refragari, certum indubitatumque est:  
sicuti et communionem uxorum, quam in ficta sua  
Republica parum sapienter ac moderate sane Plato per-  
misit, ab ipsiusmet rationis principiis repudiari, et  
prorsus detestari oportet. <sup>1</sup> Etenim utroque casu cum  
incerta futura sit paterna prolis origo, eaque incer-  
titudo commodam liberorum educationem vel ma-  
xime impediatur; nullo modo evenire potest, ut re-  
cta ratio has incertas et foedas coniunctiones proba-  
re queat. <sup>2</sup> Et revera ab omnibus populis civilitate  
aliqua instructis, ipsas reprobatas fuisse apparet, uti  
a Puffendorffo erudite ac fuse adductis in medium  
exemplis probatur. <sup>3</sup>

VIII. Difficilioris disquisitionis primo aspectu  
quaestio videtur alia, nempe an *πολυγενίαν* seu unius  
mariti cum pluribus uxoribus connubium ius naturae  
consentiat, permittatque? Nam huiusmodi coniugium  
I. procreationem sobolis minime impedire videtur: II.

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorff. ubi supra §. 15. in notis. Licurgus in  
sua Republica hanc permisit, sed ad ipsius Reipub. malum fatum.

<sup>2</sup> Praeterea & procreatio prolis distrahitur ac impeditur per hos  
vagos concubitus.

<sup>3</sup> De iure naturae & gent. ubi supra.

neque prolem incertam reddit : III. praeterea gentes variae quae civilitate ac cultura donatae fuerunt , ipsaeque populus Dei , antequam fuisset proscriptus , et probarunt hanc cum pluribus uxoribus societatem , et sibi non infelices visi sunt , dum plures foeminas domum duxerunt : IIII. utpote in praesenti etiam apparet apud Turcas et alios orientales populos , apud quos plures uxores habere simultanee permittitur , absque aliquo propemodum praecudicio neque procreationis neque educationis ipsiusmet sobolis : V. denique saepe etiam vel mariti vigor , vel uxoris intolerabiles mores vel eiusdem sterilitas vel Reipublicae salus, aliaque iustae causae suadere videntur , ut monogamiae poligamia simultanea praeferatur. <sup>1</sup> Quibus omnibus rationibus , hanc profecto adversari iuri naturae haud dici posse , magno adparatu argumentorum prolatis , patroni poligeniae propugnarunt <sup>2</sup> transacto saeculo.

Verumtamen cum coniugum sit ea omnia , quae coniugii fini adversantur , omittere , fini vero illi , quia coniugium est societas , vel magis adversatur discordia circa finem et media atque ea discordia minus evitetur , quo maior est societas ; merito desumi potest , recte rationi minus convenire poligeniam , quam unius cum una matrimonium : et proinde cum natura nos obstringat , ut ex pluribus bonis id , quod optimum est

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 16. nota 2.

<sup>2</sup> Poligeniae patroni ferventiores fuerunt Militonius , Neobulus , Ochinus , Lyserus , Daphneus , Thomasius. Quos contra steterunt Beza , Gerardus , Brasmaunus , Museus , Dichmannus , Meyerus , Grotius , Heineccius aliique.

est eligamus, uti supra visum fuit; <sup>1</sup> ideo statuendum erit, nos ad monogamiam seligendam esse obligatos per rectae rationis principia.

Equidem inter plures uxores unius viri omnia haec interveniunt invidia zelotypia aemulatio suspiciones, atque ubi haec omnia adsunt colliduntque, pax et concordia, quibus ad societatem componendam opus est, omnino exulantur. <sup>2</sup> Nam mulier mulieri venustiori iuenculae, foecundiori, iam plures earum marito unam, vel alteram sibi praeferenti, iam eadem alterius liberos evectioris elegantisque ingenii, vel patri paulo cariores succensent ac reluctantur. In hoc vero intestino bello, quae unio animorum potest habere locum? Quis consensus in educatione liberorum tam discordantium parentum? <sup>3</sup> Quae societas in tam adversantium affectuum fomento ac contrarietate? Viderunt tam tristia exempla familiae Abrahami et Iacobi quamvis in his virtus perfecta ac pia religio floureret. <sup>4</sup>

Praeterea ipsa poligenia natura quodammodo ad monogamiam inclinare videtur. Etenim inter tot mulieres, quas poligenia admittit, una semper solet adesse magis a viro praedilecta distinctaque. <sup>5</sup> Unde licet arguere, naturam semper ad unitatem hoc

<sup>1</sup> L. I. cap. 2. §. 10.

<sup>2</sup> Hoc quidem de Numidis advertit, Salustius: *Apud Numidas alii denas, alii plures uxores habent iuxta opes: ita animus multitudine distrabitur, nullam pro socia obtinet.* De bello iugur.

<sup>3</sup> Claudian. de bello Gil. V. 443. *Non illis generis nexus, non pigriora cura, sed numero languet pietas.*

<sup>4</sup> Genes. XVI. & sequent.

<sup>5</sup> Quam postea omnes aliae insectantur, ac odio Vatiniano percellunt.

in commercio ferri ; <sup>1</sup> uti in nostro Puffendorffio <sup>2</sup> adnotavimus , ubi fusc poligeniae patronos ac defensores confutamus.

Quare concludamus , quod cum matrimonium ad ea omnia obliget , quae magis ad societatem qua constat , conferunt , et cum monogamia ad hanc tuendam praeservandamque apprime iuuet ; poligenia vero tendat e contra ad hanc turbendam tollendam destruendamque ; <sup>3</sup> consequi debet necessario , ut monogamia praescripta , poligenia autem interdicta omnino reprobata sit a iure naturae.

X. Neque supra adductae rationes alicuius ponderis sunt ac valoris. Posteaquam minime est concedendum , poligeniam non impedire sobolis procreationem. <sup>4</sup> Etenim maritus tot inter uxores distractus minori sensu solet in singularum venire connubium , unde sterilitatem , vel saltem prolis raritatem procedere necesse est. Inde etiam ob foeminarum quantitatem ac affluentiam satietates , <sup>5</sup> sodomitici amplexus , <sup>6</sup> ac veneres nefandae provenire solent in praedictum futurae sobolis ; uti ex Romanorum im-

<sup>1</sup> Si habuerit homo uxores duas , unam dilectam & alteram quodiosam , *Deuteron. cap. 21.*

<sup>2</sup> L. 6. cap. 1. §. 19.

<sup>3</sup> Vti sapienter advertit auctor supradictus des. interets de la France mal intendus loco citato : *C'est une loy de la nature , que le partage de nos desirs détruit le objet de nos desirs même.*

<sup>4</sup> Recte Salustius ubi supra : *Ita animus multitudine uxorum distrahitur , et pariter omnes viles sunt.*

<sup>5</sup> Scite Montesquius : *La pluralité des faemmes , qui le droit ? mène a cet amour , que la nature desavoue.* Spirit. leg. l. 16. cap. 6.

<sup>6</sup> Vide Richault dans l'état présent. de l'Empire. Otoman. l. 2. cap. 22.

perantium quorundam historia desumi potest. Vide exempli gratia Suetonium in Tiberio, Nerone, Caligula.

Sed demus etiam per poligentiam non turbari procreationem sobolis: nemo postea inficiari poterit, per hanc, finem alterum matrimonii, nempe prolis educationem averti prorsus ac tolli. Nam quamvis in poligenia proles certa sit, haec tamen certitudo non removet, quo minus quaelibet mater suis tantum liberis faveat, et reliquarum prolem odio intestino prosequatur, eamque novercalibus instigationibus patri exosam reddere tentet. Et pater in tot distractus variarum matrum, fere impossibile est, quin omnium filiorum educationi vacare queat.

Neque quidquam valent, quae tanto apparatu dicuntur ab huiusce patronis de orientalium populorum, ac de Turcarum speciatim poligentiam admittentium tranquillitate domestica. Nam partim aut falsa sunt quae iactantur, partim iis mediis obtinentur, quae naturae atque indoli societatis matrimonialis plane repugnant. Notum enim est Orientales, qui plures uxores alunt, easdem gynecaeo tanquam carceri perpetuo inclusas habere, nec meliorem earum quam ancillarum esse conditionem. Hinc Aristoteles inquit apud barbaros eundem ordinem habent foemina et servus. Atque hisce gentibus barbaris opponi possunt tot gentes humaniores, quibus eadem displicuit ac fuit exosa.

Nec mos iudaeorum pro norma est, cum ipse Ser-

1 *Polit. l. 1. cap. 2.* Vide Epistolas Persianas, in quibus earum mulierum conditio ac mores venuste describuntur.

Servator ea omnia, quae a primaeva Dei institutione discrepant, in iudaeis tolerata potius quam approbata a Deo esse doceat propter eorum cordis duritiam. <sup>1</sup> Neque ulla ratio ostendi potest, cur in quaestione de divortiorum licentia magis ad primaevam matrimonii institutionem, quam ubi de poligenia disputatur, sit respiciendum. Siquidem ab ipso divortio, quod <sup>2</sup> Servator primaevae institutioni refragari advertit, argumentum deducitur irresolubile ad prohibitionem poligeniae. Etenim si is qui repudiata priore uxore, aliam ducit, adulterii reus est; multo magis adulterii reus erit, qui constante matrimonio, uxori aliam superinducit: nam ratio a Christo adducta, nempe quod Deus instituens matrimonium voluerit, ut sint duo in carne una, non minus poligamiae quam divortio obstat. Ex quibus tandem colligi oportet, quod quamquam per legem naturae poligenia, uti revera est, expresse non videretur prohibita, cum apertis verbis per Euangelium sit interdicta, nos catholici eam omnino reprobare ac detestari debemus. <sup>3</sup>

XI. Promovetur etiam alia non minus propugnata ac difficilis quaestio, scilicet, an ex iuris naturae praescripto prohibita sint nuptiae inter cognatos et affines? <sup>4</sup> Et profecto quamvis cognatio ac affinitas non repugnent aperte matrimonii fini, nihilominus cum nuptiae inter ascendentes et descendentes maxime, haud possint intercedere absque confusione propemodum respectuum et officiorum, quae parentibus in

li

fi-

<sup>1</sup> *Matth.* 19. 8.

<sup>2</sup> *Matth.* ubi supra.

<sup>3</sup> *Matth.* 19. 5.

<sup>4</sup> Vide Grotium *De iure bell.* 1. 1. cap. 5. §. 12.

filios, atque filiis in parentes conveniunt; ideo ipsa recta ratio illas omnino inhonestas agnoscit ac interdicit.

Atque equidem cum natura probare non possit contradictoria, et cum tales prorsus sint obligationes uxoris et matris, patris et filii, quae in una persona vix consistere sine summa confusione contrarietate ac deordinatione<sup>2</sup> queant; sequi necessario debet eorum nuptias minime per ius naturae esse admittendas, quibus eiusmodi obligationes, respectus, officiaque in una eademque persona manifesto confunduntur ac pereunt.<sup>4</sup>

Idem dici opus est et de nuptiis collateralium et affinium primi gradus: cum etiam circa eos eadem ratio enunciata, nimirum officiorum confusio militet ac procedat. Etenim si soror et uxor simul quaedam fuerit, vel uxoris vel sororis officia aliquando praeterire oportebit: s quippe utriusque personae officia in-

<sup>1</sup> Et revera omnes populi cultiores hæc matrimonia horruerunt. Vide *Sopheclem in OEdipo*.

<sup>2</sup> Et sane incompatibilis omnino fuerit coniunctio matrimonialis cum reverentia filiali.

<sup>3</sup> Ovid. *Metamorph.* l. 10. v. 346.

*Nec quod confundas, et iura et nomina sentis?*

*Tu ne eris et matris Pellex, et adultera patris?*

*Tu ne soror gnati, genitrixque vocabere fratris?*

<sup>4</sup> Praeterea matrimonium est a natura suasum; ut genus humanum propagetur, et eorum societas eo magis se extendat ac crescat, quod contra quodammodo eveniret, si idem sanguis ac semen a patre in filia, vel a matre in filio remearet. Vide meum *Puffendorf.* ubi supra in notis.

<sup>1</sup> Societas enim fraterna omnimodæ æqualitatis est ac independens: matrimonialis vero societas est ad certos respectus inæqualitatis quodammodo ac dependentiæ.



inter se bene saepe eliduntur ac pugnant. Verumtamen inter collaterales et affines confusio tanta non est metuenda, uti inter parentes et filios: at confusio quaedam obligationum evitari nullo modo potest, si eadem soror, eadem uxor sit; sicuti etiam periculum inhonestatis ac incestus ob conviventiam, quam simul habent fratres, si a nubendi vicissim proposito non avertantur. <sup>1</sup> Hinc dicendae sunt interdictae tales nuptiae, nisi necessitas absoluta excuset, quae tamen in praesenti haud potest supponi. <sup>2</sup> Hac vero sane necessitate redditur ratio, cur Adami liberi sine incestus crimine, inter se contraxerint nuptias, ad generis humani propagationem ac fulcimentum.

XII. Ceterum cum non alius sit genus humanum legitimus propagandi modus, quam societas coniugalis, quippe omnes commixtiones aliae extra matrimonium, ad solam explendam libidinem tantum primario intendant, atque hac de causa a recta ratione reprobentur; consequenter venit, ut ipsorum coniugum et liberorum inde natorum intersit summopere, matrimoniale coniunctionem animumque hanc contrahendi, signo quodam externo testatum fieri, iustamque uxorem a concubina, maritum a stupratore, liberos legitimos ab illegitimis contrasignari ac distinguere. Quod cum non possit effici vix alia via, quam si nuptiae publicae et solemniter stipulentur; facile percipitur, cur omnes fere gentes quosdam ritus ac

li 2

cae-

<sup>1</sup> Vide Fleury *Ius canon.* P. 2. cap. 5.

<sup>2</sup> Prohibitio haec matrimonii contrahendi inter consanguineos ac affines, usque ad quartum gradum per ius canonicum extenditur. Quod nos catholici sequimur. Dispensatio tamen tertii et quarti gradus, iusta aliqua de causa, facile conceditur.

caeremonias nuptiales, ad declarandum consensum, officiaque coniugum significanda idoneas, adhibendas putarunt.

Itaque gentes etiam barbaras et incultas antiquitus semper certis ritibus uti voluisse, ac consuetudinibus in nuptiis, historia demonstrat: multoque magis humaniores veluti Hebraeos, Graecos, Romanos, de quibus tantae eruditionis apparatu abeunt Calmetus, Petitus, Gravina. Hinc venit etiam, ut nos Catholici in faciem Ecclesiae, proclamationibus praemissis, interveniente Parocho, testibusque duobus praesentibus, matrimonium contrahere debeamus.

XIII. Hactenus egimus de his, quae ad matrimonium constituendum componendumque necessaria sunt: proximum est, ut de officiis coniugum pauca loquamur. Cum enim essentia huius societatis requirat consensum, is vero sine dilectione ac concordia sperari nequeat; consequi oportet, ut coniuges mutua praedilectione se se complecti, et non modo communem rem familiarem communi sententia administrare, sed et alter alteri pro virili adiumento esse, immo et communem utramque fortunam habere, imprimis vero in liberorum educatione concurrere, atque ope et consilio se invicem auxiliari debeant. Constante ergo matrimonio evidens est, quod omnia communia coniuges habere tenentur. Nam si coniuges sunt socii, ac unam personam ob coniunctionem voluntatis efficiunt; necessario sequitur, ut res quae ad societatem eorum pertinent, utpote et actiones, quae huic influunt coadiuvantque, promiscue sint ac communes. Ex quo patet, cum Mode-

sti-

stinus Iurisconsultus definiverit nuptias : <sup>1</sup> *Coniunctionem maris et foeminae, consortium omnis vitae, divini- que et humani iuris communicationem.*

XIII. Ex fine porro matrimonii ad alia obstrin- guntur officia coniuges. Et primum ad cohabitatio- nem : posteaquam absque cohabitatione neque ad so- bolis procreationem, multoque minus ad eiusmodi educationem vacare possent. Secundo, ad sibi solis usum corporis praebendum, obligantur coniuges; ita ut ab adulteriis aliisque furtivis impurisque amoribus ac coniunctionibus scrupulose caveant, quae omnia sobolis diverticula ac impedimenta apparent. Nam quamvis impudicitia uxoris magis fini matrimonii, quam viri incastitas repugnet ob confusionem prolis, quae ab illa provenit; <sup>2</sup> nihilominus etiam vir ad idem officium uxori praestandum religiose tenetur: posteaquam aliter matrimonium non esset societas duorum in idem concurrentium, uti iam supra fuit definitum. Siquidem non in eundem finem ac me- dia maritus tenderet societatis, si ipse coire ac rem habere cum aliis mulieribus posset. <sup>3</sup> Insuper quod sibi quisque non vult fieri, id nec ipse alteri facere debet, adeoque si maritus exigit ab uxore, ut nul- li alii usum corporis praebeat quam sibi, etiam ipse obstrictus erit ad idem officium mulieri praestan- dum. Denique societatis matrimonialis natura ac es- sentia requirit profecto, ut veluti cessio quaedam re-

<sup>1</sup> Leg. 1. Digg. de ritu nuptiar.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 17. nota ultima.

<sup>3</sup> Digg. l. 48. T. 5. ad leg. Iuliam de adult. coërcend. *Perini- quum videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigit, quam ipse non exhibeat.*

ciproca corporum inter contrahentes matrimonium fiat, unde eorum quisque, nisi ad procreandam communem sobolem, eodem uti queat: atque hanc promissionem reciprocam consensus, ad invicem matrimonium stipulantium, proprie continet. Tertio tandem coniuges pari amore ac concordia<sup>1</sup> communes liberos amplecti, eorumque educationem curare, atque ad invicem se hoc in officio, quod matrimonii finem, iuxta ac eorundem procreatio constituit, iuvare tenentur.

XV. Deinde si adeo haec matrimonialis societas esset aequalis, ut alter alteri nunquam cedere deberet, imperfecta, nec durabilis nec conducibilis ad finem cui dirigitur, evaderet: quare merito convenit, immo necesse est, ut unus alteri cedere debeat. Cum vero minus prudens ac valens mente ac corpore, prudentiori ac valentiori cedere oporteat, homo autem prudentior ac validior ut plurimum sit, et ad negotia aptior quam mulier;<sup>2</sup> ideo rationabile est, mulierem cedere debere viro. Et revera cum coniuges ad ea omnia sint obligati, sine quibus procreatio ac educatio commoda prolis obtineri nequit; obstricti etiam erunt ad praerogativam alterutrius admittendam, sine qua sperandus non est in eadem media consensus. Quia vero in societate inter pares praerogativa ex rationis principiis debetur illi, qui maiori capacitate ac robore praeditus videtur, et cui maius onus incumbit, is sane in societate coniugali sit maritus ut plu-

ri-

<sup>1</sup> Tacit. in Agricol. *Vixerunt mira concordia per mutuam charitatem.*

<sup>2</sup> S. Paulus: *Vir caput est mulieris.* Ad Ephes. cap. 5. 23.

rimum; ergo uxor, ex principiis rationis, obstricta erit ad praerogativam mariti ferendam.

Haec vero praerogativa ac potestas cum tantum marito concessa sit ad negotia, quae salutem utilitatemque matrimonialis societatis et familiae respiciunt; clare patet, quod illa minime in imperium herile degenerare debet, <sup>1</sup> quale apud barbaros plerosque orientales invaluisse, iam supra observamus. <sup>2</sup> Nec multo minus transcurrere debet in iure vitae et necis, id quod leges quorundam populorum nimis incaute ac impie indulerunt. <sup>3</sup> Neque in iure uxores aliis vel vendundi vel commodandi vel cedendi: a quo reprobando more ii populi, apud quos uxores tanquam res, in commercio fuerunt, ipsique Romani quidem, indigno sane populi culti consilio, temporibus Reipublicae, non abhorruerunt: <sup>4</sup> sed in facultate tantum debet consistere, uxorum actiones prudenti praescripto dirigendi, easque ad familiae necessitates ordinandi, sicuti etiam easdem defendendi ac protegendi, et immodestas atque contumaces pro coniugum conditione ac dignitate corrigendi, immo et ob causas graves, de quibus paulo post dicendum erit, separatione conviventiae, et quoad torum, ut aiunt, puniendi.

XVI. Sed cum talis praerogativa, ob praesumptam maiorem prudentiam atque capacitatem ad onera matris-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 12. nota 1.

<sup>2</sup> §. 11.

<sup>3</sup> Vide Caesar. de bello Gall. III. 19. Tacit. de moribus German. cap. 19.

<sup>4</sup> Vide Plutarc. in Catone pag. 770. qui propriam uxorem Hortensio concessit.

trimonii ferenda, marito tribuatur; ideo si ille prudentia ac qualitatibus huiusmodi minime polleat, vel nolit uti, aut renuat matrimonii onera subire, potest pacto hanc uxori praerogativam adstipulari, uti in matrimoniis quarundam Reginarum factum fuit, utpote erudite collegit atque monstravit Palthenius dissertatione singulari ac curiosa, de Reginae marito. Hoc quidem pactum intervenit in matrimonio Reginae Ioannae I. Neapolis cum Othone Duce Bransvicensi, quae in matrimonialibus schedis expresse conditionem eiusmodi voluit inscriptam, illum nec dicere se posse regem. <sup>1</sup> Aliquid simile accidit etiam in matrimonio Isabellae Reginae, ac Ferdinandi Regis quondam Hispaniarum: <sup>2</sup> et nos vidimus in illo Augustissimae et semper memorabilis Mariae Theresiae Imperatricis Reginae Hungariae et Bohemiae, cum Augustissimo Imperatore Francisco I.

Quare cum maritus ut plurimum, partes primas teneat in matrimoniali societate, nequit ipse detrectare officium alendi uxorem ac liberos, oneraque alia matrimonii ferendi, iuxta conditionem ac facultatum suarum vires. Verumtamen cum liberi sint aequae communes uxori ac marito, communisque etiam rerum familiarum cura ac usus; merito et uxor partem istorum onerum, quantum habilitas, facultates ac opes eius comportant, in se suscipere debet. Unde proculdubio origo dotium apud Graecos Romanos aliosque populos antiquos et modernos processit, quae  
ex

<sup>1</sup> Vide Giannonem in *Historia Neapolitana* l. 23. cap. 3.

<sup>2</sup> Vide Flechierum in *Vita Cardin. Ximenes* cap. 2. et Marianam *Hist.* l. 24. & meum Puffendorf. l. 6. cap. 1. §. 9.

ex portione haereditatis paternae ac maternae debita<sup>1</sup> filiae constant. Hinc ipsi Romani Iurisconsulti dotem, ad ferenda opera matrimonii, dari fatentur.<sup>2</sup> Et quamvis ipsi Romani filias Reipublicae temporibus, per legem Voconiam haereditate paterna ac materna prorsus excluderent; nihilominus eas dotare solebant, sicuti eleganter monstravit Perizonius<sup>3</sup> in peculiari sua dissertatione ad legem Voconiam, eo sane recto fine ac debito, ut partem aliquam patris ac matris bonorum ipsae consequerentur, et munera matrimonialia una simul cum marito sustinere quirent. Quae postea lex a Iustiniano omnino abrogata fuit,<sup>4</sup> atque equidem in posterum, aequa lance cum fratribus, sorores haereditatem paternam maternamque diviserunt. Hic tamen notandum superest, quod usus dotium, qui tantum ex iure civili provenit, nihil ad ius naturae pertinet, saltem relative ad matrimonium. Indifferens enim est iuri naturae, an uxor dotata vel indotata in nuptias eat.<sup>5</sup> Id quod et Iurisconsulti civiles recognoscunt.

XVII. Cum supra iam fuerit monstratum, plane omnia esse omittenda, quae fini matrimonii scilicet procreationi atque educationi sobolis obstare videntur,

Kk

<sup>1</sup> Vt ea etiam in partem onerum, ac munerum matrimonialium venire queat.

<sup>2</sup> Digg. De iure dotium. Cod. eodem.

<sup>3</sup> Dissert. de lege Voconia §. 4.

<sup>4</sup> Digg. ubi supra l. 76.

<sup>5</sup> Nuptias dos non facit, Novell. 10. De triente, et semisse. Et Digg. Sine dote matrimonium subsistit, Digg. de relig. et sumpt. Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 14.

tur, et cum procreatio maxime educatio liberorum perpetuam coniugum societatem reposcant; facile patet ei finis e directo adversari divortiorum licentiam, qualis apud plerasque gentes olim invaluerat, atque etiam nunc apud quosdam populos ob certas causas, veluti humorum discrepantiam, morum pravitatem ac desertionem malitiosam perperam usitata apparet. Quae licentia si profecto admittatur ob causas huiusmodi, nullum coniugium prope fuerit, quod praetextu huiusce alicuius causae in liberorum procreationis educationisque praeiudicium, cum societatis humanae dispendio, dirumpi nequeat: quorum propagationi ac conservationi cum unice quidem intendat ius naturae; impossibile est, ut idem divortium ullo modo permittat atque consentiat. Quare concludere oportet, neque intolerabiles alterius coniugis mores, neque ipsiusmet iniuriam ac pervicaciam, neque denique praevaricationem, atque ipsum adulterium, ius veniendi ad talem separationem, divortiumque matrimonii consummati et perfecti alteri coniugi dare, ita ut saltem ei sit facultas ad alias nuptias transeundi. <sup>1</sup> Hoc enim, familiarum, ac societatis humanae consistentia et tranquillitas non minus, quam matrimonii pactum finisque, nempe sobolis propagatio et levamen, <sup>2</sup> quidquid Protestantes oblaterent in contrarium, requirunt.

Ad-

<sup>1</sup> Ex hac enim indissolubilitate provenit, ut vir et mulier ad invicem se compati studeant ac debeant: atque ita obfirmatur societas.

<sup>2</sup> Et naturaliter sane quidquid necessarium fini alicuius intro-  
ductio-



Addatur quod eadem indissolubilitas per Euangelium expresse praescribitur ac ordinatur, <sup>1</sup> iuxta interpretationem nostram catholicam. Contra quam si a Protestantibus luculenter congesta valerent, opus esset dicere, quod meliori conditione dimissa mulier per adulterium fuisset, quam illa ob aliam quamcumque causam iniuste repudiata: nam illa denuo nubere absque crimine posset, haec vero per ipsum Euangelium <sup>2</sup> nubendo moecharetur. Quae cum manifesto absurda sint, de divina sapientia absque piaculo admitti nequeunt.

Non est dubium tamen, quin ob morum intolerantiam, ac multo magis ob adulterium unius coniugis, separationem conviventiae, ac quoad thorum uti dicunt, non solum ius naturae, sed etiam ius divinum positivum, iuxta catholicorum expositionem, et ius Ecclesiasticum alteri coniungi concedant atque permittant. Hanc conniventiam aequitas suasit, ad scandala, deordinationes ac maiora mala evitanda. <sup>3</sup>

XVIII. Tandem etsi solemne minus sit matrimonium, cui desunt ritus ac publica pacta, hoc tamen non obstat, quin idem verum sit matrimonium, cum sobolis procreationi atque educationi non minus, ac illud solemne intendat ac curet. Ideo matri-

Kk 2

mo-

tionis est, illud utpote finis ipse fit indispensabile: perpetuitas matrimonii est necessaria ad finem matrimonii, nempe ad procreationem et educationem prolis; ergo erit indispensabilis.

<sup>1</sup> Matth. V. 32. Et 10. Quos Deus coniunxit, homo non separet.

<sup>2</sup> Vbi supra.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 23. et Sanch. l. 2. Disputat. 13.

monium Morgonauticum usitatum a Germanis, <sup>1</sup> matrimonium secundi ordinis, matrimonium conscientiae, quae omnia absque solemnitatibus ac publicis ritibus contrahuntur, et uxor quae in his intervenit, ad publicum non producitur, vera matrimonia reputantur, cum quaerendorum atque educandorum liberorum causa adstipulentur, et essentialibus pactis et requisitis, ac indissolubilitate constant. Huc poterat quodammodo reduci etiam concubinatus Romanorum, apud quos concubina non aliter differebat ab uxore legitima, quam dignitate, quippe a pellice distinguebatur. Unde et coniugium inaequale vocatur concubinatus in corpore legum. <sup>2</sup> Sed apud nos Catholicos omnino talis coniunctio, quae sub concubinatus nomine venit, reprobatur atque interdicitur. <sup>3</sup> Quippe quia credimus ac sustinemus matrimonium inter nos, per Euangelium, ad Sacramenti conditionem et dignitatem evectum esse: quod absque certis formalitatibus ac Ecclesiae ministro, et indissolubili vinculo sustineri nequit.

Praeterea supradictis addere necesse est, in imperantium consistere arbitrio semper, huiusmodi coniunctionibus minus regularibus ac solemnibus illum effectum tribuere in civitate, quem ipsi velint, ac convenientem considerent. <sup>4</sup> Vtpote apud non Catholicos Ecclesiae quoque est de consensu eorundem impe-

<sup>1</sup> Vide Codicem Frider. Regis Prussiae l. 2. T. 1. Art. 2. p. 1.

<sup>2</sup> Cod. de natur. liber.

<sup>3</sup> Optime de matrimonio Hyeronimus: *Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* In Epitaph. Fabiolae.

<sup>4</sup> Vt in materia feudali ac successionum praecipue accidit.

perantium, ea an iuxta, vel contra leges Ecclesiasticas aut canonicas celebrata sint, recognoscere ac declarare. <sup>1</sup>

## CAPVT III.

DE SOCIETATE LIBERORVM,  
et parentum, et de eorum respectivis officiis.

I. **P**ost simplicissimae societatis matrimonii scilicet tractationem, de qua superiore capite disseruimus, agendum est de altera minus simplici societate compacta parentibus ac liberis, qui ab eis procedunt. Hi enim tantisper cum parentibus in societate vivunt, donec ipsi novas familias constituent, et e parentum manu potestateque exeant. Et quamquam liberi quando ad lucem veniunt, nec expresse nec tacite in hanc societatem consentire valeant; nihilominus, quia et ex praesumpto consensu aliquando nasci potest societas, si ex ipsa rei natura, alterum consensisse profecto iudicemus, uti supra animadvertum fuit; <sup>2</sup> ipsa vero liberorum adhuc infantium conditio ac natura exigit, ut aliorum in societate ac dependentia maneant: inde nihil opponitur, quo

<sup>1</sup> Cum enim nos Catholici (uti paulo ante adnotavimus) matrimonium per Evangelicam legem, Sacramentum factum esse, teneamus, id quod spiritualis res est et religiosa; inde convenientissimum videtur, ut ministri religionis de eo cognoscant, ac decident ex consensu imperantium. Verum annexa et dependentia matrimonii, quae mere temporalia sunt et civilia, a iudice laico disponi ac iudicari solent. Vide Van-Espen. *Instit. Canon.* l. 1. P. 2. T. de spons. et matrim.

<sup>2</sup> Cap. I. §. 11.

minus parentes et liberos in eundem finem eademque media consentire praesumamus, atque adeo dari societatem inter ipsos, revera concludamus.

II. Et quidem cum liberi, dum infantes sunt, non sint ea ingenii perspicacitate praediti, ut ipsi, vel quomodo de alimentis sibi providere, vel quomodo actiones suas ad rectae rationis normam conformare debeant, discernere possint; sane Deus, qui eos voluit subsistere ac vivere, aliis curam commisisse percipitur, tenellos illos homunculos nutriendi, educandi instruendique. Et cum ipse Deus incredibilem amorem erga liberos inseruerit parentibus, ut ad hoc officium excitarentur disponderenturque a natura, et praeterea cum ipsi et huiusce officii exercendi causa, nempe educandae prolis, societatem matrimonialem inierint, vel saltem inire debuerint, iuxta rectae rationis praescriptum; consequi necessario debet, ut id officium primario eisdem parentibus incumbat ex iuris naturae praecepto: ideoque societatis parentes inter et liberos finis non alius est, quam commoda horum educatio, et in vitam praeservatio ac institutio.

Nec refert, quod aliqui parentes, rationis dictamina non curantes, alium finem ob oculos habere possint in matrimonio contrahendo, veluti extinctionem libidinis ac propriam voluptatem, quia non ad il-

1 Hic advertere oportet, magnam differentiam intercedere inter consensum tacitum et illum praesumptum. Primus enim a factis desumitur, uti a redditione chirographi remissio debiti deducitur. Alius ab aequitate naturali provenit, quae eundem supponit intelligitque. Ideoque clare patet, hunc etiam in non habiles ad consentiendum, supponi posse, cum a naturali aequitate procedat. *Vide Thomae. Iurisprud. divina l. 2. cap. 7. §. 23.*

illum finem, qui aliquando in parentibus perverse inest, sed ad illum rectum, qui inesse debet, respicit ius naturae: cum profecto nulli liceat iuri praeceptivo, quod hunc finem statuit, prohibetque contrarium, renunciare, dato matrimonio. <sup>1</sup> Aliter omnia iuris naturae praecepta inutilia prorsus evaderent, et ab arbitrio uniuscuiusque dependentia, neque ad humani generis ac societatis praeservationem, cui praecipue diriguntur, inservirent, neque a Deo enixe ordinata ac praescripta essent dicenda.

III. Quamobrem si finis societatis matrimonialis est commoda et conveniens sobolis procreatae educatio, atque si expressa Dei voluntas est, ut hanc parentes administrent ac curent, educatio autem sine directione eiusdemmet sobolis actionum exsequi ac consistere nequit; consequens est, ut parentibus liceat liberorum actiones dirigere, ac proinde competat iis potestas aliqua in liberos, adeoque societas quae advenit inter parentes ac liberos, societas inaequalis erit vocanda.

En igitur origo potestatis paternae in liberos, scilicet voluntas Dei. Nam Deus vult, ut liberi existant, atque adeo ut conserventur et feliciter vivant: <sup>2</sup> conservari, et felices esse nequeunt, nisi accurate ac diligenter nutriantur educentur ac instruantur; haec autem nullo modo fieri possunt, nisi eorum actiones ordinentur ac dirigantur; ergo Deus vult, ut ab iis  
qui

<sup>1</sup> Vide l. 1. cap. 1. §. 5. nota 2.

<sup>2</sup> Quapropter ad hanc educationem et parentes obligantur, et liberi usque dum saltem obligationis incapaces sunt, consentire ac se subiicere praesumuntur.

qui liberos procreant, alunt atque educant, eorum actiones etiam dirigantur. Et cum facultas actiones liberorum dirigendi, constituat in eosdem potestatem; inde sequitur, Deum velle, parentes in liberos potestatem habere. Unde licet arguere, male iuxta suam consuetudinem Hobbesium <sup>1</sup> ratiocinari, qui hanc potestatem ab occupatione derivare vult, utpote et Puffendorfium, <sup>2</sup> qui hanc a tacita tantum conventionione parentum ac liberorum desumere videtur.

Quare sicuti ex fine cuiusque societatis, officia superiorum sunt deducenda; <sup>3</sup> ita et haec parentes inter ac liberos potestativa societas, sive officia huiusce inaequalis societatis inter eos consistentis, ex ipsiusmet societatis fine derivanda erunt. Ideoque potestatem huiusmodi conveniens fuerit definire: ius competens parentibus ea omnia agendi in directione liberorum, sine quibus eorum actiones, ad obtinendum huiusce societatis finem, minime ordinarentur.

III. Praeterea cum officium educandae prolis, utpote finis conjugalis societatis, utrique parenti inhaereat; facile patet etiam potestatem patriam in utroque parente consistere debere. Itaque contra rationis principia, Romani Iurisconsulti hanc potestatem a iure gentium repetere, eamque soli patri tribuere voluerunt. <sup>4</sup> Verumtamen ex eo, quod pater caput familiae est, atque ordinarie in matrimoniali societate primas refert partes; necessario sequitur eum etiam, in di-

<sup>1</sup> De Cive cap. 9. §.

<sup>2</sup> *Iuris nat. & gent.* l. 6. cap. 2. §. 1.

<sup>3</sup> Vti signatum fuit supra cap. 1. §. ult.

<sup>4</sup> Vide *Instit.* l. 1. T. 12. et Vinnium in hunc locum.

directione filiorum, praerogativam tenere aliquam, ita ut dissentientibus parentibus, paternae magis quam maternae voluntatis ratio habeatur; nisi pater aliquid, quod manifesto turpe liberisque noxium videatur, iubeat: nam ad id, tanquam moraliter impossibile, nec mater nec filii obstringi possunt, neque ipse pater ad hoc ius aliquod habet.

V. Quoniam vero, deficientibus patribus avo vel aviae hoc officium liberos educandi defertur, ob propinquitatem sanguinis, quam hi habent cum patre, et ob dependentiam, in qua ipse pater, ab iisdem fuit; et propter deficientiam avorum, idem officium ex consanguinitate, cognatis propinquioribus incumbit, vel ex pietate aliis, quibus pater demandavit munus huiusmodi; evidens est hoc in casu, et avis et cognatis et tutoribus et paedagogis, hanc eandem potestatem competere: adeo ut hi omnes eatenus ipsa uti queant, quatenus eam suscepta ab his cura educationis reposcere videtur: nam absque ea potestate, educationis finem, cui destinantur, ullo modo consequi nequirent. <sup>2</sup>

Ex hoc officio educandi liberos provenit insuper mos, eos in adoptionem tradendi aliis, non vero ex male figurato a Iurisconsultis Romanis dominio parentum in liberos. <sup>3</sup> Posteaquam ex eodem officio liberos educandi, eorumque conditionem meliorem faciendi, ad quos patres tenentur, desumitur etiam eorum-  
 LI rum-

<sup>1</sup> Extra matrimonium sola mater ad hoc officium tenetur per ius Roman. *Lex naturae haec est, ut qui nascitur sine matrimonio legitimo, sequatur matrem.* Digg. l. 1. T. 5. l. 24. de stat. hom.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 6. cap. 2. §. 5.

<sup>3</sup> Digg. De rei vindicatione.

rumdem arbitrium ac facultas illud officium transferendi in alios, qui rectius id exsequi posse putantur per adoptionem. Nec quidquam refert masculus an foemina, <sup>1</sup> nupta an innupta adoptet, vel in se suscipiat liberum aut liberos: quia haec adoptio non imitatur naturam, sed parentum tantum officia amplectitur ac consecratur, educationis implendo munere.

VI. Quandoquidem ergo potestas parentum in filios, consistit in iure eorum actiones dirigendi, ad obtinendum educationis societatisque finem, quam simul ipsi componunt; rationi consentaneum est, ut liceat parentibus omnia facere, quae ad hunc finem tam providum conducunt, veluti liberis praescribere, quae agere debent, ac prohibere ea quae hos minime decent, atque eosdem immorigeros non modo admonere ac obiurgare, sed etiam castigare, et acrioribus remediis in ordinem redigere, modo id moderate ac prudenter fiat, et cum aetatis ac characteris ipsorum liberorum accurata discretione. Quapropter sapienter, ut solet semper, Puffendorfius observat, <sup>2</sup> maiorem esse vim huius potestatis in liberorum prima aetate, quam in aetate eorum adultiori: nam pater tantum potest, quantum huius societatis finis, nempe liberorum educatio reposcit ac vult. Liberi autem primae aetatis cum sint omnino imperfecti iudicii, vix quid faciendum sit, perspiciunt: ideoque tunc convenit, parentes illorum omnes actiones praeordinare ac

<sup>1</sup> Hic etiam cavillabant Romani. *Vide Cod. de adopt. leg. 5. per quam mulier, impetrare licentiam a Principe adoptandi debebat.*

<sup>2</sup> *De iure nat. et gent. l. 6. cap. 2. 7.*



ac disponere, nimirum eos ad professionem aliquam applicare, in religione instruere, ad scientias informare, et renitentes ac immorigeros etiam coercere et punire. Id quod prudens pater non gerit cum filio adultiori, quem maturiore iudicio praeditum, rationibus consilio ac suasionem potius quam auctoritate imperiosa ac severitate ad quaevis honesta protrahere oportet. <sup>1</sup> Sic recte puerum invitum etiam castigationibus in scholam venire cogent parentes, at improbe impellent adultum renuentem, ad uxorem ducendam, ad certum genus vitae eligendum. Ceterum parentes in genere semper ante oculos habere tenentur Marciani monitum: quod patria potestas in pietate magis, quam in atrocitate consistit. <sup>2</sup>

VII. Hinc potest desumi, haud patri ius vitae ac necis pertinere in filios, cum finis talis societatis hanc potestatem minime requirat. Itaque si potestas patria per aliquos populos male sane usque ad hunc extremum deducta fuit; illi vel contra iuris naturae dictamina egerunt, vel tanquam principes ac imperantes, potius quam parentes hoc ius exercuerunt. Id vero vel inde apparet, quod ius illud vitae ac necis, magis patris proprium quam matris fuisse, immo ius hoc in ipsas uxores, ac nurus viduas se extendisse videtur: unde elucet, hoc tanquam caput ac principem familiae patrem exercuisse. Huiusce iuris exemplum praebuit Iudas, qui, scortatione Thamaris nurus percepta, eam ad flammam damnavit. <sup>3</sup> Ita et hodie Reges, qui

Ll 2

su-

<sup>1</sup> Vide Lokium in suo *Civilis regimin. tractatu* l. 1. cap. 5.

<sup>2</sup> Digg. l. 48. T. 9. ad leg. Pomp. leg. 5.

<sup>3</sup> Genes. XXXVIII. 24.

supremo dominio pollent, si volunt, hoc iure vitae ac necis utuntur in filios uxores ac familiam. <sup>1</sup> Et olim consueverunt eodem uti Principes: sic inter Perseum et Demetrium filios, iudex sedit Philippus Macedo: <sup>2</sup> sic a Messalina uxore sumpsit supplicium Claudius <sup>3</sup> imperator. <sup>4</sup> Quapropter ius naturae omnino reiicit reprobatque ius rigidum saevumque illud excogitatum usitatumque a veteribus Romanis vitae ac necis in liberos, <sup>5</sup> ab ipsis postea humanioribus moribus instructis prorsus abrogatum detestatumque, ut ex Iustiniani patet institutionibus. <sup>6</sup>

VIII. Ex dictis resultat etiam: quod minime parentibus competit ius venundandi liberos, noxae dandi delinquentes, et omnia quae liberis aliunde obveniunt acquirendi, quamvis haec omnia antiqua saltem Romanorum iurisprudencia probaverit admiseritque. <sup>7</sup> Nihil enim horum ita comparatum est, ut sine eo finis huius societatis obtineri nequeat. Verum sicuti parentes ius tenent liberorum actiones dirigendi, ita facultas ipsis non deneganda est, certas operas liberis iuxta eorum conditionem imponendi, ex iisque lucrum capiendi aliquod, immo et administrandi ea bona, quae iisdem aliunde proveniunt, illorumque

<sup>1</sup> Vide Barbeyracium ad Puffendorf. *l. V. cap. 2. 10.*

<sup>2</sup> Vide Livium *l. 8.*

<sup>3</sup> Sueton. in eius vita *cap. 26.*

<sup>4</sup> Ita *L. Brutus* filios suos, Tarquinii dominationem a se repulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensus, proque tribunali virgis caesos, et ad palum religatos securi percuti iussit. Val. Maximus.

<sup>5</sup> Vide Dionysium Halyc. *l. 10. cap. 2.*

<sup>6</sup> *L. 1. T. 9. De patria potestate.*

<sup>7</sup> Ex lege Romuli. Vide Gravinam *De orig. jur. civ. l. 2. §. 22.* Vide meam Puffendorf. ubi supra §. 9.

que capiendi fructus. <sup>2</sup> Nam si liberi indigent directione parentum, et eorum res hac eadem directione non ne indigebunt? Praeterea liberi quibuscumque rebus egent, eas a parentibus non consequuntur? Cibum, potum, vestes, habitationem, sumptusque disciplinae, qua instruuntur? Ergo non erit iustum, ut et parentes ipsi, quasi horum omnium in quamdam compensationem, liberorum operarum proventus, eorumque bonorum fructus percipiant?

VIII. Hactenus de potestate parentum diximus. Nunc remanet, ut ea, quae ad eorundem officia spectant, observemus ac percurramus: id quod admodum necessarium est, posteaquam a liberorum recta indole ac institutione, profecto societatis civilis bona constitutio formetur ac pendeat. Cum igitur horum omnium officiorum sit fundamentum, commoda optimaque liberorum educatio, quippe quia haec societatis parentum et liberorum est unicus finis; inde nemo non videt, parentes obstrictos esse ad ea omnia agenda, sine quibus finis huiusmodi obtineri nequit, et ad ea omittenda, quae fini illi repugnant et adversantur. Ideo operae pretium fuerit paulo accuratius, id quidem in quo haec educatio consistat, evolvere ac

<sup>2</sup> Peculium illa bona, quae filio aliunde adveniebant, vocabant *Iuriscons. Roman.* Tria autem horum faciebant genera: nimirum *castrense*, quasi, et *paganum*. Primum dicebant, quod militando filius consequeretur. Secundum, quod acquirebat per scientias. Tertium in *adventitium* et *profectitium* dispertiebantur. Primum illud *constituebat*, quod per *donationem* *haereditatem* ipsi *veniebat* filio. In hoc *habebat* Pater *usumfructum*. Aliud erat quod a patris bonorum *proventibus* emanat, atque in hoc *plenam* patris *dispositionem* transibat. Vide *Daumatium* in suis *Leg. civil. P. 2. l. 2. T. 2. sect. 2.*

ac explicare, unde officia non solum parentum sed etiam liberorum pleno alveo fluunt.

X. Iam supra visum fuit, <sup>1</sup> ex matrimoniali societate obligationem educationis, conservationisque liberorum in parentes derivari. Quae obligatio postea obfirmatur et augetur ex amore illo, quem intensissimum natura inserit in patres erga liberos, ita ut illi eam negligere ac praetermittere vix unquam videantur. Hanc porro obligationem etiam societatis inter eosdem parentes ac liberos fundamentum esse, paulo ante demonstravimus. Cum ergo parentes tam enixe et rigurose ad liberorum educationem ex iure naturae obstricti sint, inquirere oportet, in quo haec versetur ac sistat. Per educationem nihil aliud intelligimus, quam curam parentum, qua liberos suos conservare, eorumque conditionem et constitutionem amplificare ac perficere, unde felices evadere queant, omni opem nituntur. Hoc enim conficiendo parentes, et coniugii finem assequuntur, et instinctum illum amoris liberorum, quo a natura instructi sunt, sane obsecundant et implent. Praeterea amor et benevolentia componitur ex studio ac procuratione conservandi, augendi ac meliorem reddendi conditionem illius, quem benevolentia complectimur, uti suo loco explicatum fuit: <sup>2</sup> *Et revera procreare filios, quid refert, nisi conserventur, quid conservare, nisi instituantur ac perficiantur, ut felicitatis participes fiant ad bene vivendum iuxta energicas Senecae expressiones?* <sup>3</sup>

XI.

<sup>1</sup> Cap. super. §. 3.

<sup>2</sup> Iuxta boni et mali definitionem. *Vide l. 1. cap. 1. §. 1.*

<sup>3</sup> De beneficiis l. 3. 31.

XI. Igitur cum parentum sit praecipuum officium, operam dare, ut conserventur liberi, et cum absque alimentis hoc obtineri nequeat; sequi debet, ut patres teneantur iis alimenta sufficientia ac commoda, id est victum vestitumque pro conditione sua praeberre. Ad quae alimenta spectat, adhuc illis tenellis lactis quoque instillatio: cui officio matrem esse obligatam ipsa natura declarat, ex hoc, quod illico a partu eius ubera lacte turgent, atque illa dulcis scaturigo promanans tamdiu perdurat, quo infantuli stomachus solidiorem cibum amplecti valeat. <sup>1</sup> Ideo neglecti prope officii matres illae reae erunt, quae vel commoditatis, vel incuriae, aut formae praeservandae causa, nulla iusta ratione impeditae, nutricibus eam demandant impie operam. At sicuti necessitas excusat ab officio affirmativo, uti iam suo loco observavimus; <sup>2</sup> ita si mater infirma fuerit ac delicata nimis, vel sine lacte, non erit improbanda, si nutrici commendet infantem alendum, bene formatae ac constitutae animi et corporis. Ad quod nempe ad bonam constitutionem animi ac corporis nutricis, advertendum est diligenter. Nam valde refert, ne teneri illi pueri cum lacte vel infirmitates, vel improbos mores et inclinationes pravas ebibant ac contrahant.

Nec tantum ad alimenta praestanda filiis parentes obligantur, sed et eorum valetudinem curare, eorundem

<sup>1</sup> Hoc Germani recognoverunt debitum, officiumque impleverunt accurate, ut Tacitus de morib. German. scribit: *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis nutricibus delegantur.* Alcoranus hoc expresse ordinat etiam. *Vide Ricbualt de morib. Turcar. l. 1.*

<sup>2</sup> L. 1. cap. 6. §. 20.

dem corpus, membraque quantum in se est, integra servare, quin et eos a luxu, ingluvie, lascivia, omnibusque vitiis quae vires corporis animique prosterunt, avertere: atque adeo non temere solos ac sine custodia unquam relinquere debent, ne ipsi inobservati in malum periculaque prosiliant.

Quare huic officio conservandi liberos, omnino adversantur procuratio abortus, expositio infantum, eorum nihil tale meritorum abdicatio vel exhaereditio, alimentorum denegatio atque institutionis, et alia quae contraria aperte huiusce societatis fini esse videntur. Quid differt, sive quis liberos propriis manibus crudeliter interficiat, sive iisdem alimenta denegat? Exhaereditare autem atque abdicare innocentes, cum idem sit ac nutritionem denegare; evidenter apparet, omnino contravenire iuri naturae patres illos, qui talia indigna impiaque in proprios liberos patrare audent. <sup>1</sup>

XII. Praeterea cum officium parentum sit, procurare etiam liberorum perfectionem ac felicitatem et cum ad hanc pertineat summopere intellectus cultura, ac voluntatis in verum bonum institutio; sane parentum erit, liberos praeceptis sapientiae imbuere, eosque liberalibus studiis, Physicis aut Theologicis scientiis, vel iuxta conditionem eorundem aliqua arte informare. Si vero parentes non sint ad huiusmodi institutionem ac curam habiles, vel huic ipsi, ob eorum

<sup>1</sup> Digg. *De agnit. et alim. lib.*

<sup>2</sup> Digg. l. 25. T. 3. de agno s. liber. *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed et is, qui abiicit et qui alituram denegat, et is, qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet.*

rum professionem ac conditionem, vitae vacare nequeant, tradere eos tenentur praeceptoribus, ad tale munus adimplendum idoneis expertisque, ita ut illorum mens ad scientias vel artes, et ad virtutem formetur, atque adeo illi apti evadant ad aliquod exercitium, quod eligendum est indoli ac circumstantiis eorum, atque civili societati, in qua vivere incipiunt, conveniens. <sup>1</sup> Hinc non modo ad vitae genus selectum attemperandi sunt liberi, sed etiam ad status ac Reipublicae formam, uti Aristoteles recte observavit. <sup>2</sup>

XIII. Verum ad nihil prope inserviet liberorum intellectus recta institutio, nisi haec prosecuta sit illam valde nimis maioris momenti, voluntatis ac cordis. Nam quid interest liberorum intellectus ad scientias artesque componere, nisi eorum voluntas ad amorem virtutis et honesti, pietatisque dirigatur, ac e contra retrahatur a vitiis? Quapropter ad religionem pietatemque inflammandi sunt liberi, ad iustitiam, frugalitatem, temperantiam, prudentiam, aliasque virtutes exercendas assuefaciendi, illique a vitiis contrariis praecavendi sunt diligentia omnino singulari, scilicet ab irreligione, ab ingluvie, a praecipitantia, ab iniuriis in alios, ceterisque actionibus pravis, quae probitati e directo opponuntur. Verum ad haec, eos decet, pa-

Mm

ren-

<sup>1</sup> Optime Iuvenal. satyr. 14. vers. 70.

*Gratum est, quod patriae civem, populoque dedisti;*

*Si facis ut patriae rit idoneus, utilis agris,*

*Utilis bellorum et pacis rebus agendis.*

<sup>2</sup> Polit. V. 90.

<sup>3</sup> Optime Seneca: *Non est bonum vivere, sed bene vivere.* De benef. l. 3. cap. 31.

rentes magis suis exemplis, quam praeceptis institueret et accendere: <sup>1</sup> nam hisce amplius quam monitis moventur pueri.

Et cum infantium animum nihil tam corrumpat pervertatque, quam otium ac voluptas; ideo in primis curabunt parentes, ne liberi otio torpescant, aut nimio delicato modo vivendi langueant, voluptatibusque consuescant. Corruptio ac inversio naturae est potius, quam educatio, cum animi liberorum ad voluptatem, et corpora ad libidinem transferuntur, sicuti Theanus Pythagorae assecla sapienter observat. <sup>2</sup>

XIII. Sed nihil magis puerorum animum depravat, quam malorum improborumque hominum consuetudo. Adeoque ab his tenere procul oportet infantes, tanquam a scopulo infensissimo. <sup>3</sup> Tenelli illi animi veluti cerei sunt, et ad imitationem a natura formati: unde si cum pravis sodalibus versantur, et ipsi pravi bene saepe evadunt. <sup>4</sup> Proclivitatis huiusce puerorum ad imitationem, argumenta sunt illi infantes, qui inter feras bestias educati, earum non modo victum et gressus, sed et gestus et vocem et ferociam ita paulatim contraxerunt, ut a bestiis vix discernerentur. <sup>5</sup> Quis ergo miretur, si pueri aliam natu-

<sup>1</sup> Plin. Paneg. cap. 31. *Magis exemplo, quam imperio movemur.*

<sup>2</sup> Epist. 2.

<sup>3</sup> Vide Juvenal. Satyr. 14. v. 44.

*Nihil dictu foedum, visuque haec limina tangat,*

*Intra quae puer est - - -*

<sup>4</sup> Vide Malebranch. *Recher. de la verit.* P. 3. cap. 1.

<sup>5</sup> Vide Hortknoch. *De Polonis* l. 1. cap. 2. et *Histoire des voyages* T. V. pag. 175.



turam induant ex consuetudine hominum, ita ut in eos sive probos sive malos prorsus transformentur?

XV. Ex adverso officia, quae liberis erga parentes incumbunt, ex horum statu et iure, societatisque ipsius natura facile deducuntur. Nam sicuti parentibus competit ius liberorum actiones dirigendi, sic inde patet, eos a liberis non aliter considerari oportere, quam superiores beneficos et perfectiores, qui ab ipsis prosequendi sunt benevolentia, obsequio, obedientia, ac veneratione prope singulari, illorum nempe officio ac munere digna. Quamobrem veteres omnes sapientes inculcant ac monent, proximum praedilectionis gradum post Deum deberi parentibus, quibus nos ipsos debemus. <sup>1</sup> Qua de causa Hierocles <sup>2</sup> ad Pythagoram vocavit parentes Θεοειδῆ εἰκόνα, imagines Dei.

Quos autem benevolentia et veneratione complectimur ac colimus, eis primatum in omnibus deferre solemus: <sup>3</sup> adeoque parentes, aliis omnibus a liberis erunt praeferendi factis ac verbis, ita ut honorem, obedientiam, praedilectionem, pietatem, assistentiam semper eis ante alios praestent, atque etiam illorum defectus, vitia, iniuriasque dissimulent, potius quam officiorum quidquam, quae a liberis ipsa natura erga patres exigit, praetermittant. Parentes enim etsi mali ac difficiles, tamen parentes sunt, nimirum existen-

Mm 2

tiaē

<sup>1</sup> Vide Gell. Noct. Atticar. III. 13.

<sup>2</sup> Cap. II.

<sup>3</sup> Optime Seneca: *Parentes non amare, impietas est, non agnoscere, inania.* De benef. I. 3.

tiae nostrae post Deum auctores: ἀτία μετὰ Θεοῦ ἔιναι, <sup>1</sup> uti Simplicius in Epicteti Enchiridion eleganter animadvertit. Haec profecto qualitas sola, nos, ad concipiendam animo pietatem profundamque observantiam erga eosdem, incitare decet. <sup>2</sup>

XVI. Ex hac veneratione, quam liberi parentibus debent, eo quia ab illis non solum procreati fuerunt, sed etiam educantur in vita, diriguntur ac corriguntur, provenit et timor reverentialis, ob quem liberi parentum nutus exsequi, iussa adimplere, monita observare, obiurgationes atque castigationes metuere tenentur, sic ut ne propter eorum morositatem, et duriora imperia, se se ab officio dimoveri patiantur. Quoniam tamen vel ipsa ratio docet, quo maior est entis alicuius perfectio ac sublimitas, ei maiorem venerationem et obedientiam exhiberi par esse; inde sequitur, ut si turpe quid ac voluntati divinae vel legibus adversum iubeant parentes, horum potius quam Dei, ac legum iussa praeteriri ac despici debeant. Nam quamvis sanctissimum eorum sit imperium, sanctius illud tamen est ipsius Dei: nec eo usque porrigitur parentum potestas, ut liberos, legibus a summis imperantibus latis, possint solvere <sup>3</sup> ac dispensare. Optime Hierocles ad aurea Pythagorae Carmina: <sup>4</sup> *Honestis duobus propositis, quod maius est, minori decet an-*

<sup>1</sup> Cap. XXXVII. pag. 198.

<sup>2</sup> Idem Seneca de honesto l. 1. *Quidquid, quod dat patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet.*

<sup>3</sup> Tacit. Ann. 4. *In his enim, nobis tantum obsequii gloria relicta est.*

<sup>4</sup> Ver. 4. pag. 53.

teponere. <sup>1</sup> Hinc venit Petri effatum: *Obedire oportet Deo, potius quam hominibus.* <sup>2</sup>

XVII. Verumtamen sicuti ea est patriae potestatis ratio finisque, ut liberorum actiones dirigantur, usque dum ipsi officio huiusmodi, ob iudicii aetatisque immaturitatem indigent; ita non est dubium, quin obtento hoc fine, et medium cessare oporteat. <sup>3</sup> Ideoque cum liberi pervenerint ad eam aetatem qua se regere queunt, a patria potestate erunt soluti: unde et novam familiam instituere, et in alias regiones transire, atque in matrimonium venire ad arbitrium poterunt. Etenim nullo modo ius naturae approbat consentitque rigorem illum iuris veteris Romanorum, quod filios cum uxore et liberis per omnem vitam in patria potestate esse iubebat, nisi patres, vel avi quosdam ultro emancipatos e familia dimitterent. Patriam vero potestatem Romani illi derivabant a iure domini, quod, iam supra diximus, patri competere in filios, sane contra aequitatis principia, ipsos voluisse. Dominium autem non finitur tempore, et nemo sine facto domini ab eo excidere potest. Ideoque neque patria potestas, nisi de sententia patris, apud eosdem cessare debebat. Hinc et imaginariae illae venditiones in emancipationibus adhibitae: siquidem nihil magis videbatur eorum iuri convenire, quam ut res mancipi, intercedente emancipatione abalienarentur.

<sup>1</sup> Hierocles idem ubi supra paulo post subiungit: *Sed si ad aliud nos ducat divina lex, ad aliud nos ferant praecepta parentum, in hac voluntatum diversitate Deum praeferrere semper oportebit et leges.*

<sup>2</sup> Actor. Ap. VI. 29.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 7. et Grotium *De iure bell.* l. 2. cap. 5. §. 2.

tur. <sup>1</sup> At ius naturae illud dominium in liberos omnino respuit ac improbat, sicuti paulo ante visum fuit: inde venit, ut etiam hunc rigorem et patriae potestatis continuationem atque indissolubilitatem, absque formalitatibus huiusmodi, prorsus reiiciat.

Si tamen filii perdurare in patris familia, de qua paulo post verba faciemus, eligant, uti plerumque solent; conveniens est, se voluntati subiicere ipsiusmet patris, utpote capitis familiae, saltem in omne id, quod eandem respicit familiam. Nam prorsus contra rationem esset, ut in patris societate vellet persistere filius, absque eiusdem subiectione ac dependentia. <sup>2</sup>

XVIII. Ceterum cum filii, quamvis a patria potestate exempti, amorem parentum mereantur, (adhuc enim a natura filii sunt,) sequi oportet, ut ipsi parentes liberos etsi separatos, teneantur etiam auxiliari ac iuvare ope, consilio, assistentia, usque dum fuerint in vita, ita ut feliciter ac meliori modo possibili vivere queant (dummodo ipsi non egerint aliquid, quo propemodum hisce omnibus se indignos reddiderint.) Ex quo deducitur etiam, cur iuxta naturalem aequitatem, emancipati non minus, quam sui liberi, ac in patria potestate constituti, parentibus ab intestato merito succedere debeant. Unde contra naturam dixeris legem antiquam Romanorum, de filiis emancipatis a paterna haereditate excludendis, <sup>3</sup> cuius duritiam asperitatemque Iustinianus recognovit, posteaquam eam abolendam omnino duxerit.

<sup>1</sup> Vide Gravinam *De origine iuris* l. 2. §. 83.

<sup>2</sup> Ita enim familia minime consistere posset.

<sup>3</sup> Vide Gravinam ubi supra.

rit. <sup>1</sup> Et sane emancipatio potestatem parentum interrumpit ac tollit, de qua non amplius liberis emancipatis opus est: at minime amorem eorum extinguit, <sup>2</sup> qui utpote in natura fundatus, adhuc perdurat. Ex eo autem, successionem ab intestato derivari, iam supra ostendimus. <sup>3</sup>

Inde simul desumi potest, in parentum arbitrio non esse, liberos cuiuscumque aetatis a potestate dimittere, aut eos iam adultos invitos in familia retinere. Nam primum esset contra educationis officium: aliud vero naturalis libertatis principiis prorsus adversaretur, Verum sicuti iniuste agunt parentes, ac contraveniunt matrimonii fini, qui liberos ab eorum potestate reiciunt, antequam ipsi ad eam aetatem pervenerint, qua se ipsos conducere valeant; ita contra iustitiam faciunt ii liberi, qui nondum adulti invitos parentes deserre, et fraena veluti mordere ac respuere non dubitant. Illi enim a natura suppositi sunt parentum potestati, a qua eisdem non licet subducere se, nisi aetate integra sint, qua se dirigere queant.

XVIII. Porro quemadmodum parentum amorem, unde eorum officia procedunt, restinguere minime decet liberorum secessum e familia; sic amorem venerationis, quo liberi parentes prosequi tenentur, multo minus tunc cessare debere, verum est. Vix enim omnia, quae ipsi habent in vita, quamvis ab eorum familia disiuncti sint, a parentibus tenent: ideo non  
ne

<sup>1</sup> Novell. 118.

<sup>2</sup> Vel sane haud debet extinguere hunc, in homine ad rationis, naturaeque dictamen formato.

<sup>3</sup> L. I. cap. 11. Vide Perizonii *Dessertat. de lege Voconia.*

ne convenientissimum fuerit, ut iisdem gratitudinem, reverentiam, atque in casum indigentiae subsidium per totum vitae cursum liberi praestent? His officiis qui contraveniunt filii, utpote reluctantes naturae vocibus, rationisque dictamini, poena dignissimi sunt reputandi. <sup>1</sup>

XX. Reliquum est, ut adnotemus, quod si parentes, antequam liberi ad iustam aetatem pervenerint, decedant, ne ipsi infantes derelicti, atque absque directione remaneant, ratio ac natura suadent, ut eorum educatio demandetur aliis, qui tutores et curatores vocantur. Adeoque tutela ac cura (quas inter nihil per ius naturae venit discriminis) nihil aliud est, quam potestas actiones liberorum vice parentum dirigendi, eorumque bona administrandi tantisper, donec ipsi liberi iustam aetatem attigerint, et capaces sint ad se suaque rite gubernanda. Quamdiu vero pro impuberibus vel minoribus habendi sint liberi, ius naturae circumscribere nequit: cum varii indole ac caractere sint pueri, alii cito pubescunt, alii sero vel numquam sapiunt. Quia tamen legislatores ad id quod plerumque succedit, respiciunt, optime faciunt, dum pubertatis ac minoritatis terminum praefiniunt. Quorum sententia, iuxta regionum diversas constitutiones atque temperamenta, variare solet, uti observat, erudita sua dissertatione de aetate legitima, doctus Lodewig.

Ex definitione porro tutelae colligimus, tutores eadem potestate pollere ac parentes, dummodo ea

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 8.

a legibus civilibus non restringatur, <sup>3</sup> atque ad eadem officia et ad eandem fidem prestandam ac diligentiam, quam parentes teneri. Pupillos vero non minus ad benevolentiam, venerationem, obsequium ac gratitudinem obstrictos esse erga tutores, quam liberi sint erga parentes. Etenim si illi eadem officia, muneraque educationis exercent patribus; conveniens erit etiam, ut eandem recognitionem, ac venerationem ab eorum pupillis referant, quam patres a liberis exigere ac consequi solent.

### C A P V T III.

#### DE SOCIETATE HERILI, AC de officii in ea observandis.

I. **A**d compositionem familiae de qua cap. seq. tractabimus, cui diriguntur simplicissimae societates, hactenus explicatae, pertinet etiam societas herilis, quae quamvis natura, non tam quidem necessaria sit, ac societates illae mariti et uxoris, parentum et liberorum; <sup>2</sup> attamen cum inter homines iam inde ab

Nn

an-

<sup>1</sup> Tutelam Iuriscons. civiles definiunt: *Ius et potestas in caput liberum constituta ad tuendum eum, qui per aetatem se defendere nequit, iure civili data et permessa.* Dig. de Tutel. leg. 1. Curam vero, quae dabatur praecipue rebus, ita ipsi Iuriscons. definiabant: *Potestas ad curanda bona minorum vel eorum, qui suis rebus praesesse non possunt, iure civili constituta.* Vide Instit.

<sup>2</sup> Optime Thomasius: *Post distinctionem dominiorum, cum quilibet pater familias necesse habuerit de acquirendis opibus ad sustentationem familiae, tum et de administrandis his prospicere, alius vero opibus ditutus et ad acquirendas easdem fuerit ineptus; necesse fuit, ut ille tertium*

antiquissimis temporibus frequentissima fuerit ac usitata, atque ad incrementum familiae spectet concurratque, de ea breviter, iuxta institutum nostrum, verba facere oportet.

Per societatem ergo herilem, intelligimus societatem inter dominum dominamve, servos ac ancillas; in qua hi ad dominorum utilitatem operis suis promovendam, illi ad hos alendos, immo et aliquando ad certam mercedem praestandam obligantur. Nam cum ita sit constitutum genus humanum, ex dispositione supremi auctoris huius universi ineffabilis aeternae, ut alter alterius opera indigeat, nec quidquam obstet, ut quod alicui deest, id ille alterius adiumento suppleat; consequi oportet, ut aliorum operas quocumque intercedente contractu, ac sub quacumque conditione, ad tempus vel in perpetuum nobis recte stipulemur: atque adeo inter nos, servos et ancillas nasci possit herilis societas, quam inaequalem vel rectoriam esse, ex dictis <sup>1</sup> evidenter constat. <sup>2</sup> Inde patet etiam, quod etsi in praesenti non ita universaliter usitata sit haec societas, ut olim fuit, immo pene de medio sublata appareat, nihilominus eandem nullo modo dici potest, adversari iuri naturae, quod potius eam omnino consentit et approbat, uti confestim videmus. <sup>3</sup>

## II.

*num sibi quaereret, quo uteretur, hic sibi prospiceret de domino, a quo alimenta, vel pretium aliquod insuper pro opere expectaret. Iurisprudentia divina.*

<sup>1</sup> Cap. I. huius lib. §. 13.

<sup>2</sup> Ipsi enim servi voluntatem eorum domini voluntati subiiciunt.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 6. cap. 3. §. 2. num. 2.



II. Quare herum heramque appellamus personam, quae aliorum opera industriaque ad suam utilitatem promovendam utitur, et his vicissim ad alimenta, vel insuper ad praestandam mercedem, iuxta conditiones contractus, se obligat. <sup>1</sup> Servi vero et ancillae ex adverso, personae dicuntur, quae ad dominorum utilitatem operis suis, vel pro certa mercede alimentisque, vel pro alimentis tantum promovendam, contractu obligantur. Ex qua definitione desumitur, servitutem prioris generis esse mercenariam, eiusque fundamentum esse locationem et conductionem: posterioris generis servitutem esse obnoxiam subiectamque omnimode, cuius fundamentum est dominium in ipsas personas servorum iusto titulo acquisitum, veluti per in-nominatum contractum do ut facias, <sup>2</sup> a persona cui inhaeret. <sup>3</sup>

III. Prioris quidem generis servitus, non est dubium, quin recta ratione ac naturali aequitate probetur. Sed nec posteriorem esse contra naturam, vel inde evincitur, <sup>4</sup> quod experientia monstrat, esse homines indole tam humili, stupida ac illiberali donatos, ut nec se, nec familiam regere, nec necessaria alimenta, aliaque subsidia vitae sibi suisque procura-

Mm 2

re

<sup>1</sup> Instit. I. 1. T. 3. *Servi autem fiunt iure civili, cum liber homo, ad pretium participandum, se se venditari passus est.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf, ubi supra §. 4. num. 2.

<sup>3</sup> Defectu melioris vocabuli, hoc utimur cum Heineccio. Phaedrus usus est eadem obnoxii voce *lib. III. praefat. vers. 34.* Graeci *δούλος* servos obnoxios, *μισέτας* mercenarios vocabant. Utraque servitus antiquissima est. Vti a Genesi XI. 5. XIII. 14. apparet.

<sup>4</sup> Et S. Paulus *Epist. ad Coloss. cap. 3. 22.* non ne praescribit officia servorum dominorumque? id quod sane non faceret, si contra naturam esset institutum.

re valeant. Hos homines profecto Aristoteles <sup>1</sup> vocat φύσει δούλους, natura servos, qui quamvis sane hoc quaedam improprietate dixerit, ut scite notavit Puffendorffius, <sup>2</sup> nam omnes homines natura quodammodo aequales sunt; <sup>3</sup> nihil tamen absurdi huic dictioni inesse videtur, si de indole eorum servili ac prostituta hoc intelligatur, sicuti argute explicat hanc dictionem Heinsius in suis variis lectionibus. <sup>4</sup> Cum ergo quisque vitae genus, cui idoneus est, eligere teneatur, uti supra fuit demonstratum, <sup>5</sup> hi vero homines nulli alii vitae generi prope apti sint, quam ut aliis pro alimentis praestent operas industriamque, nihil quidem faciunt contra iuris naturae praecepta, si se aliis in perpetuum hac conditione obstringunt.

III. Verum aliqui quantumvis haud ita hebetes ac stolidi sint, cum extrema paupertate vel calamitatibus publicis, vel privatis laborent, ad hoc etiam inducuntur, ut servire potius, quam fame perire eligant. Nec contra rationem faciunt, subiiciendo se dominio alicuius, in circumstantiis eiusmodi existentes, ad evitandam mortem prope imminentem, et vitae indigentias ac necessitates removendas. Nam quisque homo cum ad conservandam vitam, destructionemque propriam impediendam sit obligatus, evidens prope modum apparet, quod si quispiam in circumstantiis calamitosis huiusmodi sit constitutus, ut nullus alius modus ipsi suppetat declinandae mortis, ac precaven-

<sup>1</sup> *Polit.* I. 3. seq.

<sup>2</sup> *Ius nat. et gent.* I. 6. 3.

<sup>3</sup> φύσει γὰρ εἰς δούλος ἐγεννήθη. Philostratus.

<sup>4</sup> L. III. 3. et Vinnius in *Instit.* I. 1. T. 3. §. 2.

<sup>5</sup> L. 1. cap. 6. §. 4.

di infortunii, quam tradere se in servitutem, ei liceat hoc medio uti. Posteaquam ratio suggerit semper ex duobus malis physicis, quod minimum est eligere. <sup>1</sup> Servitus vero hoc in casu minus malum est, ergo hanc subire licebit. Sic tanquam mancipia, Egyptii eorum Regi subiiciebant se, ne diuturna fame consumerentur. <sup>2</sup> Sic Frisii servire solebant, de quibus Tacitus verba facit, in suis Annalibus. <sup>3</sup> Sic etiam Galli in consuetudine habuerunt, et antiqui Britoni iuxta Caesarem. <sup>4</sup> Atque etiam nunc quid simile inspicitur in Polonia et in Russia. <sup>5</sup>

V. Tandem servorum numerum in immensum deinceps auxit bellorum furor. Cum enim nefas sit, victorem ad cedem temere provolare in victos, uti suo loco demonstrabimus; iniquum minime est, victorem ipsum infidos victos praeservatos in captivitatem deducere, atque eos in servitute detinere, ne amplius nocere valeant. Nec reprehendendi sunt, qui ea lege in manus victoris ad vitam servandam sustinendamque tradiderunt se. Vere ergo et haec societas nascitur ex consensu, <sup>6</sup> qui quamquam non ultroneus sit sed extortus, nihilominus est verus consensus, produ-

<sup>1</sup> Vti animadversum fuit supra l. 1. cap. 6. §. 2.

<sup>2</sup> Genes. XXXVII. 25.

<sup>3</sup> III. 72.

<sup>4</sup> De bello Gallico III. 13.

<sup>5</sup> Hi tamen potius sunt similes iis, qui a Romanis adscriptitii glebae dicebantur, qui, numquam a gleba, sive agro excolendo discedere se obligabant. Graeci hos *ἠμοδιόλας ἀγροῦ* vocabant. Vide Vinnium in *Instit. l. 3. T. 4.*

<sup>6</sup> *Instit. l. 1. T. 3. Fiunt servi aut iure gentium, id est ex captivitate.* Vide Harprectum in hunc locum.

ductus ex conspuratione duarum voluntatum. <sup>1</sup> Nam victor vult servare victum, sed ea lege ut serviat, victus vult servire, ut salvetur ac alatur. Verum est tamen, quod haec servitutis species inter Christianos ac Civiles populos vel delinita, vel pene de medio sublata fuit ac obsoleta: at nihil obstat, hanc revera esse licitam, atque a iure naturae permissam introductionem.

VI. Quia igitur servitutis obnoxiae fundamentum est dominium, iusto titulo acquisitum, titulos vero servitutis acquirendae hactenus recensitos, iam iustos esse ostendimus; consequenter venit, ut hi omnes servi supra enunciatis modis in servitutem constituti, in iusto herorum dominio maneant. Et cum extra matrimonium legitimum, quod inter maiorem partem servorum obnoxiorum vix locum habere potest, partus sequatur ventrem, uti supra signatum fuit; <sup>2</sup> non mirum est partum ancillarum obnoxiarum, tanquam accessorium ventris eandem cum matre subire conditionem. <sup>3</sup> Vnde ubique terrarum innotuit, hoc genus servorum provenientium a matre serva, qui vernarum nomine <sup>4</sup> a Romanis vocati fuerunt.

Et quidem matrimonium est societas simplex personarum diversi sexus, sobolis procreandae educandaeque causa inita, ut paulo ante definivimus: <sup>5</sup> qui autem

<sup>1</sup> Vide supra cap. 1. § 6.

<sup>2</sup> L. 1. cap. VIII. §. 16.

<sup>3</sup> Ita Cod. *Partum ancillae, matris sequi conditionem, explorat iuris est.*

<sup>4</sup> Digg. de statu homin. l. 24. *Servi autem nascuntur ex ancillis nostris.* Vide Instit. l. 1. T. 3.

<sup>5</sup> Cap. II. §. 12.

tem in hunc finem consentiunt, eorum in arbitrio et potestate esse oportet, ut illum eligere, mediaque ad eum obtinendum adhibere queant. At servorum ancillarumque obnoxiorum in arbitrio potestateque minime est potissimus finis matrimonii, nimirum quomodo filios educare velint, sed ea res plane a dominorum voluntate pendet, ut plurimum: ergo inter servos ancillasque, ut plurimum, vix locus est matrimonio legitimo. Ut plurimum dixi: posteaquam si heri circa filios, servis arbitrium plenum relinquunt, atque ipsis eorum educationem remittant concedantque, <sup>1</sup> non est dubium, quin inter servos eiusmodi verum matrimonium existat. <sup>2</sup> Vtpote est etiam dicendum de servis illis, quibus heri ministeriis familiae uti solent, iuxta Europae fere universae praesentem consuetudinem, et ut Tacitus a Germanis antiquitus fuisse usitatum advertit. <sup>3</sup> Hi enim cum propriam familiam habeant sedemque, et cum in nihil aliud pendeant a dominis, quam in ministeriis conventis; evidens est, eos omnino finem ac media matrimonii in dispositione habere, atque adeo iustum matrimonium contrahere. <sup>4</sup>

VII. Hisce iactis principiis facile coniicitur, quae-  
nam sint in hac societate dominorum servorumque of-  
fi-

<sup>1</sup> Vtpote ipsis aliquando concedebant etiam arbitrium possidendi peculium quoddam. Vide Harprecti Instit. l. 1. T. 3. §. 4. & meum Puffend. ubi supra §. 7.

<sup>2</sup> Hic ancillarum feriae referri possunt, enunciatae a Cujacio in suis notis. Digg. T. de verb. oblig.

<sup>3</sup> De morib. German. 25.

<sup>4</sup> Vide Plinium l. 8. Ep. ep. 16. Vbi refert se permittere servis quoque, quasi testamentum facere. Permitto servis quasi testamenta facere, eaque ut legitima custodio.

ficia, et qualis potestas sit dominorum ac subiectio servorum. Quod igitur ad servos mercenarios spectat, cum ii tantum ex locato teneantur, clare liquet, domino in hos nihil aliud competere, quam ut operas sibi locatas illis imponere, atque ex iis fructus utilitatemque percipere, et eos renuentes compellere possit, ad tempus conventum serviendum, munusque suum implendum. Minime vero decet postea domino, eos aspero castigare modo. Si tamen locatum recusent servi, non est dubium, quin dominus eos multare mercede, atque a se segrerare queat. <sup>1</sup> Correlativa ergo sunt officia dominorum ac servorum huiusmodi. <sup>2</sup> Itaque sicuti ad dominum pertinet legi conductionis satisfacere, a servo non nisi operas conventas repetere, eique alimenta sufficientia et promissam mercedem praestare; ita et servus domino tanquam superiori ad reverentiam et obsequium demonstrandum, tanquam conductori ad operas conventas exsequendas, tanquam socio ad utilitatem eius procurandam tenetur.

Ceterum si casu aut aegritudine etiam accidat, ut servus operas locatas non praestet, tunc de rigore nec merces, nec alimenta illi a domino praestari debent. Quamvis ex humanitatis principio aliter dicendum sit. Si vero culpa hoc servi evenit, tunc ipse nullam prope meret pietatem a domino. Siquidem iniquitas maxima ex adverso est domini, mercedem praestitae operae, servo denegantis.

VIII. Ad servos vero obnoxios quod pertinet, postea-

<sup>1</sup> Vide cap. i. §. 20.

<sup>2</sup> Laconice Thomasius hisce comprehendit officia talium dominorum, servorumque: *Exhibe servo conventam mercedem: praesta domino operas promissas.* Iurisprud. divina l. 3. cap. 5. §. 3.

steaquam hos iam diximus esse in domini pleno dominio, et cum domino competat libera rerum suarum dispositio; consequens est, ut dominus queat servo, quascumque operas ad quas praestandas par est, imponere, ex eo omnem utilitatem capere, eius quoque liberos sibi vindicare, ipsam vendere, aliisque quibusdam titulis alienare, nisi forte servus, qui se ultro in servitutem dedit, eam legem adiecerit, ne extra familiam domini tradatur: nam tunc dominus legi contractus stare debet. 1

Neque domino ius vitae ac necis in huiusce conditionis servos competit. Nam servus aequae homo est, qui eisdem iuribus, saltem quoad vitam, natura fruatur, et qui eisdem obligationibus tenetur ac dominus: 2 ita ut ipsi hisce iuribus obligationibusque renunciare non liceat unquam. Quare etiam si servus conferat expresse in dominum ius vitae ac necis, cum ipse facultate in alium hoc ius tradendi, haud polleat per ius naturae, inutiliter illud confert: adeoque dominus, neque hoc in casu, huiusmodi ius acquirere in vitam nequioris servi, sui que ipsius tam parum curantis potest.

Ex quo colligimus, impiam omnino esse Iuriconsultorum vocem, servo non fieri iniuriam, in eumque ius vitae ac necis domino competere. 3 Nam do-

Oo

mi-

1 Id quod dicendum esset etiam, si eum dominus vendere vellet impio, inhumano ac crudeli homini: hoc enim casu servus ius reclamandi, ac contrariandi tali suae tam periculosae venditioni proculdubio haberet.

2 Recte sane Petronius advertit Satyr. 71. *Amici inquit, et servi homines sunt, et aequae unum lactem biberunt, etiam si illos malum factum oppresserit.*

3 Digg. de iniuriis l. 5. T. 4.

mino tale ius nisi tanquam , Principi pertinere potest: id quod temporibus Reipublicae prorsus impossibile erat. <sup>1</sup> In hac dura sententia , nescio qua ductus ratione , etiam incomparabilis , aliasque semper ad pietatem compositus vir , Heineccius descendit. <sup>2</sup>

Sed non est dubium , quin domino ius castigandi coërcendique improbum ac reluctantem servum competat , dummodo ipse meminerit semper , eum hominem sibi que natura aequalem esse. Ideoque illum non excusatius peccare dicendum est , qui servum , quam qui liberum hominem iniuria laedit : quia aequè homo est servus ac liber , iisdem iuribus ac qualitatibus naturalibus praeditus. <sup>3</sup>

VIII. Cum ad dominum et possessio rerum suarum et ius illas a quocumque vindicandi pertineat ; inde sequitur , ut is possit se in possessione servi quovis modo tueri. Quapropter sive fuga se servus aliquis subtraxerit , sive ab alio iniuste surreptus sit , dominus , eum in suam potestatem restituendi , atque a quocumque recuperandi , ius habebit cum fructibus et accessionibus , pro qualitate possessionis. Quin priore casu servum fugitivum , dominus punire pro merito poterit , ne in posterum idem suscipere velit male sanum propositum. Ad hunc finem compedes , ergastula ,

<sup>1</sup> *Si vero ius hoc derivabant ex ea falsa sententia , quae servos in rerum numero , non hominum ponebant. Vide §. ultimo.*

<sup>2</sup> *Elem. iur. nat. l. 2. §. 84. recte Cic. de offic. l. 1. cap. 13. Est autem infima conditio et fortuna servorum : quibus non male praecipunt , qui ita iubent uti , ut mercenariis : operam exigendam : iusta praebenda.*

<sup>3</sup> *S. Paulus Epist. ad Colos. cap. 4. 1. Domini , quod iustum est , et aequum servis praestate , scientes , quod et vos Dominum habetis in Caelo. Et Seneca de Clementina cap. 4. Sunt homines contubernales , humiles , amici , conservi , aequè fortunae subiecti.*



la, ac carceres domesticos introduxerunt Romani. Quorum in usu tamen, non omnem debitam moderationem adhibuisse, non uno exemplo monstrari posset.

X. Ex hactenus dictis minime erit difficile arguere, quae huiusce generis servorum dominorumque iura sint ac obligationes. Nam posteaquam servus obnoxius in dominio pleno manet, et proinde herus ex eo omnem utilitatem servitiumque capit, atque adeo ille nihil in proprium adipiscitur; sequi debet, ut dominus obstrictus sit ad talem servum alendum vestiendumque, eaque obligatio nec cesset, etiamsi servus operas praestare nequeat. Etenim mercenarius servus praeter alimenta, et mercedem accipit a domino: ideo habet unde se alat, si morbo aliove casu impeditus domino operas navare non possit. <sup>1</sup> Cum ergo dominus illum alere nisi ex locato non teneatur, operas non praestantem alere, obligatione perfecta non tenetur, quamvis de humanitate aliter dicendum sit. In servo vero obnoxio omnia se habent diverso modo. Non enim hic propter operas praestitas alitur, sed quia in heri dominio est, et quia nec mercedem percipit, nec quidquam aliud proprium tenet, unde retrahat victum. Cum ergo extraneo etiam in necessitate constituto, nos iubeat humanitas ac iustitia succurrere, quomodo servo nostro aegrotanti denegaremus alimenta absque enormi iniustitia, qui vires salutemque corporis nobis inserviando consumpsit amisitque?

XI. Praeterea cum domini iuribus, tanquam cor-

Oo 2

re-

<sup>1</sup> Qua de causa supra, de rigore, dominum ad eum alendum non esse obstrictum, diximus.

relata, totidem officia servorum respondeant; hinc venit, ut servitus obnoxia, servum ad quascumque operas subeundas, utilitatemque domini pro virili promovendam, ad reverentiam, obedientiam, <sup>1</sup> subiectionem ipsi in omnibus praestandam, <sup>2</sup> atque etiam ad meritam castigationem ferendam obliget: ita ut contra officium proprium, ac contra ius domini ille servus gerat, qui huiusmodi obligationes praetereat nec curet, vel se subducere ab ipsius dominio et dependentia tentet.

Deinde patet etiam ex dictis, quomodo finiatur herilis societas. Nam mercenaria servitus cum constet locationis contractu, iisdem etiam modis, quibus locatio et conductio, scilicet elapso tempore, in quod quis operas locavit, solvitur. <sup>3</sup> Obnoxia vero, manumissione potissimum deficit. Posteaquam cum quisque se, dominio rerum suarum subtrahere, ac eas derelinquere possit; <sup>4</sup> nihil obstat, quin idem liceat domino in servum suum, illius renuncians dominio: quam renunciationem profecto veteres manumissionem <sup>5</sup> vocarunt. Insuper cum renuntiatio sit species alienationis, in re autem alienanda, cum dominus sibi aliquid excipere ac praeservare queat; <sup>6</sup> manumissionem quoque

<sup>1</sup> S. Paulus ubi supra cap. 3. 22. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus.*

<sup>2</sup> Saltem quae honesta sunt, et ad normam iustitiae praescripta: quisque enim sentit ad inhonesta, et contra religionem imposita minime servum obligari.

<sup>3</sup> Si autem servi in tempore a Iuriscons. Roman. statuliberi dicebantur. *Instit. l. 1. T. 3.*

<sup>4</sup> Vide l. 1. cap. 12. §. 2.

<sup>5</sup> Vide *Instit.* ubi supra.

<sup>6</sup> Vide l. 1. cap. 10. §. 6.

que quibuscumque conditionibus honestis fieri posse est. Ita veteres Romani a servis manumittendis stipulabantur aliquando operas fabriles, dona, haereditatem. <sup>1</sup> Veruntamen formalitates ac caeremoniae, quibus manumissiones exsequi solebant, civilium legum inventa introductionesque prorsus fuerunt, adeo ut nihil earum a iure naturae exigatur. <sup>2</sup>

XII. Denique servi qui manumittuntur a dominis, libertini, ipsique manumittentes, patroni vocabantur ab antiquis Romanis. <sup>3</sup> Cum ergo illi summum quo donari poterant beneficium, debeant manumittenti domino, ingratisimi sane mortalium essent liberti, nisi patronos, tam ingentis muneris auctores, venerarentur perpetuo et non modo ea omnia quae ipsis sponponderunt bona fide praeberent adimplerentque, sed vicissim eos omni officiorum beneficiorumque genere prosequerentur, vel si desint vires ac circumstantiae, saltem gratum animum omnibus obsequii, dependentiae ac benevolentiae demonstrationibus patefacerent et significarent. Hoc enim beneficium, iuxta Romanorum mores tanti erat, ut servus ex re fieret persona, adeoque apud eosdem, patronus loco patris reputabatur a liberto, qui ideo eius nomen, perinde, ac filius assumere solebat. <sup>4</sup> Hinc et egenti patrono, utpote filius patri, debebat libertus alimenta. <sup>5</sup> Atque sic premebatur obligatione huiusmodi libertus, ut si hanc negligeret, sicuti etiam ob quamcum-

<sup>1</sup> Vide Digg. *De operis libertorum.*

<sup>2</sup> Vide Gravinam *De origine iuris* l. 2. §. 1.

<sup>3</sup> Vide *Instit.* l. 1. T. 5. *de liber.* §. 1.

<sup>4</sup> Vide Lactant. *divin. Instit.* l. III. 3.

<sup>5</sup> Digg. *de agnosc. et alend. liberis.*

cumque aliam ingratitude gravis causam, ille denuo a patrono poterat in servitutem revocari. <sup>1</sup> Verum omnia haec de iure civili Romanorum tantum, qui sane eorum servos nimis imperiose ac dure tractare consuescebant, ut paulo ante signavimus.

## CAPVT V.

*DE SOCIETATE COMPOSITA,  
quam familiam appellamus, et de officiis in illa  
adimplendis.*

I. **EX** societatibus simpliciores, de quibus hactenus actum est, una simul coalitis nascitur societas magis composita, quae vocatur familia, de qua nunc est dicendi locus. <sup>1</sup> Familia ergo est societas composita ex coniugali, paterna, atque herili societatibus. Vnde coniuges parentes, et liberi ratione huius societatis, patresfamilias et matresfamilias, liberi, filii filiaevefamilias, servi et ancillae, servi servaeque familiares nuncupari solent. Eodem fere modo in digestis definit familiam Ulpianus: <sup>3</sup> *iure proprio familiam dicimus plures personas quae sunt sub unius potestate, aut natura, aut iure subiectae, ut puta patremfamilias, matremfamilias, filium, filiamvefamilias, quique vicem eorum sequuntur, puta nepotes ac neptes - - - et*  
pau-

<sup>1</sup> Cod. de ingratis liber. l. unic.

<sup>2</sup> Cic. de offic. l. 1. cap. 17. *Prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis, deinde una domus, cui sunt omnia communia.*

<sup>3</sup> Digg. de verborum signif. l. 195. §. 2.

paulo post : *Servitium etiam vocare solemus familiam.*<sup>1</sup>

Quoniam autem quo maior est societas, eo difficiliore modo regitur communi consensu; hinc fit, ut haec societas debeat esse inaequalis et rectoria: adeoque in ea uni ex sociis deferenda sit potestas, reliquorum actiones ad societatis illius finem dirigendi ac ordinandi. Siquidem patrifamilias tanquam marito, potestas quaedam competit in uxorem, et eius voluntas tanquam patris, in dubio maternae voluntatis praevallet in filium, atque ipsi dominium pertinet in servos, tanquam domino: inde necessario venit, ut potestatem arbitriumque dirigendi actiones personarum totius familiae ad societatis huiusce finem, patri tribuamus: at ita tamen uti materfamilias, veluti utriusque fortunae socia, illum ope ac consilio iuvare debeat. Hoc regulariter nascitur: verum aliquando aliter se habere posse iam supra ostendimus.<sup>2</sup> Quis enim inficiabitur, Regnam, quae extraneo ac privato nupsit, esse caput familiae suae, utpote et Regni?

II. Porro familia vel in statu naturali vivit nulli mor-

<sup>1</sup> Salmasius observat, veteres distinxisse inter familiam ac domum. Familiam proprie eos dixisse servitium, ille vult: parentes ac liberos domus vocabulo designasse. In *Exerc. Plinia. pag. 1263.* Sed ex duodecim Tabularum legibus, hanc distinctionem passim non habuisse locum, desumitur; ut videre est ex Gravinæ illustrationibus ad has leges, et ex variis Ciceronis locis, signanter de *Oratore pag. 109.* ubi ita se explicat: *Sunt amplae, et honestae familiae plebeiae.* Vide etiam Plaut. in *Trucul. Act. 1.* *Haec una opera circumit per familias.* Et Sueton. in *Neron. Ex Gente Domitia duae Familiae claruerunt.*

<sup>2</sup> Cap. II. §. 17.

mortalium obnoxia, vel cum aliis in societatem civitatemque convenit. Primo casu huiusce societatis finis non modo est, rerum ad vitam commode tolerandam necessariorum acquisitio, verum etiam mutua adversus hostes defensio; ac proinde recte Aristoteles, hanc familiam minori cuidam civitati comparavit: patresfamilias τῆ ἰδία οἴκῳ ὅτι περ πόλει, domui suae tanquam civitati praesunt. Altero casu, quia singulae familiae, adversus concivium iniurias, iudicium auxilio, adversus externos hostes, Reipublicae viribus munitae sunt, non alius finis esse potest huiusmodi societatis quam acquisitio rerum, ad conservandam feliciorumque familiam efficiendam, necessariorum.

III. Itaque cum in statu naturali finis huius domesticae societatis, non solum sit rerum necessariorum acquisitio, sed etiam tuitio ac vindictio ab aliorum iniuriis; sequi oportet, patresfamilias omnia iura pertinere, sine quibus hic finis assequi nequiret: adeoque ad eum spectare opus est non tantum rem familiarem, prout id utile videtur, administrare ac disponere, cuique de familia praecipere, quid debeat agere, ac muneri fungi, demum emolumento, sustentationi, commodo, ac politiae eiusdem familiae omne id, quod sibi congruum necessariumque apparet, providere; verum etiam ipsi incumbere, omnia quae ad conservationem et defensionem societatis huiusce conferre possunt, ordinare, ius in familia sua exercere, leges componere, poenas a sordibus sumere, foedera pangere, denique omnia iura principis gerere, ita ut

et bellum, si valeat, cum hostibus suscipiat, et pacem firmet.

Huiusce societatis exempla scriptura profert in Abrahamo, Isaaco, Iacobo, qui singuli tanquam principes familiarum segregum, omnia haec propemodum maiestatis iura exercuerunt. Sic Abrahamus Lotho ab hostibus subacto, cum illis iustum bellum gessit, iunctis sibi aliorum patrumfamilias auxiliis. <sup>1</sup> Idem foedus iniit cum Abimelecho: <sup>2</sup> quod renovavit Isaacus. <sup>3</sup> Sed et Iacobus foedus cum Labano percussit. <sup>4</sup> Vtpote Iudas eius filius ad ignis supplicium nurum damnavit. <sup>5</sup>

Ex adverso cum familiae, quae cum aliis civitatem composuit, non alius finis sit, quam rerum necessariorum ad sustentationem comparatio, administratio ac provisio; clare patet huius patrifamilias tam eminentia iura non competere; <sup>6</sup> sed ea tantum, sine quibus res ipsas necessarias acquirere, ac praeservare familiam nequiret, quae iam paulo ante exposuimus. Immo hic etiam matrisfamilias aliquas partes esse, cum ad ea iura, quae patremfamilias tanquam principem, spectant, eam ordinarie communicare, vix sexus verrecundia patiatur.

III. Idcirco quemadmodum in societatibus compositis simplicium, vel minorum utilitas, maiorum fini non debet adversari, uti iam supra monstratum

Pp

fuit,

1 Genes. XIII. 14.

2 Genes. XXI. 22.

3 Genes. XXVI. 26.

4 Genes. XXXI. 44.

5 Genes. XXXVIII. 24.

6 De quibus hic praecipue agitur.

fuit, <sup>1</sup> aliter maior societas minime consistere posset; sic facile desumitur, societates coniugalem, paternam, et herilem eo modo conformari par esse, ut ne fini eiusdem familiae repugnent. Inde officia quaedam proveniunt, quorum alia paterfamilias et materfamilias inter se invicem, alia uterque reliquis familiae membris, alia familiae haec membra patri matriquefamilias, alia denique haec ipsa membra sibi mutuo inter se praestare obstringuntur, sine quorum implemento, <sup>2</sup> neque societates hae minores maiori scilicet submittere se, neque familiae perdurare possent.

Cum vero hic unus homo plures personas referat, E. G. idem patris familias, domini, patris, et mariti munere fungitur; diversa sunt etiam eiusdem officia, iura, ac obligationes. <sup>3</sup> Similiter dicatur et de aliis membris familiae, quae siquidem diversas functiones exercent, habere etiam diversas obligationes oportet, at eo modo, ut una simul stare queant, aliter familiarem societatem non conformarent: quippe si ad invicem repugnent, nequeunt una consistere, et familiae fini concurrere. Ergo omnes societates minores, nempe coniugalis, paterna, herilis in unum finem convenire, et ad utilitatem totius familiae se componere debent, ad hoc ut ipsa familia subsistere valeat. Hic accidit idem, quod in mechanicis, ubi varii moventes sunt: nisi omnes in unum veniant, atque impetum faciant, ad nihil iuvant, immo se invicem elidunt destruuntque.

V.

<sup>1</sup> Cap. II. §. 16.

<sup>2</sup> Vide Wolf. *De vita sociali.* §. 159.

<sup>3</sup> Nimirum relative ad varia munia, quae exercet.



V. Quoniam igitur in hac societate primae sunt partes patrisfamilias, sed ita tamen, ut materfamilias ope ac consilio eum auxiliari debeat; inde necessario procedit, quod patris sit, praecipere munus suum omnibus familiam componentibus, eos alere, filios educare, atque illos, qui adversus familiae decus utilitatemque agunt, corrigere ac castigare pro eo, quod parvae societatis iura permittunt; <sup>1</sup> Matrisfamilias porro officium est dare operam, ut a liberis servisque omnia ex ordine fiant, absente marito, fungi eius vice, denique venerationis ac obedientiae exemplum praebere universae familiae in ipsius mariti auctoritate ac praescripto.

Praeterea cum ita moderandae sint societates simpliciores, ne universae societati familiari nocumento esse queant; hinc deducitur, contra officium facere patremfamilias, si matremfamilias officio suo in educandis liberis functuram impediatur, multoque minus hanc esse excusandam, si liberis immorigeris indulgeat, eosque blanditiis pervertat: denique utrosque peccare, si discordia, vel irregularitate, vel segnitie efficiant, ut liberi aut non instruantur, aut malo eorum exemplo, vel servorum pravorum contubernio et consuetudine corrumpantur. Perinde enim est sive liberis praeficiantur malae frugis homines, sive parentes eos cum illis familiariter versari patiantur.

VI. Ceterum in directione familiae omnia ad ordinem veniunt. Cum vero ordine tunc fieri dicantur res, si agantur, iis observatis circumstantiis ac personis, quas negotii natura postulat; evidens est, quod

Pp 2

sin-

<sup>1</sup> Nam de familia in statu civili loquitur.

singulis familiae membris certa munia assignanda sunt, ac exercitia imponenda, haecque adimpleta ac peracta exacta cura ac diligentia ab eis sunt repositenda, institutis rationibus, ita ut quisque partes suas opportunitate, studio, et attentione qua decet, ac capax est, exsequatur ac finiat. Huic ordini etiam pertinet, ut domus bene disposita sit, ut quodlibet mobile, instrumentum, vas, et suppellex in loco apto locetur ac custodiatur: demum ut omnia, quae ad usum necessitatemque ipsiusmet familiae inserviunt, redditus, proventus, substantiae, possessiones, accurate exacteque provideantur, administrentur ac praeserventur. Haec sunt familiae superiorum officia, quae Wolfius ad vigilantiam reducit. 4

Officia vero inferiorum membrorum sunt, ut unusquisque actiones suas ad utilitatem familiae, a qua alimentum, vestitum, et necessaria alia ad vitam percipit, dirigat referatque: ut quod munus sibi delegatum est, cura ac diligentia possibili adimpleat: ut patri matrique familias reverentiam, obedientiam, ac obsequium praestet: tandem ne quid agat, quod vel coniugum concordiam, aut fratrum membrorumque aliorum familiae concentum perturbare vel liberorum educationem invertere, vel proventus qui ex facultatibus ac possessionibus, et lucra quae ex servorum operis patrifamilias obveniunt, disperdere, deviare ac impedire queat.

CA-

## CAPVT VI.

DE SOCIETATIS CIVILIS ORIGINE,  
*forma et constitutione.*

I. **E**x variis usque adhuc explicatis societati-  
bus parvis familiaribus in unum coalitis, nascitur societas maxima, quae dicitur civitas vel Respublica, cuius veluti exemplum, utpote ac seminarium fuerunt societates antedictae. Nam sicuti hae societates familiares, et subordinatione easdem componentium membrorum ad caput, formantur, ut hactenus visum fuit; ita etiam illa civilis ex subiiectione subditorum ad principem nascitur ac constituitur, uti dicenda aperient. Ergo de hac nunc accurate, et quantum fieri potest breviter, ad nostram tractationem iuris gentium perficiendam, agere oportet.

II. Non est dubium, quin societates, quas modo descripsimus, hominibus, ad vitam commode transigendam, sufficere potuissent, si ipsi ad legis naturae rectaeque rationis normam se componere vellent. Verumtamen cum maior pars hominum sic pravis affectionibus incitata ac dominata sit, ut ad alios submittendos iniuriandosque assidue feratur, de horum hominum improborum pervicaciae impedimento ponendo cogitare opus fuit. Quamobrem nullum munimentum aptius potuit inveniri, quam conglobatio multorum in unum tendentium finem: ita enim quisque aliorum omnium sociorum viribus contra sceleratorum conatus et impetus iuvatur ac praemunitur. En er-

go civitatis Reipublicaeque origo, <sup>1</sup> cuius in posterum utilitates ac commoda tam universae percepta fuerunt, ut omnes prope gentes, relicto naturali statu, in civitatem convenire ac consociare voluerint.

Itaque hodie fere omnes populi cogniti qui orbem terraqueum occupant habitantque, distincti sunt in varias societates civiles, iuxta relationes eorum, qui eundem peragrarunt orbem. <sup>2</sup> Quae autem antiqui historici aliique scriptores retulerunt de populis aliquibus, utpote Salustius <sup>3</sup> de Getulis, Strabo de Numidis, <sup>4</sup> de siculis Homerus, <sup>5</sup> qui hos populos repraesentant tanquam sine legibus, societate ac imperio viventes, ego quoque haec cum Heineccio suspicor, vel falsa, vel parum explorata, vel inventa ad lectoris credulitatem admirationemque captandam. Et nos de praesenti cognito, non de antiquo, et praeteritorum saeculorum orbis statu loquimur. Praesens enim status recognitus mundi prope omnis iam dispersitus est in varias regulares, vel saltem irregulares societates, quae vel principi cuidam parent, vel communi consilio, vel delectis aliquibus, de negotiis publicis decernunt. Inde quidquid dicant etiam aliqui recentes in contrarium, qui quosdam populos descripserunt, tanquam omni humanitate spoliatos sine tecto sine lege viventes, ut-

po-

<sup>1</sup> Optime, uti semper solet, Cicer. de offic. *Non apud Medos et barbaros solum, ut ait Herodatus, sed apud maiores nostros servandae iustitiae causa videntur olim bene morati reges, et civitates constitutae. Nam premebatur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant et vires.*

<sup>2</sup> Vide Hertium *Elem. pruden. civil.* l. 1. cap. 1.

<sup>3</sup> In *Catilinario* 6.

<sup>4</sup> *Geograph.* l. 17.

<sup>5</sup> *Odisseae* l. 10. v. 110.

pote Mochos, Caliphornios, Cafrosque, <sup>1</sup> ego hanc sententiam <sup>2</sup> sustento ac propugno, posteaquam et tales scriptores ab aliis recentioribus auctoribus contradicti mordicus, ac falso convicti fuerunt, et gentes illae in hac praesenti rerum hominumque situatione absque quadam regiminis ac iustitiae forma, impossibile est, ut subsistant. Nam concedo, quod populi aliqui tanta simplicitate morum sint, atque ita frugali modo vivant, ut nulla prorsus nostrarum rerumpublicarum regulata compositione indigeant ac contineantur. At nihilominus nisi eos, tanquam feras dispersas ac solivagos concipiamus, contra profecto eorundem scriptorum assertum, qui illos ut conviventes describunt, quamdam speciem regiminis, ac politiae habere, par est; aliter simul stare nequirent. Cum uti Cicero reflectit: *Ne illi quidem qui maleficio ac scelere pascuntur, sine ulla particula iustitiae ac regiminis vivere possunt: inde leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quod observent.*

## III.

<sup>1</sup> *Epistol. AEdificand. Tom. I. epist. ultim. et Becma. Hist. Geograph. l. 9. 8.*

<sup>2</sup> *Vide Puffendorf. De iure nat. et gent. l. VIII. cap. 4.*

<sup>3</sup> *De officiis.*

<sup>4</sup> Hanc nostram sententiam, accuratus discriptor Americanarum Coloniarum, in historia aliquorum silvestrium populorum earum regionum, fulcit ac comprobat *T. 1. P. 2. cap. 4.* uti & Ludovicus Muratorius in sua *Historia Missionum Paraguaientium cap. 4.* Ille enim enarrat, populos illos silvestres uniones suas, conductoresque habere, quos nomine Cacique appellant. Hi autem ius dicunt in populos subditos, eosque peccantes puniunt, atque ad bellum ducunt, aliaque iura principatus exercent. Vide etiam Maupertuis dans son *Eloge de M. Montesquieu*, ubi ait: *Les peuples les plus sauvages, que nous connoissons, ne sont point des betes feroces: ils ont leurs loix, qui ne different de celles des autres peuples, que par les plus ou les moins de sagesse des leurs legislateurs.*

III. Plato de Republica censet, homines, ad societates civiles ineundas, rerum plurium indigentiam impulisse. <sup>1</sup> Huic philosopho multi inter modernos politicos accesserunt. <sup>2</sup> Verum non mihi videtur admitenda haec, ut causa potissima societates civiles introducendi. Nam liquet ex aurei saeculi descriptione, (vera sit haec, an conficta a poëtis, nihil refert,) quam commoda, delitiosa ac tranquilla vita illa innocens fuisset perfecta aequalitate donata, nihilo prope indigens, quia de nihilo erat sollicita. Ita Abrahamus, Isaacus, Iacobus viri iuxta naturalem probitatem formati, quos supra diximus <sup>3</sup> fuisse extra societatem civilem, commode ac suaviter agriculturae, ac rei pecuariae operam dantes vixerunt. <sup>4</sup> Insuper nihil impedit, quod extra societates, locus esset commercii, adinventionibus, reciprocis servitiis inter homines, atque adeo quod ipsi, quamvis extra civitatem constituti, in qua nos praesenti tempore sumus, consociare voluissent. Siquidem mature familias etiam segreges agros colere, vites plantare, argentum noscere, artesque invenire coepisse, ex eadem scriptura patet. <sup>5</sup> Denique antequam ea hominum multitudo impleisset mundum, ut rerum necessariorum esset indigentia, iam civitatis vestigium apparet extitisse ex eadem antiqua Historia sacra: <sup>6</sup> et rerum omnium indi-

<sup>1</sup> L. 2.

<sup>2</sup> Vide Puffendorf. ubi supra.

<sup>3</sup> Capite superiori §. 3.

<sup>4</sup> Genes. XXIII. 35.

<sup>5</sup> Genes. III. 2. Verum est tamen quod hae familiae, tamquam tot irregulares parvae societates civiles erant.

<sup>6</sup> Genes. III. 17.

digentia maior profecto fuerit institutis civitatibus, gliscente luxu ac libidine, quam ante earum introductionem.

III. Idem dicendum est de elegancia et cultura morum, quae ab aliquibus, utpote causa potissima civilium societatum institutionis venditatur. Etenim praeterquam quod illa morum elegancia crebro sit falsa, et vanitatem sapiat; nihil obstat etiam, quominus homines in statu naturali viventes et rationem excolere, et mores ad eleganciam componere queant. Huiusce argumentum esse potest morata domus Abrahami, eiusque concinna, elegans ac liberalis oratio ad Melchisedecum, et eiusdem insignis humanitas et alacritas in excipiendis hospitibus: <sup>1</sup> uti etiam Isaaci et Iacobi familiae non unum huius humanitatis, ac cultae vitae et regularis praebent exemplum. <sup>2</sup> Unde nemo dubitaverit, quin morum ac scientiarum culturae etiam in statu naturali fuerit locus, ut neque hac de causa homines in civitates abire debuerint. Et revera Iosephus <sup>3</sup> refert, Abrahamum peritum scientiis astronomicis *ἡστρονομίαις*, arithmeticis, aliisque fuisse.

V. Ipsiusmet ponderis sunt etiam reliquae adductae ab aliis, causae formandarum civitatum: quemadmodum iustitia Hesiodi, <sup>4</sup> utilitas ac naturae stimulus Aristotelis. <sup>5</sup> Nam haec huiusmodi minime videntur esse, ut impellere homines possent, ad statum naturalem cum civili commutandum. Siquidem

Qq id

<sup>1</sup> Genes. XVIII. 2.

<sup>2</sup> Genes. XXIII. 2 2.

<sup>3</sup> *Antiquit. Iudaic.* l. 1. cap. 9.

<sup>4</sup> *Teogon.* v. 87.

<sup>5</sup> *Eth.* l. VIII. 2.

quid opponitur, quominus patresfamilias segreges administrarent etiam iustitiam suis familiis? Deinceps ad utilitatem commodumque hominum societates familiares fere satis esse videntur, posteaquam in statu familiari liberum cuique est, quidquid vult providere per contractus ac commercia. Neque ex eo quia homines feruntur natura in societates, ex eo potest deduci, veluti instinctu quodam eos impelli in societatem civilem: nam plures populos tempore satis longo absque eiusdem societatis introductione commode ac feliciter vixisse, ex textu expresso scripturae sacrae desumitur. <sup>1</sup> Spiritus sane consociationis ac benevolentiae hominibus inditus est a natura, non vero societatis civilis expressa inclinatio ac praescriptio.

VI. Quare inter omnes adductas sententias illa a nobis delecta ac prolata, quae ad vim iniuriasque improborum evitandas obtundendasque, civitates civiles institutas fuisse, statuit, magis congrua ac rationi consona apparet. Nam quamvis in statu naturali homines sint aequales; plures tamen in illo statu libertatis ac independentiae improbi evadunt, quorum hominum prava indoles est ac consuetudo, ut alios subiicere, proprioque spoliare tentent: hinc fieri nequit, quin varii patresfamilias, ad eorum oppressiones insidiasque declinandas, simul vires unire <sup>2</sup> ac consociare velint. <sup>3</sup> Et cum porro magna

<sup>1</sup> Genes. XIII. 13.

<sup>2</sup> Optime Seneca: *Nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur societatis officiis - - - fac nos solos, quid sumus? praeda praevorum.* De benef. l. 4.

<sup>3</sup> Nam uti Salustius; *Omnino incerta ac parum tuta per se ipsa praevitas est.* In bello iugur. cap. 14.



societas non possit non esse inaequalis ac rectoria, uti paulo supra monstratum fuit; <sup>1</sup> consequens est, ut ista consociatio hominum, ad propriam praeservationem coniunctorum, sibi ducem eligere, ac certam ei formulam imperii praescribere debuerint, exindeque civitas nata ac constituta sit. Quae sane nihil aliud est, quam hominum multitudo nulli alii mortalium obnoxia, et sub communi imperante, securitatis suae causa, certis legibus consociata, <sup>2</sup> suaeque conservationi sufficiens. Haec ergo genuina causa, ac origo iusta societatum civilium fuit, ad quam inveniendam nos ratio veluti manuducit.

Ex adhuc dictis evidenter patet, neque Heineccium <sup>3</sup> rectae coniectari circa earundem societatum ortum ac causam, illam deducendo in primis a multitudine hominum violentorum in unum conglobatorum, hoc pravo fine sociata, ut alios vi ad eorum iugum dominationemque ferendam subiiciant. <sup>4</sup> Etenim concursus huiusmodi sceleratorum hominum, potius latronum piratarumque iniusta caterva fuisset, quam societas civilis vallata legibus, ac iuxta rationis dictamen, super iustitiae fundamento locata: imperium cuius omnino tyrannicum foret, utpote invitis atque coactis impositum, quod nisi renovetur conventionibus, et consensu reciproco consociantium re-

Qq 2 pro-

<sup>1</sup> Cap. I.

<sup>2</sup> Cicer. hanc definit. *3. De Repub.* apud S. August. *multitudo, iuris consensu et utilitatis communione sociata . . . .* at non satis accurate.

<sup>3</sup> *Elem. iur. nat.* l. 2. §. 104.

<sup>4</sup> Hanc sententiam amplectitur etiam auctor opusculi inscripti: *De l'inegalité parmi les Hommes* P. 2.

producatur, consistere ac durare nequit. Neque ratio ullo modo consentire potest, ut institutio tam sancta ac generi humano salutaris, quemadmodum societas civilis, a causa principioque tam turpi iniustoque, uti hominum violentorum ad perditionem aliorum conglobatio est, derivetur ac producatur.

VII. Ex hisce etiam colligere licet, nugas prope modum agere, qui in statu integritatis futuras fuisse Republicas, tanquam ex tripode pronunciarunt. Cum enim in hoc statu quisque ad rationis normam componeret se, nihil opus esset medio civilium societatum, ad improborum hominum insidias retundendas declinandasque, tantum invento ac introducto.

Ceterum facile advertenti patescit, quod et metus Bodini<sup>3</sup> ac Montesquii,<sup>4</sup> et conservandi res suas desiderium ac sollicitudo Ciceronis,<sup>5</sup> et studium aliorum vim vi repellendi Hobbesii,<sup>6</sup> atque imbecil-

<sup>1</sup> Vide Becman. *Med. Polyt.* I. XI. 5.

<sup>2</sup> Hic advertere oportet, quod minime confundenda est socialitas cum societate civili. Socialitas enim in benevolentia mutua, aequalitatis studio ac commercio officiorum inter homines consisti societas vero civilis absque distinctione, regimine ac imperio concipi nequit. Prima etiam in statu innocentiae existere debuit, non autem alia ex supra enuntiata ratione. Si illi, qui tam acriter socialitatis principium Puffendorffii impugnarunt, huic ponderosae distinctioni reflexissent, sane ab indignis inhonestisque modis, quibus virum clarissimum, et huiusce scientiae benemeritum instauratorem impetierunt insultaruntque, omnino se temperassent.

<sup>3</sup> Bodin. *de Rep.* l. I. 6.

<sup>4</sup> Spir. leg. l. I. cap. 1.

<sup>5</sup> Nam et si duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quaerebant. *Cicer. de offic.* l. 2. cap. 16.

<sup>6</sup> Hobb. *de Cive* cap. 1.

litas hominum segregum Vitriarii, <sup>1</sup> quae cuncta ab his, utpote civitatum potissimae causae ac principia excogitata suppositaque fuerunt, ad idem veniunt, quamvis verbis discrepare videantur, atque cum nostro principio prorsus conveniunt. Nam omnia haec ad personarum, iurium, rerumque suarum protectionem tutelamque ab aliorum insidiis afferendam reducuntur ac tendunt.

VIII. Cum ergo omnium civitatum rerumque publicarum finis sit securitas civium, ex fine vero societatum de mediis ipsisque sociorum iuribus ac officiis iudicandum sit; sequi oportet, ut ea omnia ab iis, qui in civitatem concurrunt, sint facienda, sine quibus finem illum communem, puta securitatem assequi nequirent. Cum vero pravorum hominum vis minime elidi possit, nisi maior vis ex adverso opponatur; evidens fit, quod si alii, contra improborum hominum conatus, se praestare volunt securos, vires unire, atque tot in societatem coalescere debent, quot probabiliter sufficere videantur, ad eorum vim vi iusta reprimendam.

Quare inutilis prorsus est quaestio, ab aliquibus male feriatis promota, neque generatim decidenda, quot personae scilicet civitatem vel Rempublicam constituent? Nam quamvis Apuleius <sup>2</sup> quindecim liberos homines, alii tres familias eam componere existiment; <sup>3</sup> horum tamen opinionum auctores vix ante oculos sane habuisse videntur, finem civitatum, id est

se-

<sup>1</sup> Vitriar. *Instit. iur. nat.* l. 1. cap. 1.

<sup>2</sup> Apolog. pag. 304.

<sup>3</sup> Valer. Max. l. III. 4.

securitatem communem. Etenim huic securitati multitudo coëuntium comparanda ac temperanda est: ita ut si non magnus numerus hominum ad eam producendam sufficiat, etiam ad civitatem conformandam, ille hominum numerus satis fuerit. <sup>1</sup> Atque equidem universa historia docet, initio parvas fuisse civitates: nam pravorum hominum multitudo in vicinia, haud adesse solebat, quae violentiae metum incuteret. At posteaquam orbis frequentiori habitatorum numero crebescere coepit, atque improbi homines, eorumque caetus consequenter multiplicati fuerunt, de ingentibus civitatibus componendis cogitare oportuit. Hinc maiores Respublicae, hinc postea systemata civitatum profecto derivarunt. <sup>2</sup>

VIII. Quapropter si huiusmodi numerus hominum vires animosque iungat, <sup>3</sup> cui satis roboris sit et ingenii, ad hostes debellandos ac comprimendos, hunc constituere civitatem, dicere oportet. Non igitur civitas ex territorio, urbibus, moenibus, sed ex hominibus consociatis nascitur atque componitur. <sup>4</sup> Et revera Hebraeorum multitudo quadraginta annis illis, quibus per deserta Arabiae loca, sine certa se-

<sup>1</sup> Nam optime advertit Plinius: *Quod corpora quamlibet ardua et excelsa, proceribus admota decrescunt.* In Pan. cap. 61.

<sup>2</sup> Plato de leg. l. V. Hanc sententiam amplectitur ac firmat. Vide etiam meum Puffendorf. l. 7. cap. 2. §. 2.

<sup>3</sup> Hic tamen advertere oportet cum Burlemaquio, quod minime civitates concipi decet in suis principiis eadem perfectione donatas, qua nunc eas videmus existere. Nam omnes humanae introductiones in suis principiis imperfectae evadunt, tempore ac experientia postea ad perfectionem, tantum perductae. *Ius Polyt. P. 1. cap. 2.*

<sup>4</sup> Vide Thucidid. Hist. VII. 14. Iust. Hist. 12.

de, sine lare, sine moenibus ac tectis oberravit, non ne Respublica sancta et regulata fuit? <sup>1</sup>

Ideoque concludatur, Rempublicam componere congruam hominum multitudinem ad propriam praeservationem coniunctam aptamque: neque eam extinctam videri posse, occupato licet eiusdem territorio, quamdiu populus superstes, hostibus profligandis, haud impar fuerit. Sic sane stetit Attica Respublica, quamvis Attica terra ab Atheniensibus fuisset derelicta, posteaquam perstitit classis, in quam se se Themistocles cum universo populo, collectis omnibus, quae possent moveri, contulerat, cuius profecto ope, patrium solum a Persarum invasionibus <sup>2</sup> praeservavit ac munii.

X. Ergo cum civitas consistat in consociatione tantae hominum multitudinis, cuius vires iunctae non sint impares pravorum vicinorum in se irruentium potentiae, sine consensu vero non intelligatur societas, hinc venit, ut civitates et Respublicae, interveniente pacto formentur, sive homines ultro in hanc societatem consenserint, sive is consensus ab initio vi fuerit extortus, ac postea voluntarie traditus ac reproductus, sive aliqui iam constitutae Reipublicae accesserint, sive tandem sint prognati ex Reipublicae civibus, qui sane tacito consensu in eadem continuare Republica, in qua sui parentes fuerunt, praesumuntur. Atque equidem hoc modo Albanorum Coloni, qui initio sectarunt Romulum, ac iuxta Tiberim

<sup>1</sup> Quod tamen exemplum in Herodoto, scilicet Omnia Tribus  
 1. 2. pag. 144. Vide Rosseau De iustitia in

<sup>2</sup> Nep. in Themis. 15. cap. 2.

rim pedem fixerunt, in novam Rempublicam sponte consensum dederunt. <sup>1</sup> Vti postea huic populo, cum iam Reipublicae formam constituisset, ultro per foedus accesserunt Sabini. <sup>2</sup> Ex adverso inviti quamvis ab initio, diruta patria urbe, Romanam civitatem augere voluerunt ultroneo posteriore consensu Albani. <sup>3</sup> Nec postea unquam dubitatum, quin prognati ex civibus Romanis perdurare in Republica vellent, nisi hanc praesumptionem, aut expressa in contrarium declaratione, aut aperto aliquo signo, <sup>4</sup> veluti solum vertendo, de medio abstulerint amoverintque.

XI. Inde igitur patet, civitates quoque, uti alias societates, sive consensu omnino ultroneo, sive vi, aut coactione interveniente a principio, sed ex post facto ultroneo assensu praestito, vel constitui vel augeri. Vbi ultroneo consensu coniungitur illa multitudo, fieri non potest, quin primum, ac praecipuum pactum praecedere debeat, nempe quo omnes consentiant in civitate constituenda. Et cum hoc pactum, absolutum ac liberum, et sub conditione iniri possit; per se liquet, eum qui vel non consentit, vel conditioni non satisfacit, extra societatem manere. <sup>5</sup> Id quod hodie etiam proculdubio observandum esset, si nova Respublica per consensum constitueretur.

XII.

<sup>1</sup> Dionys. Antiq. l. 1. pag. 72.

<sup>2</sup> Liv. l. 1. c. 3.

<sup>3</sup> Liv. l. 1. cap. 29.

<sup>4</sup> Vtpote illud etiam est omnium rerum mobilium et immobilium translatio aut alienatio.

<sup>5</sup> Vide huius rei exemplum in Herodoto, scilicet Otanis Persae, qui vixit inter suos prorsus iam imperii formati ac delecti independens l. 3. pag. 124. Vide Rosseau *De inaequalitate in epistola dedicata nota 1.*

XII. Cum vero societas minime consistere possit, nisi eam componentes socii consentiant in eundem finem ac eadem media; inde venit etiam, quod Respublica durare nequit, nisi eiusce membra in idem medium, ac formam eandem regiminis conveniant. Ideo opus est, ut multitudo iam consociata primo pacto, <sup>1</sup> secundo decreto ac pactione decernat de regiminis forma, nempe vel omnium, vel plurium, vel unius, qua regere ac gubernare se intendit. Hoc autem regimen, vel pacto, vel sorte, vel maioris partis voto seligi poterit. Ceterum, non est dubium, quod illi, qui pactum illud primum pure iniierunt, in hoc secundum devenire, ac se se plurium suffragiis submittere tenentur: <sup>2</sup> cum hoc sit veluti illiusmet primi pacti necessaria conditio.

Compositio quidem Romanae Reipublicae huiusce decreti interventum ac necessitatem quoque clare demonstrat. Nam cum inter illam urbis Albanæ sentinam, nec non pastorum praedonumque turbam pactum fuisset, Romulo auctore, in Rempublicam coalescere; ipse Romulus, vocata concione, rogavit populum de forma imperii, quam praefendam amplectendamque putaret. Cui proposito fuit responsum, referente Dionysio: <sup>3</sup> nobis nova Republica non est opus, nec a maioribus probatam, ac per manus traditam mutabimus: ἡμεῖς πολιτείας μὲν καινῆς ἔδαν δεόμεθα, τὴν δὲ ὑπὸ τῶν πατέρων δοκιμασθεῖσαν εἶναι κρατίστην παραλαμβάντες ἔμετατιθέμεθα.

Rr

XIII.

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 7. cap. 2. §. 6.

<sup>2</sup> Recte Plinius: *Singulos enim, integra re, dissentire fas esse; fracta, quod pluribus placuisset, tenendum* l. 3. ep. 13.

<sup>3</sup> L. 2. pag. 80.

XIII. Tandem ubi de regiminis forma conventum fuerit, nihil populo deerit, ad perfectam Rempublicam componendam, quam ut tertio pacto ac decreto eam, easque personas, quas sibi imperare velit, seligat, atque ei, iisque certam imperii formulam, ad superioris decreti normam, praescribat imponatque. Haec vero formula recte legis fundamentalis nomine appellatur, posteaquam ea etiam quae caventur pactis, leges bene saepe denominantur. <sup>1</sup> Proindeque eadem formula imperantes non minus, quam cives obligat: adeo ut nihil putetur actum, si quid contra legem hanc in Republica, vel ipsiusmet regimine geratur. Et quidem tertium hoc decretum quoque in Reipublicae Romanae constitutione apparet, uti ipse Dionysius scribit paulo post. <sup>2</sup> Cum enim imperium Regium, cui iam Albani adsueverant, retinere decrevissent, illico de eligendo rege solliciti, subiiciunt se Romulo: *Honorem eum non alii magis, quam tibi convenire, persuasum nobis est.* Inde, populo referente, partitum fuit imperium, ita ut populo ius eligendi Magistratus: penes selectos patres ius referendi de omnibus, quae Rex eisdem demandaret: penes Regem denique cura sacrorum, legum, iudicia de criminibus, ius convocandi Senatum ac populum in concionem fuisset. En formula novi imperii, sive fundamentalis ipsius lex. Quae sane lex fundamentalis, sive partium imperii distinctio ac dispositio

<sup>1</sup> Quando saltem ius naturae admittatur dependens a voluntate Dei, quod ad pacta servanda obstringit. Inde venit, quod in systemate Hobbesii, pacta dici leges minime possunt. *Vide supra cap. 1. huius l. §. 7. in notis.*

<sup>2</sup> L. 2. pag. 85.



tio in Democratico imperio, in quo de persona vel personis imperantis minime decernitur, in locum tertii pacti venit. Hac enim formula de loco ac tempore conciones habendi, de magistratu ordinario, de ordine iudiciorum, ac de oeconomia universa regiminis disponitur ac stabilitur. <sup>1</sup>

XIII. Quoties populus ultro civitatem instituit, hoc modo eam nasci par est. Quoties vero ille populus perdomitus a potentiore, cum illa victrice gente unam Rempublicam format, in omnia haec pacta, scilicet de constituenda communi Republica, de imperio iam in ea constituto amplectendo, ac de subiciendo se legibus ipsiusmet Reipublicae fundamentalibus, ac imperanti personae vel personis consentire praesumitur: quia si dissentiret, non acciperet oblatas a victoribus conditiones, sed ad ultima experimenta venire potius, quam se ipsorum gubernationi ac imperio submittere mallet. Res tamen omnis hoc in casu redit ad deditiois leges, quae aliquando duriores, aliquando mitiores esse solent, prout vel certa, vel ambigua est victoria, vel belli causa evidenter honesta vel dubia ostenditur. Sic profecto cum Sabini ac Romani aequo pene Marte pugnassent, visum est utrisque bellum foedere finire: ita ut pari potestate Romae Romulus, ac Tatius regnarent. <sup>2</sup> A quo foedere pactoque facile desumitur, quod Sabini quodammodo ad constituendam Rempu-

Rr 2 bli-

<sup>1</sup> Hinc sane conici potest, parum accurate Puffendorffium, civitatum formationem, ad duas tantum praecipue conventiones reducere. Vti iam in nostro Puffendorff. adnotavimus l. VIII. cap. 2. §. 7. nota 3. Vide Burlemaq. *Princ. iuris poli.* P. 1. cap. 4. §. 2.

<sup>2</sup> Vide Dionys. l. 2. pag. 111.

blicam admittebantur. Ceterum non est dubium, quin utcumque deditio fiat, finiaturque bellum, semper consensu reciproco opus sit, ad victorum populorum regiminis imperiique formam constituendam. <sup>1</sup> Aliter belli status duraret adhuc, hostilis animus, atque imperium non esset regulare, de quo hic agimus, sed violentum, incertum, ac tyrannicum omnino: de quo postea erit dicendi locus.

XV. Quemadmodum vero omnium societatem componentium una voluntas, unus intellectus ac consensus concipi debet; eodem modo dicendum est de civitate ac Republica. <sup>2</sup> Id quod nulla alia ratione fieri potest, nisi omnes in unam vel plures voluntates conveniant, atque huic vel hisce submittant se. Ideo per se patet, cives Reipublicae omnes voluntates suas uni pluribusve subiicere oportere, atque adeo eum eosve imperare, cui vel quibus voluntates suas ipsi supponunt.

Etenim nullo alio modo potest accidere, ut plures idem velint ac sentiant, sicuti opus est in societate civili, quam vel per conspirationem, nempe uti omnes idem semper consentiant ac velint, vel per subiectionem, ea ratione scilicet, ut plures voluntates suas unius vel plurium voluntati submittant. Prius nunquam sperari potest, posteaquam prorsus impossibile est, quod multorum hominum studia, ingenia, inclinationes variae in unum semper conveniant. Itaque superest posterius, nimirum quod plures, voluntate

<sup>1</sup> Optime Livius advertit: *Nullum hominem in ea conditione, cuius eum poeniteat, diutius, quam necesse sit, mansurum* l. 8. cap. 21.

<sup>2</sup> Vide cap. 1. huiusce libri §. 14.

tates suas, alterius vel plurium voluntati submittant. <sup>1</sup> Nam sicuti gubernatio navis repletæ hominum turba, nisi gubernatori perito detur, ipsius directio ac salus non est speranda; ita neque gubernatio civitatis compositæ tot hominum miriadum unquam recta ac salutaris evadere poterit, nisi uni vel pluribus expertis gubernatoribus administranda, vel regenda tradatur.

XVI. Inde porro quod vel uni, vel pluribus, vel universæ multitudini gubernatio civitatis tradi potest; consequi oportet, ut tres solæ sint regulares formæ Reipublicæ, scilicet Monarchia, Aristocratia, et Popularis. Quoties enim omnes cives voluntates suas unius personæ physicae voluntati submittunt, nascitur Monarchia, Regnum, vel Principatus: sin plurium voluntati ac decreto subiiciant se, Aristocratia <sup>2</sup> oritur: denique si id, quod universa civium multitudo in concione vocata communi suffragio decernit, pro totius civitatis vel Reipublicæ voluntate habetur, ea Reipublicæ forma componitur, quæ Popularis vel Democratica denominatur. Quare cum sive unus, sive plures, sive omnes imperent, non alio iure præsent Rei-

<sup>1</sup> Submissio vero hæc fit per conventionem. Nam absque conventionem minime potest percipi, quomodo subditi imperantis voluntati subiiciant se. Vide Burslemq. *Princ. iur. polyt.* P. 1. cap. 4. §. 17.

<sup>2</sup> Ita Isocrates in Paneg. *Φημὶ τρεῖς εἶναι τῶν Πολιτειῶν ἰδίαι, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, μοναρχίαν.* Tres dico esse species civitatis, paucorum, omnium, unius. Hic tamen orator accipit Oligarchiam pro Aristocratia inaccurate sane. Eodem modo etiam Quintilianus non satis exacto distinguit formas Reipublicæ: *Formas Rerumpublicarum, quas tres accepimus, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur.* Instit. orat. l. 5. cap. 10.

Reipublicae, quam quod reliqui cives eorum voluntati voluntates suas submiserunt; necessario sequitur, ut iniuste imperent illi, quibus suam voluntatem non subiecerunt ipsi cives. Hinc si unus sit, qui iniuste occupet regatque Rempublicam, non assentientibus civibus, Monarchia in Tyrannidem: si loco collegii optimatum, pauci absque consensu populi invadant imperium, Aristocrata in Oligarchiam: denique si loco totius populi in concione vocati ac constituti, iuxta legis fundamentalis decretum, turba quaedam, vel faex hominum turmatim omnia pro arbitrio decernat, invadat ac dominetur, Democratia in Ochlocratiam degenerat et commutatur. Quas Reipublicae formas vitiosas, regularibus admodum vicinas ac similes esse, atque adeo facile has in illas degenerare, observavit recte Polibius: <sup>1</sup> id quod etiam, exemplis innumeris confirmata experientia demonstrat. <sup>2</sup>

XVII. Ergo quemadmodum tres, illae Rerumpublicarum simplices formae in totidem vitiosas oppositas facillime degenerant; nam sicuti de corporibus physicis, ita etiam de moralibus institutionibus, ac politicis evenire solet, quod quo minus compositae sunt, eo faciliiori modo resolvantur; non mirum est, paucissimas semper repertas fuisse civitates, quae ex tribus illis unicam prorsus eligerent ac constituerent: sed plerasque, vel formas illas varias veluti in unam conflasse, <sup>3</sup> vel duas sane ita miscuisse, ut una alteram

<sup>1</sup> L. VI. 1. *Hist.*  
<sup>2</sup> Vide Hertium *Elem. prud. civil.* l. 2. 8.  
<sup>3</sup> Antiqui Germani, referente Tacito de moribus German. hanc politiae mixtionem habuerunt: *De minoribus rebus Principes consultant,*

ram veluti in officio detineret. <sup>1</sup> Et cum a potiore fieri soleat denominatio; inde nequeunt non varia nasci Regnorum, Aristocratiarum et Democratiarum genera, quae an sub Rerumpublicarum mixtarum vel irregularium nomine venire debeant, nihil refert definire. <sup>2</sup> Eam sane Polibius optimam formam regiminis civilis appellat, quae ex omnibus componitur formis: ἀριστήν τὴν πολιτείαν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων συνέσασαν. <sup>3</sup> Et re vera tunc una forma ab aliis liberatur ac sustinetur, atque ita omnes in officio manent. <sup>4</sup> Huius exemplum dat admiranda Anglorum Respublica, quae ineffabili modo compositam Monarchiam Rege, Aristocratiam Parliamentis, Democratiam universo populo in unum refert ac continet, proindeque tam florida ac bene constituta perdurat.

XVIII. Praeterea cum et integrae societates in unam maiorem convenire possint, uti supra iam monstratum fuit; <sup>5</sup> consequi necesse est, ut et plures Respublicae, retenta ipsiusmet forma et independentia, icto foedere, in unam maiorem ita coalere queant, ut quae ad communem salutem, securitatemque omnium

*tant, de maioribus omnes. Ita tamen, ut ea quoque quorum penes Plebem est tractatio, apud Principem pertractentur.*

<sup>1</sup> Hae autem dictae fuerunt civitates mixtae ab aliquibus, vocabulo sane aptiori ac convenientiori illius irregularium civitatum, quo ab aliquibus aliis fuerunt vocatae. Vide Puffendorf. *Ius nat.* l. 7. cap. 5. §. 14. de his infra agitur §. 24.

<sup>2</sup> Thomasius has duas acceptationes confundit. *Iurisprud. divin.* l. 3. cap. 3. §. 40.

<sup>3</sup> *Hist.* l. 1.

<sup>4</sup> Vide Montesquium in suo *Spirit. leg.* l. VIII. cap. 6.

<sup>5</sup> Cap. I. §. 15.

mnium pertinent, communi consilio viribusque unitis tractentur. Quae systemata civitatum, et consociatae Respublicae dicuntur, uti Amphitionum Respublica, et Achaica consociatio Graecarum civitatum olim fuerunt, et nunc Batavorum sunt provinciae, atque civitates Helveticae.

Nihil impedit etiam, quod hae variae civitates compactae in unum systema inaequaliter sint foederatae, eo modo scilicet, ut una magis debeat in communem ponere quam alia. Nam sicuti societas privatorum inaequalis licite componitur, uti supra visum fuit; ita etiam civitatum huiusmodi societas constitui potest. Id quod minime consideratum fuit ab Heineccio ac Titio, dum Puffendorffii sententiam circa systemata civitatum censurant atque adversantur.

XVIII. Cum ergo Monarchia nascatur, quoties omnes cives voluntates suas unius personae voluntati submitunt; necessario colligitur, perinde esse, quocumque dignitatis nomine, Imperatoris scilicet, Regis, Ducis, Principis, illa persona utatur. Nam cum eadem neminem superiorem recognoscat, indifferens prorsus est, quaecumque dignitatis nomen adsumat. Imperantes enim secum invicem vivunt in statu naturali: status vero naturalis status aequalitatis et libertatis est. Inde venit, ut Monarcha Monarchae sit aequalis: ideoque nihil obstat, quod titulum adsciscat suae independentiae competentem, atque iam ab aliis principibus assumptum ac usitatum. Vidit nostra aetas duo clara exempla huiusce rei, nimirum Fridericum I. Prussiae Regem, et Petrum I. Russiae Impera-

1 L. 1. cap. 13. §. 29.

ratores, quorum alter primus Regium nomen, alter Imperatorium sibi arrogarunt. Verumtamen advertendum est, quod cum nulla sit obligatio societatis aliis civilibus, qua illae obstringantur ad novum dignitatis nomen principi alterius societatis tribuendum; ipsae prudentiae regulae suadent, nisi de aliorum Principum ac Rerumpublicarum sententia, vel saltem tacita approbatione, tales honoris novos titulos haud accipi debere. Aliter Princeps comice ac fecte potius, quam vere et realiter illius dignitatis nomine insignitus profecto videretur.

XX. Ex dictis patet, Monarcham omnia agere suo arbitrio, atque omnium independentem vivere. Adeoque quamvis prudentiores merito adhibeat in consilium, ad eorum consilia sequenda minime tamen adstringitur. Ergo cum omnia arbitrio Principis in Regno dependeant, nullum erit ius maiestatis, quod ipse exercere nequeat. Immo vix Monarchae nomen meretur ille, in quo omnia maiestatis iura non uniantur atque concurrant. Etenim Reipublicae tanquam unius personae moralis unus debet esse intellectus, una voluntas. Si vero praeter Monarcham alius quocumque iure maiestatis, independentem ab eo, fungeretur, non esset quidem totius Reipublicae unus intellectus ac una voluntas: ergo neque esset Respublica, sed Respublica in Rempublicam, ac Monarcha contra Monarcham, quo nihil absurdius. Neque con-

Ss

tra

<sup>1</sup> Sic Carolus V. anno 1519. per legem expressam ordinavit, ut Regi Aragoniae ac Castellae titulus maiestatis impertiretur, relicto illo celsitudinis antea usitato. Vide Anton. de Solis in sua *Historia novae Hispaniae* l. 2.

tra haec veniunt, quae de mixtarum Rerumpublicarum forma paulo post dicenda erunt. <sup>1</sup> Nam genus illud regiminis a Populo delectum est, in quo omnes qui imperium tenent, unam profecto personam componunt; adeoque cuncti ad regimen delecti maiestatem sustinent, ac in se uniunt, atque ipsi semper de consensu agunt. <sup>2</sup>

XXI. Verum quamvis Monarcha omnia suo arbitrio regat disponatque in Regno, nihil tamen agere potest, quod contra civitatis finem veniat, scilicet publicam securitatem, civiumque salutem. <sup>3</sup> Ex quo consequitur, ut populi securitas et salus suprema, Monarchae lex esse debeat, eoque ipso hic differat a Tyranno, qui omnia ad suam utilitatem praeservationemque refert, universorum civium salute postposita ac neglecta. Vnde sapienter Polibius <sup>4</sup> Tyrannum definivit, omnium impietatum scelerumque receptaculum; ita ut ille subditos potius tanquam servos, quam cives tractet, innocentes conterat, sapientes reiiciat, perfidos ad dignitates extollat, atque omnia, quae ad status subditorumque felicitatem conducere possent, repudiet atque reiiciat. Ergo concludamus Monarcham legibus fundamentalibus Regni, <sup>5</sup> ac legibus naturae, rationisque dictatis se tenere obstrictum, atque valatum eo modo, quo semper suorum subditorum conser-

<sup>1</sup> S. 24.

<sup>2</sup> Praeterea hic agitur proprie de Monarchia tantum.

<sup>3</sup> Optime Seneca: *Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque, quam illa corona ob cives servatos.* De Clementina cap. 3.

<sup>4</sup> *Hist. L. II. 59.*

<sup>5</sup> Veluti sunt illae de successione, de electione, de magistratibus, atque omnes aliae leges, quae in primordiali pacto fuerunt firmatae.



servationem perfectionemque factis ordinationibus, ac morum regularitate, actionumque exemplo <sup>1</sup> intendere, ac curare profecto debeat. Optime Aristoteles paucis explicat rem: *Si ordine civitas disponitur, Regnum, si inordinate, Tyrannis est.* <sup>2</sup>

XXII. Porro ex Aristocratiae definitione colligimus, penes totum optimatum Collegium esse debere maiestatis iura omnia, eaque adeo non aliter posse explicari, quam de communi totius collegii sententia. Quare opus erit certo loco, ubi frequenter conveniant, ac uniantur Senatores, et de Republica in medium consilium capiant: nec non certo definitoque tempore, quo Senatus ordinarius convocetur, nisi aliquid extra ordinem, ut Senatus indictus habeatur improviso, postulet. Praeterea cum plurium consensus nequeat colligi, nisi vel per unionem, vel per submissionem; <sup>3</sup> et cum primum medium, ubi plures interveniunt, vix sit possibile; reliquum est, ut aliud, scilicet illud submissionis eligatur. Ideo consequitur in Aristocratia, pauciores se voluntati plurium submittere debere, ita ut plurium sententiae vincant pauciores: in pari vero sententiarum numero nihil videatur actum, nisi fuerit conventum fundamentali lege, quod vel is, qui praesidet Collegio pondus addat alterutri parti, vel quod calculus minervae admittatur. <sup>4</sup> De-

Ss 2

ni-

<sup>1</sup> *Facere* (scite Paterculus) *recte cives suos, Princeps faciendo, docet, cunq̄ue sit imperio maximus, exemplo maior est.* Hist. 4.

<sup>2</sup> Τὸ τὸν δὲ κατὰ τὰς ἐν βασιλείᾳ, ἢ δὲ ἰσορῆτος τυράννος ἐστίν. Polyt. V. 10.

<sup>3</sup> Ut visum fuit supra §. 15.

<sup>4</sup> Calculus minervae dicitur, quando in pari condemnantium

at-

nique cum vitiosa forma opposita Aristocratiae Oligarchia dicatur, illaque in hanc facile transeat; res ipsa postulat, ne quid valide decerni possit absque maiore optimatum numero, veluti duarum partium interventu. <sup>1</sup>

Ceterum Oligarchiam earundem calamitatum pravitatumque ac deordinationum causam esse civitati, ac ipsam Tyrannidem, ex eo patet, quod tunc nascitur, quando aliqui pervicaces Senatores aliis expulsis ac conculcatis omnia ad se trahere volunt: <sup>2</sup> utilitates, magistratus dominationem, praescripta in omnium civium perditione atque ruina: adeoque in nihilo differunt iniqui illi homines a Tyranno, nisi quia plures sunt, atque ita pervicaciori modo bacchantur. <sup>3</sup>

XXIII. Eodem modo se res habet in Democratia. Cum enim in ea id, quod universa civium multitudo advocata in concione, communi suffragio decernit, pro totius Reipublicae voluntate reputetur, consequens est, ut maiestas hic sit penes totum populum, isque tunc omnia iura maiestatis exerceat atque

atque absolventium numero, reus a poena criminis liberatur. Confer Boëclerum *Dissertat. de calcul. Minervae*. De huius calculi aequitate haec ratio affertur, quod condemnatio innovat statum, e contra absolutio relinquit statum priorem. Ideoque rationi consonum videtur, ut in pari votorum numero nihil agi censeatur per absolutionem. Idem dic de quacumque agatur re: ita ut hoc calculo admissio, in paritate votorum sententia illa habeat locum, qua nihil innovetur.

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 2. cap. 2. §. 17.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 7. cap. 5. §. 10.*

<sup>3</sup> Optime Cornel. Nepos in Miltiad. cap. 8. *Omnes autem habentur Tyranni, qui potestate sunt perpetua et non legitima in ea civitate, quae libertate usa est.*

que administret. Hoc autem fieri cum nullo alio modo possit, quam si populus in comitia confluat, et de negotiis obvenientibus in medium simul conferat; per se patet evidenter, hic quoque certum locum, ubi coëat populus, statusque dies, quibus comitia convocentur, definiendos esse: ratumque habendum, quod populus in huiusmodi reductionibus, sive curiatim, sive tributim, sive viritim, pluribus suffragiis decreverit. <sup>1</sup> Verum haec regiminis species ob multitudinem, a qua necessario componitur, in confusionem et Ochlocratiam facile degenerat ac transformatur: id quod sane tunc nascitur, quando a minore parte populi, atque ex ipsiusmet faece, absentibus vel exclusis reliquis, non iam vocata concione, sed turmatim ius suffragii arbitrarie usurpatur. Haec imperii perversio ac depravatio totius Reipublicae systema corrumpit ac destruit, <sup>2</sup> illudque ad Anarchiam conducit. Siquidem plebs omnia ad arbitrium gerit, conculcatis reliquis civibus, eorum substantiis invasis, legibus reiectis ac abrogatis, omnibusque sacris, profanis, convulsis eversisque absque ordine ac directione, usque dum Demagogorum aliquis tyrannidem occupet, uti, referente Phe dro, <sup>3</sup> revera Athenis contigit.

XXIII. Cum vero et mixtae, quas vocant, Respublicae optimae regularesque reputentur, atque id eo introductae sint, ut una forma componentium eadem, alteram veluti in officio contineat; <sup>4</sup> res ipsa de-

<sup>1</sup> Cicero: *Nam nemo in hac unus excellere debet.* Tusc. quae l. 5. cap. 39.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 12.

<sup>3</sup> *Fabul.* l. 2.

<sup>4</sup> Vide supra §. 21. & meum Puffendorf. ubi supra §. 14.

demonstrat, iura maiestatis, vel omnia, vel quaedam in his civitatibus ita communicari oportere, vel cum Collegio optimatum, vel cum multitudine populi, vel cum ipso Monarcha, ut ordo unus, inconsulto altero, nihil decernere queat. Quare sic separari minime potest illud iurium maiestatis exercitium, ut unus altero inscio, vel invito aliquid gerat vel administret. Quoniam tunc ullo modo impediri nequiret, quominus Respublica in Republica produceretur, ad ipsiusmet civitatis ac imperii regularis interitum ac perditionem. <sup>2</sup>

Ergo haec mixtarum civitatum suprema lex reputanda est, ne unus ordo imperantium in alium insurgat, nihilque clanculum, ac reuulentibus aliis imperii sociis, <sup>3</sup> agat decernatque: nam hoc admissio, statim Respublica a mixto imperio in Oligarchiam, Tyrannidem, vel Ochlocratiam transiret ac verteret, posteaquam tunc unus, vel pauci, vel turba in reliquis insurgeret potestates, easque ab imperio deturbare ac deponere vellet, cum illarum iura ac functiones invaderet. Id quod ex Romanae Reipublicae contemplatione profecto desumitur, tempore quo plebs tribunitiis incitata furoribus, inconsulto reliquo populo, senatuque despecto, leges ferre, et de capite civium Romanorum ius suo arbitrio dicere, et omnia patrum

<sup>1</sup> Ita sane obviam it periculo, ne una alteram impediatur potestatem, ac turbet.

<sup>2</sup> Vide Lokhium *De regimine civili* cap. 12. et Montesquium in suo *Spir. leg.* l. XI. cap. 6.

<sup>3</sup> Asinius Gallus apud Tacit. *Ann.* l. 1. cap. 12. *Nam quaecumque modo concipiatur Respublica, illius unum esse corpus debet, et unius animo regi.*

magistratumque decreta turbare solebat. Tunc enim, Romanam Rempublicam parum Ochlocratia abfuisse, facile est intelligere. Etenim loco totius populi, de consensu Senatus, turba quaedam hominum, inconsultis patribus ac magistratibus, pro lubitu omnia dominabatur. Hoc ex Anglorum Reipublicae conficto exemplo melius etiam ostendi potest. Quoniam si Rex usurparet Parlamentorum functiones aut Parlamenta, vel turba populi Regis potestatem occuparet, evidens fit, quod Tyrannica statim dominatio illius populi, vel Oligarchica, vel Ochlocratica evaderet. Quae omnia sunt depravationes illius regiminis mixtae Reipublicae, consensu universorum civium ab initio compositae delectaeque. <sup>1</sup>

XXV. Quod pertinet ad civitatum systemata, cum illa oriantur, vel ex duobus pluribusque regnis, quae sub communi capite, veluti in unum regnum coaluerunt, <sup>2</sup> quemadmodum sane Hispanica Regna sub Ferdinandi Catholici dominatione constituta fuerunt, et nunc sunt Hungariae ac Bohemiae Regna sub Imperatrice Augusta Regina; vel ex pluribus civitatibus foedere iunctis, cuius exemplum Amphitionum, ac civitatum

<sup>1</sup> Ex hisce liquet, quod mixta civitas ab irregulari differt. Nam mixta, regularium imperiorum formis componitur. Status enim irregularis ille dicitur, qui deficit aliquibus essentialibus requisitis regularis ac bene ordinatae Reipublicae. Veluti erat ille Romae antiquae, quando Romulus ac Titius simul regnabant. Atque ille Longobardorum, quando Partharitus et Gundebertus regnabant eodem tempore. Ex hoc licet arguere, quod inexacta est definitio statuum irregularium Puffendorffii, ita eosdem definiens status, qui nulli speciei regulari referri possunt. Nam neque mixtus status alicui referri potest speciei status simplicis regularis. *Vide suam Dissertat. de republ. irregulari.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 7. cap. 5. §. 17.*

tum Achaicarum Senatus, olim praebuerunt, et nunc Belgarum et Helvetiorum Republicae praebent; hinc facile recognoscitur, quod priore casu Regna communem regem habere solent, sed proprias leges, suosque magistratus independentes: <sup>1</sup> at haec ad mutuam sibi opem praestandam sane, contra communes hostes et pro communi rege tenentur. Et si non sint omnino Monarchica, oportet etiam communia comitia constitui, atque adeo utriusque regni ordines certo numero pro virium ratione vocari, ut quae ad communem salutem necessaria sunt, tractentur ac despiciantur. <sup>2</sup> Ita erant olim Angliae, Scotiae, ac Hirlandiae Regna, ante quam Scotia omnino cum Anglia uniretur. <sup>3</sup>

Posteriore vero casu colligitur, quod civitates singulae immanentia maiestatis iura suo arbitrio, <sup>4</sup> transeuntia, nempe quae ad communem securitatem pertinent, communi consilio exercere debent. Ac proinde ex delegatis a singulis civitatibus hominibus Collegium aliquod, sive perpetuum, sive temporarium statis diebus constitui opus est, quod de rebus ad communem securitatem spectantibus consulat in medium, et quid factu referat, illud componentes, re prius cum civitatibus suis communicata, decernant. Ita quidem toties recensitae Provinciae unitae Belgarum Hagae: Helveticae vero Civitates Badae, suum collegium apertum assidue tenere solent. <sup>5</sup>

## XXVI.

- <sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra in notis.
- <sup>2</sup> Nam tunc de civitatibus foederatis participant.
- <sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.
- <sup>4</sup> Vide haec cap. seq. §. 8.
- <sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 19. in nota r.

XXVI. Verum est tamen, omnia haec civitatum systemata variare ex variis confoederationum legibus ac conventionibus, quibus fuerunt composita. Inde fieri non potest, quin hae Respublicae sint diversissimae, aliaeque arctiore, aliae paulo laxiore vinculo sint colligatae, aliae plus, aliae minus commune inter se habeant commercium. <sup>1</sup> Ideoque quibusdam sunt communia aeraria, officinae monetariae, armamentaria, quibusdam vero non sunt. Deinde quaedam Praesidem aliquem, communisque foederis veluti custodem senatui praeficiunt, alia ab hoc instituto abhorrent: quaedam in ferendis suffragiis, quaedam in contributionibus praestandis, atque in reliquis ordinationibus exercendis, ad communem salutem introductis, variant ab aliis. Nam quae a conventionem varia hominum dependent, iuxta ipsiusmet conventionis leges, ut diversimode etiam se habeant, necesse est. <sup>2</sup>

## C A P V T VII.

*D E S V M M A P O T E S T A T E,*  
*eiusdemque iustis limitibus, et de modis*  
*eam acquirendi.*

I. **H**actenus de societatum civilium compositione,  
 Tt ne,

<sup>1</sup> Vide Montesquium in suo *Spirit. leg. l. XI. cap. 2.* ubi comparisonem facit Liciorum Respublicae confoederatae, cum aliis civitatibus confoederatis Graeciae.

<sup>2</sup> Ex hisce omnibus civitas maxima enascitur, qua omnes gentes inter se colligantur, unde ad naturalia officia ad invicem sibi praestanda tenentur, nimirum se tueri, aliorum societatem non laedere, suum unicuique tribuere. *Vide cap. 1. §. 6. nota.*

ne, ac de ipsarum variis formis, imperio ac regimine egimus: nunc remanet, ut hoc regimen ac imperium paulo accuratius introspeciamus atque examinemus. Supra iam definivimus Rempublicam, <sup>1</sup> multitudinem hominum nulli alii mortalium obnoxiam, et sub communi imperante, securitatis suae causa sociatam. A qua definitione apparet, illos qui coalescunt in Republica, in statu naturali vixisse, <sup>2</sup> posteaquam hi nullis aliis mortalium erant obnoxii: adeoque consequens est, ut civitas, cum sit composita hominibus a nullo dependentibus, nemini mortalium subiecta remaneat, et omnia quae conservando statui suo necessaria esse existimat, libere peragere, nec ab ullo in exercitio iurium suorum turbari, vel ad reddendas gestorum rationes adigi possit. Cum ergo haec omnia coniunctim accepta, vocentur imperium summum; sequi oportet, ut in omni civitate et Republica imperium summum existere debeat.

Ex hisce patet, quod populus, ab alio victore populo in potestatem redactus, non constituit Rempublicam, sed praefecturam, quia aliis subiectum evadit. Ex eodem principio procedit etiam, non Reipublicae, sed municipii nomine vocari debere multitudinem sub communi quidem imperante sociatam, sed regno tamen, vel Reipublicae maiori subiectam. Ideoque municipia Romanorum, cum a Romana Republica dependerent, ac consequenter minime summa potestate fruerentur, Respublicae ac civitates haud dici poterant. <sup>3</sup>

II.

<sup>1</sup> Cap. VI. §. 6.

<sup>2</sup> Qui sane est status libertatis et aequalitatis. *Vide cap. 1. §. 4.*

<sup>3</sup> Multo minus Coloniae, civitates, Respublicas constituebant sub



II. Itaque in omni civitate vel Republica adesse imperium summum sine ulla dubitatione necesse est. Verumtamen cum imperium istud nec consistere, nec se exserere, ac functiones suas exercere ullo modo queat, nisi cives voluntates suas, vel uni, vel pluribus, vel universi populi suffragiis <sup>1</sup> submiserint, uti capite superiore visum fuit; inde venit, ut quibus voluntates suas subiecerunt cives, <sup>ii</sup> et imperio illo summo gaudeant, et a nemine, praeterquam a Deo iudicari, multoque minus a populo supplicio aliisque poenis affici possint. Ingens enim esset perturbandae Reipublicae bellisque civilibus materia, si subditi ius retinerent iudicandi actiones summi imperantis. Ideo pestilentissimum illud dogma putandum est, quod populus sit ipso Rege vel Principe superior omnino, ita ut apud illum realis, apud hunc personalis tantum maiestas reperiatur.

Haec doctrina sane promulgata fuit ac defensa a variis auctoribus transacto saeculo, <sup>2</sup> qui ab illo falso principio in transversum acti fuerunt, quod nimirum constituentem semper constituto superiorem esse existimant. Cui nihil aliud reponimus, nisi quod, si id verum esset, consequi deberet, servum se in

Tt 2. ser-

sub Romanis. Cum ipsae vinculo arctiori municipiorum, Romanae urbi colligarentur ac pertinerent. Hinc Cic. *de leg. agraria* vocat Colonias propugnacula imperii. *Vide Guliel. Budaei annot. in Pandect. P. 2. pag. 97.*

<sup>1</sup> Nam in hisce tribus solis, veluti ipsius fundamentis, imperium constitui potest: uti cap. super. fuit monstratum §. 16.

<sup>2</sup> Inter hos familiam ducit Franciscus Hotomanus, cuius asseclae fuerunt Iunius Brutus, Sydnei, Buchananus, Altusius, Miltonius, de quibus videndus est Francisc. Buddeus *Historia iuris naturalis et gentium* §. 52.

servitutem alicui dantem, maiorem ipsomet domino ac superiorem remanere: cuius asserti ridiculum, nemo non sentit.<sup>1</sup> Nam qui propriam voluntatem alterius voluntati submitit, ille suae voluntati veluti renunciavit. Cum ergo hoc faciat populus in societatem conveniens ac se summae potestati subiiciens, quomodo ipsiusmet summae potestatis se superiorem praetendere poterit?

III. Sed quia eatenus tantum voluntati summorum imperantium voluntates suas submitserunt cives, quatenus id exigat finis societatis civilis, vel Reipublicae, id est communis, ob quam potissimum in civitatem coaluerunt, securitas; non possumus non inde deducere, nefaria adulatione illos blandiri summis potestatibus, qui eis persuadent, licere quod libeat, nec civibus ab imperantibus fieri posse iniuriam, immo illorum vitam, existimationem, facultates, ipsamque conscientiam ita in Principum potestate esse, <sup>1</sup> ut illis in solo obsequio relicta sit gloria. Quae pernicio-sa doctrina a nostro Machiavello insinuata ac inventa, postea ab Hobbesio complexa, propugnata mordicus fuit saeculo eodem transacto in Britannia. <sup>2</sup> Haec statui multo plus forsitan calamitosa ac fatalia principia fuerunt, quam ipsorum Monarchomacorum dogmata. <sup>3</sup>

Ceterum quod civibus non liceat resistere summis imperantibus, usque dum tolerabiliter peccant, atque

<sup>1</sup> Tacitus etiam hanc male sanam sententiam tenuisse videtur, dum *Annal.* l. 6. cap. 8. scribit: *Principi summam Dii iudicium dederunt: subditis obsequii gloria relicta est.*

<sup>2</sup> Vide Bulemaquium *Principia iuris Polyt.* P. 3. cap. 1. §. 18.

<sup>3</sup> Vide Bossuetum in sua *Polyt. Sacra* P. 2. l. 8. art. 2.

in subditos non aperte male faciunt, clare omnibus patet. Nam uti Tacitus prudenter admonet: <sup>1</sup> *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, et cetera naturae mala; ita luxum vel avaritiam principum tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur.* Et revera si ad omne imperantis vitium fuisset permissum subditis, a sua obedientia subtrahere se, nullum imperium firmum, nulla societas permanens ac pacifica et tranquilla consistere posset. Id quod contra finem ipsius societatis ac imperii directe evaderet.

Quid si fuerit intolerabilis excessus tyrannidis? Quibusdam visum fuit (ait D. Thomas) <sup>2</sup> ut ad fortium virorum virtutem pertineat Tyrannum interire, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis. . . . Sed hoc Apostolicae doctrinae non congruit. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum et modestis verum etiam discolis dominis reverenter subditos esse. I. Petri 2. : *Haec est enim gratia si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens iniuste.* Vnde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice, magnaque multitudo tam nobilium quam populi esset ad fidem conversa: non resistendo, sed mortem patienter et armati sustinendo pro Christo laudantur, ut in sacra Thebaeorum legione manifeste apparet. . . . Esset autem hoc multitudini periculosum et eius Rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent praesidentium necem etiam Tyrannorum. Ple-

<sup>1</sup> *Histor. l. 4. cap. 74.*

<sup>2</sup> *Opusc. 20. de regimine principum lib. 1. cap. 6.*

»rumque enim huiusmodi periculis magis exponunt se  
 »mali quam boni. Malis autem solet esse grave do-  
 »minium non minus Regum, quam Tyrannorum....  
 »Magis igitur ex huius praesumptione immineret pe-  
 »riculum multitudini de amisione Regis, quam re-  
 »medium de subtractione Tyranni.« Quae D. Tho-  
 »mae sententia confirmata est decreto Concilii constan-  
 »tensis ses. XV. quo doctrina contraria declaratur er-  
 »ronea in fide et in moribus, et tanquam haeretica  
 »et scandalosa reprobatur et condemnatur. »Videtur  
 »autem magis (prosequitur D. Thomas) contra Tyran-  
 »norum saevitiam non privata praesumptione aliquo-  
 »rum, sed auctoritate publica procedendum.« (Recur-  
 »rendo videlicet ad superiorem, si illum Tyranni ha-  
 »beant in terris. Quod duplici modo contingere potest.)  
 »Primo quidem si ad ius multitudinis alicuius pertineat  
 »sibi providere de Rege, (ut in Regno Poloniae) non  
 »iniuste ab eadem Rex institutus potest destitui, vel  
 »refraenari eius potestas, si potestate regia tyrannice  
 »abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter  
 »agere Tyrannum destituens, etiamsi eidem in per-  
 »petuum se ante subiecerat: quia hoc ipse meruit in  
 »multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut  
 »exigit Regis officium, quod ei pactum à subditis  
 »non servetur. Sic Romani Tarquinium superbum,  
 »quem in regem susceperant, propter eius et filio-  
 »rum tyrannidem à regno eiecerunt, substituta mi-  
 »nori, scilicet consulari potestate.... Secundo si ad  
 »ius alicuius superioris pertineat multitudini provide-  
 »re de Rege, exspectandum est ab eo remedium con-  
 »tra Tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Iudaea  
 »pro

»pro Herode patre suo regnare iam coeperat, pater-  
 »nam malitiam imitantis, Iudaeis contra eum queri-  
 »moniam ad Caesarem Augustum deferentibus, primo  
 »quidem potestas diminuitur ablato sibi regio no-  
 »mine, et medietate regni sui inter duos fratres suos  
 »divisa; deinde cum nec sic à tyrannide compescere-  
 »tur, à Tiberio Caesare relegatus est in exilium apud  
 »Lugdunum Galliae civitatem. Quod si omnino con-  
 »tra Tyrannum auxilium humanum haberi non potest  
 (id est, si Tyrannus in terris superiorem non habeat)  
 »recurrendum est ad regem omnium Deum, qui est  
 »adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Eius e-  
 »nim potentiae subest ut cor Tyranni crudele con-  
 »vertat in mansuetudinem secundum Salomonis sen-  
 »tentiam Proverb. 21. *cor Regis in manu Domini: quo-*  
 »*cunque voluerit inclinabit illud.* Ipse enim regis As-  
 »sueri crudelitatem, qui Iudaeis mortem parabat, in  
 »mansuetudinem vertit. Ipse est qui ita Nabuchodo-  
 »nosor crudelem regem convertit, quod factus est di-  
 »vinae potentiae praedicator. . . Tyrannos vero, quos  
 »reputat conversione indignos, potest auferre de me-  
 »dio, vel ad infimum statum reducere, secundum  
 »illud sapientis Ecclesiastici 10., *sedem Ducum super-*  
 »*borum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.*  
 »Ipse est enim qui videns afflictionem populi sui in  
 »Aegypto, et audiens eorum clamorem, Pharaonem  
 »Tyrannum deiecit cum exercitu suo in mare. . . .  
 »Nec enim abbreviata manus ejus est, ut populum  
 »suum à Tyrannis liberare non possit: promittit enim  
 »populo suo per Esaiam 14. requiem se daturum a la-  
 »bore et concusione ac servitute dura, qua ante ser-  
 »vie-

»vierat. Et per Ezechielem 34. dicit, *liberabo meum*  
 »*gregem de ore eorum*, scilicet pastorum qui pascunt  
 »se ipsos. Sed ut hoc beneficium populus à Deo con-  
 »sequi mereatur debet à peccatis cessare; quia in ul-  
 »tionem peccati divina permissione impij accipiunt prin-  
 »cipatum, dicente Domino per Oseam 13., *dabo tibi*  
 »*regem in furore meo*. Et in Iob 34. dicitur quod *re-*  
 »*gnare facit hominum hypocritam propter peccata popu-*  
 »*li*. Tollenda est igitur culpa ut cesset a Tyranno-  
 »rum plaga.«<sup>1</sup> Hactenus D. Thomas.

Cum ergo summi imperantes a nemine praeterquam a Deo iudicari, multoque minus supplicio affici possunt a populo: merito desumimus sacrosanctum esse omne summum imperium, sacrosanctos et ipsos imperantes. Adeoque maximum crimen reputandum esse illud quod perduelles, rebelles, ac seditiosi subditi admittunt, dum in proprium Principem insurgunt ac machinantur.

At cum omnia promiscue non liceant principi, sed tantum, quae statui salutaria sunt; consequens est, ut ille nec vim inferre rectis civium conscientijs, nec quidquam iis imperare, quod voluntati Dei tanquam supremi legislatoris refragetur, vel quod legibus fundamentalibus et civitatis oppositum sit, nec iure suo aliquem, et sine ratione gravi privare possit, <sup>2</sup> cum cives potius horum omnium secure ac libe-

<sup>1</sup> Proverb. 16. *Cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem.*

<sup>2</sup> Scite sane Seneca omnes imperantes monet epist. 37. *Si vultis omnia subiicere, vos subiicite rationi. Multos regetis, si ratio vos regat.* Et in cons. ad Polib. *Illius tantum Principis magnitudo stabilis fundataque est, quam omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt.*

bere fruendorum causa, in societatem civilem venerint.

VI. Haec generatim de absolutis Imperantibus dicenda fuerunt. At contingere potest, ut alicui imperium tradatur certis limitibus ac pactis adstrictum, immo et addita lege commissoria, <sup>1</sup> id est ut ab imperio intelligatur ipso iure deiectus Princeps, si pactis illis non satisfaciatur. Tunc vero facile ex natura pactorum intelligitur, nullam iniuriam fieri imperantibus, ubi subinde moniti, civium libertatem opprimere, non intermittunt, <sup>2</sup> si illi ab imperio deponantur. Quemadmodum nec vitio verti potest subditis, si eos, qui imperium sine iusto titulo sibi arrogarunt, et cum quibus nondum transegerunt, de pactive sunt, imperare prohibeant. Etenim nisi subditi cum imperante conveniant expresse vel tacite de sua dominatione amplectenda, ille verus Princeps non est, cui ipsi debeant obedientiam ac submissionem. <sup>3</sup> Nam nemo, uti optime Tacitus advertit, <sup>4</sup> *Imperium flagitio quaesitum optimis artibus exercuit.*

VII. Quandoquidem ergo omne imperium regulare sit summum et independens, atque ad Reipublicae securitatem conficiendam comparatum; sequi decet, ut cum illo iuncta sint omnia iura, sine quibus idem finis societatis civilis, nempe securitas, obtineri nequiret, quaeque in unum considerata, maiestas, vel maiestatis iura vocantur. Cum vero duplex illa se-

Vv

cu-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 10.

<sup>2</sup> Atque ad meliorem frugem et ad pacta non redeunt.

<sup>3</sup> Vide Grotium *De iur. bell.* l. 1. cap. 3. §. 16.

<sup>4</sup> *Histor.* l. 1. cap. 30.

curitas ac praeservatio appareat, interna scilicet, qua cives a concivibus securi praestantur, et externa, qua ab hostium vi atque armis defenditur Republica; facile desumitur, duorum esse generum etiam iura maiestatis, quorum alia, quae ratione civium imperanti competunt, quaeque ad eorum praeservationem tutelamque diriguntur, immanentia: nam semper haec extare ac consistere in statu oportet, quippe quia eorum functionibus semper civilis societas indiget; alia quae erga externos exercentur, quorum functionibus assidue minime opus est, transeuntia appellantur. <sup>1</sup>

Ex hisce potest desumi, quam male hallucinati sint auctores illi, <sup>2</sup> qui confunderunt ius maiestatis cum iure feudali. Nam ius feudale semper dependens est a domino directo ac supremo feudi; e contra ius regale independentem a quocumque exercetur. Praeterea ius feudale domini directi omnino est dissimile a iure maiestatis, quod unicum est ac indivisum: e contra illud divisum est cum domino utili, eique communicatum.

VIII. Quisque percipit civitatis securitatem internam in eo consistere, ut cives a civium iniuriis violentiisque praeserventur: hoc autem assequi nequit absque ordinationibus ac legibus: <sup>3</sup> ideoque necesse est ut summo imperio pertineat ius leges ferendi, easdemque

<sup>1</sup> Vide Heineccium *Elem. iur. nat.* l. 2. §. 135. et Wolf. *Instit. iur. nat.* P. 3. §. 1042.

<sup>2</sup> Vide Thomas. in suis *Notis ad Huberum de iure civit.* l. 1. 3. 6. qui hos confutat valide ac erudite.

<sup>3</sup> Hinc Aristot. *Etb.* l. 10. cap. ult. vocat Principem legem animatam.



que ad facta applicandi: id quod suprema iurisdictio vocatur. At cum ius leges ferendi inutile prorsus evaderet, et supervacaneum imperanti, si ipse iure deficeret, potestateque cogendi subditos ad eas exsequendas, infligendo poenas in ipsarum infractores; ideo et ius hoc coactionis ac poenae, ut imperans teneat, opus est. <sup>1</sup>

Praeterea absque tributis <sup>2</sup> ac vectigalibus haud possibile est, ut Princeps ad subditorum salutem invigilare, et necessitatibus Reipublicae supplere queat: quamobrem ipse Princeps quoque debet habere ius, tributa ac vectigalia a subditis pro Reipublicae necessitatibus exigendi. Denique cum non omnia ipse per se summus imperans agere possit, quae ad praeservationem Reipublicae spectant; inde venit, ut ministris atque officialibus, qui suas vices gerant, uti debeat. Quare non est dubium, quin Principi ius etiam hoc competat, scilicet ministros huiusmodi, magistratus, officiales constituendi: ita ut aut ipse per se, aut per ministros, omnia quae ad salutem civitatis pertinent, nimirum iudicia, provisiones, tributa, aedificia, annonam, merces, commercium, agriculturam curet, prospiciat atque exsequatur. <sup>3</sup>

VIII. At interna securitas ad conservationem tutelamque Reipublicae non sufficit. Illi insuper opus est etiam externa securitate, nempe ea, qua a vi et armis hostium civitas defenditur et praemunitur. Qua-

Vv 2

pro-

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Metum vero si quis sustulisset, omnis Reipublicae securitas sublata foret.* Tusc. l. 4. cap. 20.

<sup>2</sup> Tacit. *Histor. 4. Quies ac stipendia sine tributis haberi nequeunt.*

<sup>3</sup> Vide Wolf. ubi supra.

propter consecrari oportet, ut a summo imperio se-  
iungi nequeat ius belli gerendi, <sup>1</sup> id est excitandi sub-  
ditos ad arma accipienda, eosque in hostes ducendi,  
atque ea parandi ac disponendi omnia, quae ad ta-  
lem necessarium finem obtinendum conferunt: sicu-  
ti et ius pacem faciendi, quando aequis conditio-  
nibus proponitur, et foedera percutiendi, et lega-  
tos mittendi, quippe sine quibus fieri non posset,  
ut civitas subsisteret, ac salva duraret. Nisi enim im-  
perans foedera pangendi ius haberet, impar saepe de-  
pressaque esset Respublica impotentior, comparata po-  
tentiori. Si legatos mittendi facultas Principi denega-  
retur, foedera pacisci, pacem tractare, ac conclude-  
re Respublica minime posset. Si tandem belli pacisque  
ius deficeret Reipublicae, nullum ei esset medium vim  
vi repellendi, ideoque nec finem publicae securitatis  
salutisque consequendi: propter quem tantum civitas  
ac summa potestas fuit constituta.

X. Haec iura maiestatis cum summi imperii es-  
sentiam forment atque componant; clare patet, quod  
ab illo haec nequeunt divelli, <sup>2</sup> ut non statim uni-  
tas voluntatis tollatur, et nascatur Respublica in Re-  
publica, atque summum imperium corruat. Verum,  
uti supra insinuatum fuit, accidit aliquando, misce-  
ri vel omnes, vel plures Rerumpublicarum formas ad  
hoc, quod una alteram veluti in officio contineat: et  
tunc

<sup>1</sup> Tacit. l. 4. Hist. *Nec quies gentium, sine armis.*

<sup>2</sup> Adeoque Respublica si Monarchica sit, haec iura in Principe  
consistere debent: si Aristocratica, in Senatu; si vero Popularis, in  
Populo, vel in electis a toto Populo cum illiusmet dependentia: si  
vero status sit mixtus, omnibus illius, qui talem statum componunt  
membris vel partibus, iura eiusmodi pertinebunt.

tunc vel omnia, vel pleraque maiestatis iura non ab una persona unoque collegio, sed communiter vel a Principe et Populo, vel a pluribus cum Populo aut Principe unanimiter exercentur. Adeoque hoc casu opus est comitiis, in quibus summum imperium resideat, de cuius ordinatione ac sententia postea Princeps, vel Optimates, vel Magistratus haec iura exercere debent.

Florentissimum Britanniae Regnum, sicuti iam supra tetigimus, huiusce imperii formae exemplum esse potest: in quo salvis Regi praerogativis circa bellum et pacem, nec leges novae feruntur, nec tributa vel onera nova indicuntur, nec subditorum iudicia fiunt, nec alia, quae ad totius Regni decus ac salutem pertinent, statuuntur, nisi in comitiis Regni, quae Parlamenta vocantur. Haec tamen Parlamenta ex respectivis corporibus, quibus consistunt, inter se se compescuntur, atque fraenantur ad invicem.<sup>1</sup> Ita etiam in Germania nihil quod ad universum imperium spectat, nisi de communi Imperatoris, Electorum, Principum, ac Ordinum sententia decernitur. Idemque fere in Polonia et in Suecia observatur. Salvis tamen semper Augusto Imperatori Regibusque potentissimis, praerogativis, quae in Germania, reservata dicuntur.

XI. Sed quia et forma Reipublicae initio totius Populi consensu constituta, et ipsae personae imperantes ab eodem Populo electae, eisque certae leges fun-

<sup>1</sup> Vide Montesquium in *Spir. leg.* l. XI. cap. VI. qui sane mira profunditate ac elegantia, huiusce imperii compositionem describit ac explicat.

fundamentales praescriptae sunt; <sup>1</sup> facile patet, neminem acquirere sibi imperium posse in Republica, nisi volente populo, et secundum fundamentales Reipublicae leges, quae ipsimet populo statuendae ab initio placuerunt. Secundum has vero leges, aut electitia sunt imperia, aut successiva: eaque divisio non modo ad Monarchias, sed ad Aristocracias, et quodammodo ad Democratias etiam pertinet. Nam quando intra paucas familias, ita veluti conclusum est imperium, ut illis solis, qui ex eis prognati sunt, iure sanguinis competat ius in Senatu dicendae sententiae, Aristocratia illa proculdubio est successiva. Quales Aristocracias hodie fere Venetiis, Ianuae, Norimbergae florere observat Hertius. <sup>2</sup> E si contra optimates vel a populo cum plena potestate eligantur, vel ab ipso collegio cooptentur in vita, vel ad tempus, electitia erit Aristocratia. Cuius regiminis speciem Helveticae civitates referunt, ac Belgicae Provinciae confederatae. Sicuti etiam si in Democratia non aliis ius suffragii daretur, quam civibus originariis, illa quodammodo successiva esset: sint et adscititiis, electitiae similis videretur. <sup>3</sup> Quam formam Reipublicae antiqui Romani propemodum habuerunt: utpote primam in principio Athenienses tenuisse videntur.

XII. Imperium igitur illud electitium dicitur, quando Populus, incidente interregno, sibi imperantem creat delegitque, atque in eum consentientem con-

<sup>1</sup> Ut sunt leges de successione, de electione, de Magistratibus, de interregno, quorum aliquae etiam in imperio absoluto firmari, ac praecipui solent.

<sup>2</sup> *Elem. Politicae* l. 1. cap. 16.

<sup>3</sup> Vide Huber. *De iure civit.* l. VIII. cap. 1.

confert imperium. Cum ergo Populus ius hoc eligendi, originarie habeat, illud vel per se exercere, vel aliis personis ad tempus vel in perpetuum dare poterit. Atque adeo is, qui ab illis, quibus ius est eligendi, pluribus suffragiis eligitur, pro legitimo imperante erit habendus: dummodo oblatum sibi imperium accipiat, atque capax sit, iuxta leges fundamentales, gubernandi Rempublicam: quin et ipsa electio eo ritu ac ordine facta sit, ut mores civitatis institutaque volunt. Quare illi minime Principes legitimi erunt reputandi, qui per seditioem, a turba vel ab exercitu, cui ius non est eligendi, ad imperium sunt evecti: id quod contulit ad ultimum Reipublicae Romanae excidium. Ideoque multum refert Reipublicae, in qua electivum est imperium, personas eligentes eligendasque, et ipsum modum formamque eligendi certis legibus definire ac praescribere, ut omnia in tam summo et gravi negotio, rite ac pacifice fiant. <sup>1</sup>

XIII. Ex hac imperii electitii descriptione apparet, toties interregnum in huiusmodi imperio accidere, id est statum civitatis supremo imperante destitutae, quoties summus imperans, vel moritur, vel ipse se se ab imperio subtrahit, vel a populo deponitur: nisi Populus, vivo ac volente imperante, alium delegerit, illi successurum. Quo in casu designatus ille successor nihil iuris habere potest, vivo imperante, nisi quantum de illius voluntate ei detulerit Populus, vel quantum ipse imperans ei delegare velit de Populi consen-

<sup>1</sup> Vide Grotium *De iur. bell.* l. 2, cap. 7. §. 12.

sensu, ab aliqua iusta causa impeditus, quominus ipse Reipublicae praeesse possit. <sup>1</sup>

Quare animadvertendum est, multam differentiam intercedere inter imperii alicuius abrogationem, et successoris designationem. Nam primo casu imperans ab imperio cessat et substitutus succedit; non autem casu secundo, quo nisi voluntarie, imperans ab imperio subtrahat se, vel correptus sit morte, designatus in imperium venire nequit. Hinc videmus Regibus Romanorum, quos vivo Imperatore eligere solent Germani Electores, nihil potestatis re ipsa concedi, nisi Imperatores absentes iis aliquam deferant iurisdictionem, uti Carolum V. fecisse cum Ferdinando fratre revera patet. <sup>2</sup>

XIII. Interregnum ergo cum sit status civitatis a summo imperante ordinario destitutus; nec tamen Populus tunc cessare velit Rempublicam, dum de novo Principe eligendo conveniat, posteaquam adhuc durat primordiale societatis pactum ac viget; inde consequi debet, ut interea Reipublicae praesint magistratus extraordinarii, vel in antecessum electi, vel emergente interregno ordinum suffragiis designandi, quorum iurisdicatio ac potestas novo electo imperante deficere oportet. Hi enim vicem imperantium ad tempus exercent. Vnde mirum videtur, quosdam viros doctos in dubium revocare, an tempore interregni vera Respublica ac civitas existat. Puffendorfius quoque unus horum male philosophantium est, qui ita ex-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 7. cap. 5. §. 2.

<sup>2</sup> Vide Sleidan. in *Comm.* l. 7. pag. 233.

primit se : <sup>1</sup> Quia a posteriore pacto Regem inter et cives inito interna civitatis perfectio, et summum imperium provenit; inde, subiecto proprio imperii sublato, ad imperfectam formam regnum delabi oportet, sic ut primigenio tantum pacto cohaereat... Itaque interregni tempore regnum, recte cum Livio, vocari potest civitas sine imperio, et quasi exercitus sine Duce. <sup>2</sup>

Nihilominus, pace tanti viri, cum interregni tempore vel aliquis, vel plures communi ordinum suffragio eligantur, (nisi in antecessum sit designatus Interrex) qui ad tempus cum potestate regant Rempublicam, eaque administrent expediantque, quae moram non admittunt; vix ratio excogitari potest, cur non perfecta dici debeat haec, licet temporaria Reipublicae constitutio, tantum si uni, vel duobus, vel pluribus ipsiusmet Reipublicae cura demandetur. Nam ad civitatis perfectionem conformandam nihil refert, an regiminis forma, vel summus imperans ad tempus, vel in perpetuum sit constitutus. <sup>2</sup>

Verum quidem est, quod ad confusionem evitandam, turbas, factiones, erit optime consultum, si in antecessum, ac uti per legem fundamentalem, Magistratus vel Interrex, qui a tempore mortis imperantis, usque ad novam electionem gubernet civitatem, statuatur. Vti in Regno Poloniae consuescitur, atque in Imperii constitutione disponitur.

XV. Imperium successivum illud dicitur, quando

Xx

Po-

<sup>1</sup> De iure natur. et gent. l. VII. cap. 7. §. 7. Vide Hertium etiam Elem. prud. civil. l. 1. 12. 14.

<sup>2</sup> Livius l. 1. cap. 17.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. VIII. cap. 6. §. 15.

Populi decreto electa est familia aliqua regnatricis, ut ex ea semper persona quaedam imperio praeficiatur, usque dum quisque superest, qui per leges praeesse queat. Hoc ergo imperio a Populo delecto, vel certum succedendi modum ipsi populo definire placuit, vel nihil ea de re decrevit. Posteriore casu praesumitur, eum ius commune de successione ab intestato probasse. <sup>1</sup> Quia tamen minime tantae prudentiae ac capacitatis praesumptio cadit in foeminas, quanta in masculos; hinc sane foeminas non nisi in subsidium et deficientibus masculis esse admittendas, ratio suadet, nisi aliter expresse statutum fuerit. Deinde cum et unitas voluntatis sit veluti vita ac anima Reipublicae, ea vero nequit sperari, si duo, pluresve regnum Monarchicum, vel pro indiviso administrent, vel inter se partiantur; rationi congruum est, ut ex pluribus, aequae Regi ultimo propinquis, primogenitus, vel primogenita deficientibus masculis, praerogativam ac praelationem habeat: deinceps ordinis, graduumque propinquitatis servetur, iuxta legum communium praescriptum.

XVI. Vbi vero Populus de ordine successionis disposuit; evidens est, quod ipsiusmet Populi voluntati stare oportet. Hinc sive Francicam successionem, quae excludit foeminas, sive Castellaneam, quae easdem in subsidium admittit, complectatur, sive lineae, sive gradus habere malit rationem, sive etiam extraordinarium ac insolitum succedendi modum lege particulari seligat, rata erit Populi voluntas,  
et

<sup>1</sup> Et quod in Regione consuescitur.



et sacrosancta habebitur lex illa fundamentalis ac publica.

Minime est dubium tamen, uti sapienter Puffendorfius advertit, <sup>1</sup> quin maxime regularis sit linealis modus, nimirum ut patri succedat primogenitus, eiusque posterus primogeniti, quoad aliquis ex illa linea supersit: hinc extincta linea regnatrice, ut admittatur ex proxima primogenitus, et sic porro consequenter, quamdiu aliquis ex primi acquirentis posteris superstes existit.

Idem Puffendorfius <sup>2</sup> eodem loco quaestionem proponit, utrum is, qui primus liberorum, sed antequam pater regnaret, natus est, ab illo excludi debeat, qui secundus genitus est, sed postquam Regnum pater consecutus fuit, primus natus. <sup>3</sup> Quo in casu cum iam supponatur, quod ordinis natalium habeatur ratio, nulla causa est, quae suadeat, ut ultimus primo praeferatur, qui primogeniturae beneficio liquido gaudet.

Ceterum patens est, Populum imperanti quoque facultatem dare posse, successorem, quem velit sibi, designandi. Sicuti clare apparet etiam, quod si lites circa succedendi ordinem inter praetendentes varios emergeant, eas decidere ac terminare Populo pertinet. Nam rationi consonum est, illum, qui legem

XX 2

fe-

<sup>1</sup> *De iure nat. et gent.* l. VII. cap. 7. 14.

<sup>2</sup> Vbi supra §. 15.

<sup>3</sup> Hac quidem innixus ratione, Zisimus filius Mahometi II. praetendebat praelationem in successione imperii Turcarum, a Baiazeto fratre, quamvis ipse revera fuisset primogenitus, sed natus antequam Mahometus pater fuisset Imperator. E contra ille primus genitus fuisset in patris imperio. At in nihilo hic titulus ipsi adiuvavit, cum Baiazetus successerit. *Vide Chalcondilam Hist. l. 12. num. 2.*

fecit, ipsam legem interpretari ac exponere: quamquam vix unquam Populus ad huiusmodi iudicia venire soleat, cum a praetendentibus potius res armis, quam verbis ac civilibus contentionibus agatur, uti optime advertit Heineccius. <sup>1</sup>

XVII. Ex adhuc dictis colligere licet, quod per electionem tantum persona electa: ex iure successionis, tota familia regnatrice ius regnandi consequitur. Atque adeo prius ius cum persona expirat, posterius tandiu durat, quamdiu familia regnatrice subsistit. Ideo extincta persona electa, interregnum ordinarium, extincta familia regnatrice, extraordinarium succedere dicitur. Tale profecto incidit Francis mortuo Lothario ac Ludovico, Carolingiae stirpis postremis Regibus. Hinc, teste Glabro Rudulfo, <sup>2</sup> coaliti totius Regni Primates Hugonem Ducem Parisiensem in Regem elegerunt, eumque ungi fecerunt. Russi etiam huiusce electionis exemplum dederunt, extincta prole Ioannis Basilidis, novam domum ad tantum fastigium, nempe illam Michaelis Theodori Patriarchae filii subrogando.

Ordinarium vero interregnum accidit Polonis, mortuo eorum Rege. Cuius rei exemplum proxime transactus annus praebuit, morte delecto Rege Fridrico Augusto III. Electore Saxoniae, eique substituto Sebastiano Poniatuski, qui nunc feliciter regnat. Ceterum ordinario vel extraordinario interregno succedente, semper Populo ius eligendi venit: at hoc quidem discrimine, quod casu priore eligi solet persona

Re-

<sup>1</sup> Vbi supra.

<sup>2</sup> *Histor.* l. 2.

Regnatricis iisdem legibus ac conditionibus, quibus praecessor regnavit: cum nimis Reipublicae grave esset, quotiescumque interregnum eveniret per mortem personae imperantis, statum civitatis alterare ac convertere velle. Verumtamen si civitatis bonum mutationem exigat, non est dubium, quin ius huiusce mutationis faciendae, etiam hac in electione Populo competat. Posteriore vero deligitur familia, et atque in arbitrio Populi est, conferre hoc decus, quibus vult legibus, imperiumque extendere vel circumscribere imperantibus, extra limites praecessori familiae praescriptos.

XVIII. Tales profecto modi sunt constituendi imperia quoties populus imperantem creat. At non raro vi et armis aliquis sibi viam munit ad imperium. Quo in casu Populus devictus, licet coactus non raro in novum illud imperium consentit, eique subicit se. Et tunc sive victor, se eadem lege imperaturum, qua antea Principes naturales usi sunt, promittat, sive novas sibi ac successoribus condiciones et plus auctoritatis stipuletur, sive quaedam a superioribus imperantibus usurpata condonet reiiciatque, id Populo illi, ac suis posteris sacrum esse debet, atque obligatorium, uti et imperanti ipsi victori. Inde recte Grotius inquit: *Imperium posse victori acquiri, vel tantum ut est in Rege, vel alio imperante, et tunc in eius tantum ius succedit, non ultra.*

At minime haec recte subiungit . . . *vel etiam ut in populo est, quo victor imperium habet ita, ut et aliena-*

1 Et consequenter longe rarius interregnum succedere solet.

2 *De iure bell.* l. 3. cap. 8. §. 1.

*nare possit, sicuti et Populus poterat.* Nam aut status belli adhuc durat, et tunc alienatio erit incerta violentaque, eo modo, quo Populus statim ac poterit, iugum dimittere, atque in libertatem se vindicare volet, nisi voluntarie dominationi acquiritoris consensum postea praebere malit; vel non amplius status belli durat, ita ut Populus iam in imperio victoris consenserit, suamque dominationem admiserit, et tunc vel hanc facultatem, ipsius imperium alienandi, adstipulatus fuerit, vel expresse in transactione prohibuit, vel de ea nihil fuit dictum. Et primo casu, quisque videt, alienationem esse validam iustamque, ac de voluntate Populi factam. <sup>1</sup> Non autem duobus posterioribus suppositis, in quibus violenta ac iniusta alienatio prorsus fuerit, nisi ex postfacto Populus ille expresse, aut saltem tacite per signa patentia eam approbaverit.

Ab hac theoria, ut mihi videtur, rationi omnino consentanea, clare desumi potest, omnia hoc in proposito ad consensum expressum vel tacitum populi devenire. Et revera hisce principiis nixi populi Burgognones, cum a Francisco I. per tractatum Madriti habitum, Burgundia cessa fuerit Carolo V. Imperatori, huic tractatui renuerunt, et constanter recu-

sa-

<sup>1</sup> Quod tamen dicendum est, si hoc conventum fuerit in casum praesentem, et intuitu certae personae ac modo peculiari, non vero si in genere, perpetuo et in futuro tempore fuisset hoc adstipulatum. Tunc enim nisi stipulatio fuerit certis conditionibus legibusque valata ac concepta, quibus secure salus Populi, statusque tutela praeservata evadat, inutilis prorsus erit, neque obligatoria. Nam sicuti nullus privatus ius tenet, aliquid paciscendi ad propriam perditionem; ita multo minus ius hoc competere poterit totae alicuius Populi universitati.

sarunt huiusce Principis dominationem, <sup>1</sup> atque eorum oppositio iusta ac rationabilis recognita fuit: <sup>2</sup> quia nec expresse nec tacite consenserant.

XVIII. Quare concludere oportet, quod omnes modi acquirendi imperium, a Populi consensu, sive ultroneo, sive vi extorto, at postea voluntarie tradito ac confirmato expresse vel tacite, pendent. Unde colligi potest, quam parum congrua ac rationabilis sit distinctio ab eodem Grotio excogitata ac inventa, <sup>3</sup> aliisque viris doctis male approbata, inter imperia patrimonialia ac usufructuaria. Patrimonialia enim existimat illustris ille auctor, ita esse in imperio ac dominio Principis, ut inter vivos, ac mortis causa libere ab eo possint alienari. <sup>4</sup> Usufructuaria vero sic esse comparata statuit, ut illa alienandi facultas adempta sit imperantibus: quae a Thomasio, fideicommissaria vocantur, non satis sane accurato modo loquendi. <sup>5</sup> Nam statim ac res in patrimonium alicuius venit, non amplius est res communis, nec publica, uti Respublica concipitur: inde facile patet Regnum desinere esse Rempublicam, et in familiam de-

<sup>1</sup> Vide Guiciardinum *Histor.* l. 17. Vide etiam Stephanum Paschasium in suis *Epistolis* l. 6. *Epist.* 2. Qui pro civitate Encolismensium, hac eadem de causa, scilicet ne ipsa traderetur Principi Montpensiero, in Parisiensi curia peroravit.

<sup>2</sup> Vide Vattel *Ius gent.* l. 1. cap. 5. §. 68.

<sup>3</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 6. §. 3.

<sup>4</sup> Vide etiam Puffendorf. l. 7. cap. 6. §. 16. qui hanc falsam sententiam amplectitur: in aliqua parte a nobis rectificatus. Vide meum Puffendorf. *eodem loco nota* 3.

<sup>5</sup> *Iurisprud. divin.* l. 3. cap. 6. 135. Hic enim modus possidendi a dispositione testamentaria pendet, quae minime principatui convenit ac applicari potest.

degenerare propemodum, si sit in unius patrimonio. Praeterea cum omnes civitates non imperantis, sed securitatis communis causa sint constitutae; clarum fit ex hac quoque ratione regnum non posse esse patrimoniale, ut non statim desinat esse Republica. Ideoque si consensu Populi alienatio regni approbetur, valida erit; sin minus, inutilis atque violenta.

Grotius multa exempla harum alienationum laboriose colligit. Sed haec probant abusum, non ius. Quid sane facere poterant habitantes Bitiniae, Pergami, Cyrennae, quando ab eorum Regibus per testamentum sub Romanorum dominatione traditi ac constituti fuerunt? nihil aliud quam se subiicere voluntarie tam potenti ac terribili legatario. Ut exemplum quoddam ad hoc probandum inserviret, opus fuisset allegare illud populi alicuius renuentis dispositionem huiusmodi sui Principis, atque hac de causa ab universo damnati pervicacia ac rebellione. Si E. G. tunc cum Petrus I. Russiae Imperator constituit, de Populi consensu, ut uxor sua Catharina in Imperio sibi suc-

Itaque vere contradictionem involvit regnum patrimoniale: quia regnum species reipublicae; regnum vero patrimoniale res privata est. At praeterea plerumque in circulum abit illa tot virorum doctissimorum suffragio probata doctrina de regnis *patrimonialibus* et *usufructuariis*. Si enim quaeras an Princeps quidam gaudeat facultate alienandi imperium, nec ne? respondent multum interesse, sive regnum *patrimoniale*, an *usufructuarium*. At si porro interes, rogesque, quid sit regnum *patrimoniale*, quid *usufructuarium*? per illud se intelligere, quod alienari possit, per hoc, quod non possit, respondent. Criterium vero certum, unde constet, quaenam regna in patrimonio sint, quae non sint, adhuc desideramus. Nam et despotica, et bello acquisita, inalienabilia esse, nihil vetat, ceu recte observat Huberus *de iure civitatis* 1. 3. 2. 18. (Heinec. *Iur. nat. et gent. lib. 2. §. 148.*)

succederet, voluisset Imperium subiicere, atque relinquere Turcarum Imperatori, quis potest credere, Russos hoc ferre pacifice potuisse?

XX. Itaque concludamus, ullum imperantem nequire Regnum vendere, vel donare, permutare, dividere, testamento alicui legare, vel aliis modis alteri tradere, quibus inter vivos, vel mortis causa homines de patrimonio suo disponere, ac in alios dominium transferre solent; nisi vel consentiat Populus, vel ipse facultatem eam de regno disponendi, vel successorem creandi, sub certa lege, ac conditione in Regem vel Principem contulerit. Neque exempla, denovo repeto, accumulata a Grotio, Puffendorffio, ac aliis contrariae sententiae propugnatoribus, quidquam iuvant ad hanc facultatem, uti derivantem a iure belli, approbandam, Principique asserendam. Nam praeterquam quod non exemplis, sed rectae rationis principis harum alienationum iustitia est pensitanda, uti iam paulo ante diximus; recte <sup>1</sup> Heineccius cum verbis Baronis Gothofredi de Cocceis respondit, <sup>2</sup> quod vel effectum non habuerunt illae alienationes, vel cum consensu Populi sive tacito sive expresso factae fuerunt, vel etiam vis praevaluit, unde ad eas admitendas Populus fuit coactus, hostileque modo inductus.

Yy

CA-

<sup>1</sup> *Elem. Iuris nat. et gent.* l. 2. §. 149.

<sup>2</sup> *In Dissert. de testam. Princ.* part. 2. §. 17.

## CAPVT VIII.

DE IURIBVS MAIESTATIS IMMANENTIBVS,  
et de iusto eorum exercitio.

I. Superioribus praemissis in genere ad imperii essentiam explicandam necessariis, nunc huiusce imperii inseparabilia iura tam immanentia quam transeuntia, accuratiori modo, ut noster brevitatis methodus fert, describere oportet. Sine iuribus enim immanentibus, iam supra diximus, quod nec cives a civibus secure praestari, nec commodam vitam consequi possent. Cum ergo securitas haec in eo consistat, ut nemo ab altero cive laedatur, suumque cuique tribuatur, quod iure perfecto potest exigi; consequens est, ut ea praecipue posita sit in iustitia externa, per quam intelligimus conformationem actionum cum lege: <sup>1</sup> adeoque non male ratiocinantur ii, qui hac consideratione civitates quoque iustitiae fruendae causa constitutas esse, sustinent. Inde Aristoteles <sup>2</sup> optime animadvertit, quod de Republica illa actum est, a qua exsulat iustitia, cuius ope civitates tantum conservantur ac durant.

Nam quamvis evidens sit multo praestantior esse iustitiam internam, Reipublicaeque salubriorem atque proficuum, quae in constante neminem laedendi voluntate, suumque cuique tribuendi consistit; <sup>3</sup>

ni-

<sup>1</sup> Vide Puffendorf. *Ius nat. et gent.* l. i. cap. 7. §. 7.

<sup>2</sup> *Polytic.* V. 2.

<sup>3</sup> Ita quidem Romani Iurisconsulti definiebant iustitiam: *Constanti,*



nihilominus cum ea in tot hominibus, quibus civitas componitur, tam variis moribus, atque inclinationibus optanda magis, quam speranda, consequendaque sit; nullum ullum aliud remanet medium, quam illud, quo homines legibus civilibus ita contineantur, <sup>1</sup> ut eorum actiones externae saltem ad legum normam conformentur, unde nec ab illis aliquid contra ius et aequum fiat, nec alteri denegetur quidquam, quod iure perfecto reposci ac praetendi ab ipsis potest; quamquam profecto nihil negligere imperantes debeant eorum etiam, quae ad internam iustitiam suorum civium accurata institutione promovendam atque excitandam, pertinent.

II. Cum ergo iustitia externa ad internam civium securitatem comparata, in conformatione externarum actionum cum lege consistat; consequi par est, ut ad officium summorum imperantium spectet, bonis legibus instruere Rempublicam: adeoque illis debet competere ius vel potestas leges ferendi, earundem suscipiendi custodiam, quin et eas attemperandi fini, formae, utilitatique Reipublicae, atque inde aliquid iis adiungendi demendive, immo et eas in partem, vel etiam in totum abrogandi, prout Reipublicae bonum exigere videtur. Id quod a Romanis Iurisconsultis appellatur rogare, abrogare, subrogare. <sup>3</sup> Nam in eo

Yy 2

po-

*nam, et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi. Vide Instit. l. 1. T. 1. In nihilo ad iustitiam externam, sive actionum, ut eam vocat Puffendorfius, reflectendo. Vide Puffendorf. l. 1. cap. 7. §. 7. qui eosdem hac de causa, uti decet, reprehendit, et censurat.*

<sup>1</sup> *Tolle legem, iam vaga prosiliet fraenis natura remotis. Hor. l. 2. sat. 7.*

<sup>2</sup> *Vlpian. frag. 1.*

positum est iuris naturalis, et civilis discrimen, quod illud ad actiones naturae bonas, vel malas tantum, internas vel externas: hoc ad indifferentes etiam externas, quatenus saluti populi cuiusque temperandae sunt, pertinet. A quo praecipue venit, ut omnium gentium leges tam varie distinguantur, posteaquam quisque Princeps eas ad propriam Rempublicam conformare debet. <sup>1</sup> Ideo supervacanea prorsus est quaestio ab aliquibus agitata, quatenam scilicet sint optimae civiles leges? Siquidem illae optimae leges putandae sunt cuiuscumque populi, quae suae saluti atque securitati conferunt, quamvis alteri populo parum commodae ac proficuae essent futurae. <sup>2</sup>

III. Praeterea cum unica voluntas, unicus intellectus omnium in Republica esse debeat, uti iam supra monstratum fuit, <sup>3</sup> hoc vero nullo alio modo assequi potest, quam si omnes cives in intellectum voluntatemque unius imperantis conveniant: ita ut ad nutum illius actiones eorum componant ac dirigant; at subditi Principis voluntatem exsequi, atque obsecundare, eique proprias voluntates subicere nequeunt, nisi illius voluntatem recognoscant atque comperiant: ergo hanc imperans promulgare debet, tanquam profecto normam, iuxta quam subditi, omnes actiones suas etiam indifferentes <sup>4</sup> ordinent regantque. Norma vero haec, sive manifestatio imperantis

VO-

<sup>1</sup> Cic. de leg. I. 3. *Hinc ad salutem populi omnis tendere lex debet.*

<sup>2</sup> Tacit. Hist. I. 3. *Veruntamen hae nunquam contra leges naturae venire possunt. Nam unus est Regnator omnium Deus.*

<sup>3</sup> Cap. super.

<sup>4</sup> Quae tamen ad bonam harmoniam Reipublicae, atque ad civium concentum utilitatemque referuntur.

voluntatis, lex civilis vocatur. Itaque lex civilis definiiri potest, promulgatio voluntatis sive praeceptum summi imperantis de actionibus externis atque etiam indifferentibus subditorum, ad decus, utilitatemque civitatis componendis, sub comminatione poenae. 1 Vnde colligi licet, potestatem hanc legislativam se eo usque non extendere, ut leges divinas naturales vel revelatas, delere ac abrogare queat. 2

Verum enim vero ipsa necessitas impellit multoties imperantes, ad leges divinas naturales ac positivas repetendas, extendendas, interpretandas, atque ad eum, qui contra illas peccat, poena puniendum. Sed tunc res ipsa demonstrat, non ipsi imperanti debere has leges originem: quippe ille tantum, veluti ipsarum custos, dat operam modo, ut recta fiat earum interpretatio, et sancta ac inviolabilis sit earumdem auctoritas, ac exterior executio Reipublicae. 3 Et revera, quidquam legi divinae addi vel detrahi, Deus rigorose prohibuit Deuteronomio. 4 At hoc, iuxta

in-

1 Haec lex distinguitur ac explicatur in privatas, et publicas ordinationes. Privatae respiciunt hominum actiones proprie indifferentes, unde bene saepe nullam aliam poenam complectuntur, quam actus annulationem. Publicae vero, praeter nullitatem actus, etiam poenam comprehendunt. Vide §. 15.

2 Apud Sophoclem Antigone sic ad Cleontem loquitur v. 360.

*Non scriptas tutasque Deum*

*Leges, mortalis cum sis, abrogare haud valet.*

Adeoque furtum ac promiscuum mulierum concubitum, quamvis Laedemones in sua Republica legibus permetterent; nihilominus eo quia hae actiones a lege naturae interdicuntur, ut criminosae erunt reputandae ac dicendae.

3 Hinc venit, quod etiam praeceptis iuris naturae humana poena praescribi solet civilibus legibus, ut melius exsequantur.

4 III. 2.

interpretum mentem, intelligendum est de mutationibus legi contrariis, non iam de extensionibus legis ad casus dubios aut non expressos, vel de ipsiusmet interpretationibus, quae ad eiusmodi maiorem observantiam, <sup>1</sup> praesidium ac implementum conferunt. <sup>2</sup> Atque equidem ius civile omnium cultorum populorum novis ordinationibus ac poenis praecepta divina revelata ac naturalia inculcat ac fulcit.

III. Leges igitur civiles cum sint praecepta ac promulgationes voluntatis summi imperantis de civium actionibus externis, atque etiam indifferentibus ad decus utilitatemque Reipublicae attemperandis; et cum tale plerunque hominum ingenium sit, ut sola obligatione interna atque etiam externa naturali parum moveatur; quin leges civiles, utpote tantum directae ad actiones hominum externas aut indifferentes, ne quidem per se <sup>3</sup> possint proprie internam obligationem producere, sed in quantum a legibus naturalibus, ac divinis revelatis dependent ac sustententur: consequens est, ut omnes leges civiles sanctione quadam humana et externa poenali munitas esse oporteat; adeoque duae sint legis perfectae partes, praeceptum scilicet, ac sanctio poenalis.

Praemia vero aliquando etiam ab imperantibus le-

gi

<sup>1</sup> Vide Selden. *De uxore Hebraea* I. 1. cap. 2.

<sup>2</sup> Qua de causa Hobbesius vocat legem naturalem, legem non scriptam civilem. *De Cive* cap. 14.

<sup>3</sup> Vtrum leges civiles producant per se proprie obligationem internam, inutilis disputatio est, cum certo constet illam producere ex iure societatis et ex praecepto divino. *Qui potestati resistit* (ait D. Paulus ad Rom. 13.) *Dei ordinationi resistit. . . Ideo subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

gi parentibus proponuntur, ad homines in bonum, eo magis excitandos. Sed haec proprie non debentur, nisi casu quo aliquid non omnibus promiscue civibus praecipitur, unde quidam eorum excitentur ad aliquid publico bono extra ordinem faciendum. Verumtamen lateri necesse est cum Cumberlandio, <sup>1</sup> praemia ad maiorem efficaciam, executionemque promptiorem legis procurandam conferre, <sup>2</sup> quamvis eorum minime opus sit ad huiusmodi integritatem ac perfectionem. Nam praemia haud debentur iis, qui id faciunt, quod sine crimine omittere nequeunt. Frustra enim expectaret praemia, qui non occidit, adulterium non committit, non furatur, cum haec faciens poenam sane mereatur. Inde insignis Dei clementia elucet, quod cum suo iure uti, hominibusque legem suam transgressis poenam tantum minari potuisset; nihilominus legum executioni commoda, utilitatesque innumeras hac in vita adiicere, atque in altera aeternae duratura praemia eis obtemperantibus polliceri voluit. <sup>3</sup>

Ex adhuc dictis desumi etiam potest, quam inaccurate ab aliquibus, inter quos Heineccius quoque venit, <sup>4</sup> in definitione legis, comminationis poenae enunciatio praetereatur: posteaquam iidem ipsi, hanc legis esse integram praecipuamque partem, confiteri debeant.

V. Quoniam porro per poenam intelligimus effectum

<sup>1</sup> *De leg. nat.* cap. V. §. 40.

<sup>2</sup> Optime Quintilianus: *Animus deliberantis promovendus . . . . .*  
*reputata ex his, quae suadentur, utilitate.* Instit. orat. I. 3. cap. 8.

<sup>3</sup> Per leges revelatas.

<sup>4</sup> *Elem. iur. nat.* l. 2. §. 152.

ctum malum, actioni repugnanti legibus, a legislatore adiectum, uti supra iam fuit adnotatum; <sup>1</sup> et cum ille effectus malus consistere possit non modo in malo quodam passionis, quod vitam, sensum, existimationem, fortunasque hominis afficit, verum etiam in nullitate actus contra leges suscepti, immo et in utroque (qualem sane legem, nimirum, quae et actum contrarium irritum pronunciat, et transgressori legis malum aliquod passionis irrogat, solam perfectam <sup>2</sup> Iurisconsulti Romani appellabant, uti reliquas vel imperfectas, vel minus perfectas denominare solebant); <sup>3</sup> consequi oportet, ut aliae sanctiones sint actuum derogatoriae ac poenales, aliae poenales, aliae derogatoriae tantum.

Insuper cum factum illicitum aliud determinatum, aliud indeterminatum, et ob insignem circumstantiarum varietatem diversum ac inaequale esse queat; inde venit, quod poena vel definita est, vel indefinita ac arbitraria, <sup>4</sup> siquidem in voluntatem legislatoris posita. Prima vero species poenae sicuti praescripta apparet, adamussim exsequenda est: alia imminui atque augeri potest a iudice, iuxta circumstantiarum varietatem ac rationis dictamina.

VI. Verum inutiles prorsus essent leges, nisi appli-

<sup>1</sup> L. 1. cap. III. §. 6.

<sup>2</sup> Macrobius recte: *Inter leges quoque illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus poena sancitur, sed actio nulla redditur.* In somn. Scipi. l. 2. cap. 17. Talis erat lex Cincia concepta hac clausula, qui secus fecerit, improbe fecisse videtur. *Vide Ulpian. Frag. T. 1. §. 1.*

<sup>3</sup> Vide Puffendorf. *Ius nat.* l. 1. cap. 6. §. 14. nota ult.

<sup>4</sup> Cum agitur nimirum de actione, mutationibus alterationibusque circumstantiarum subiecta.

plicarentur factis, id est nisi inquiratur imputandum ne homini sit factum, nec ne, et nisi earum executione promoveatur, invigilando ne homines eas praeterireant negligentque. Quapropter necesse est, ut in Republica aliquis existat, penes quem sit quidem custodia legum, et quem penes sit cognitio de imputatione actionum. Cum vero haec custodia ac cognitio in nihil aliud consistat, quam in iudicio de aliorum actionibus, uti superiore libro iam vidimus; <sup>1</sup> clare liquet in Republica necessariam omnino esse potestatem iudicariam. <sup>2</sup> Et cum ius huius inquisitionis faciendae nulli alii competere possit in Republica, quam illi, qui et ius legis ferendae, ac poenae irrogandae habet, aliter enim tam poenae, quam legis ius superfluum evaderet; <sup>3</sup> inde sequi par est, ut summo imperanti haec iudiciaria potestas pertinere debeat, atque inter immanentia maiestatis iura referatur. <sup>4</sup>

Et revera in statu naturali, patremfamilias ius dicere potuisse familiae segregi, iam supra observavimus, <sup>5</sup> ad praeservationem ipsiusmet familiae, cum ille Principis vicem fungeretur: at in civitate id fieri non potest, nisi de Principis voluntate, legumque indulgentia. <sup>6</sup> Summis igitur imperantibus in Republi-

Zz

ca

<sup>1</sup> Cap. III.

<sup>2</sup> Ex hoc Aristoteles vocat imperantem, iustitiae ministrum. *Eth. l. 1. cap. ult.*

<sup>3</sup> Quia a subditis earum executionem reposcere nequireret. *Vide Puffendorf. ubi supra.*

<sup>4</sup> Vide Buddaei *Philos. pract. P. 2. cap. 4. §. 25.*

<sup>5</sup> Cap. V.

<sup>6</sup> Aliter leges ab alio, quam a Principe dependerent. Id quod status in statum produceret ad perditionem Reipublicae.

ca competit iudiciaria potestas, utpote indivisibilis a iure legum ferendarum; quae, non est dubiam tamen, quin ab ipso aliis delegari ad arbitrium queat. Nam quae per alios facit Princeps, per se ipsum facere videtur. <sup>1</sup>

VII. Ergo quemadmodum Iudicis est officium, leges ad facta applicare, et quandoquidem facta contra leges patrata, vel privatis, vel ipsi Reipublicae nocumentum inferunt; hinc venit, ut omnia iudicia vel privata, sive civilia, vel publica, sive criminalia sint; illaque in definiendis civium controversiis, haec in puniendis maleficiis consistant. <sup>2</sup> Sed cum pene impossibile sit, ut imperans solus ad omnia haec exercenda iudicia sufficere possit; inde vitio verti nequit Principi, si hanc potestatem iudiciariam, vel in totum vel pro parte, viris prudentibus ac probis, iuriumque peritis demandet, adeoque Magistratus ac Iudices constituat. Verum semper penes ipsum imperantem, horum Iudicum sententias corrigendi, ius manere oportet; ita ut qui horum Magistratuum iudicium subierunt, toties quoties hoc facere velint, ad ipsum provocare ac appellare possint.

Quapropter in Rebuspublicis Monarchicis ad Reges ac Principes, in Aristocraticis ad Senatum optimatum, in Democraticis ad ipsum Populum provocandi ius esse debet. Nec temere, et sine gravissima causa constituendus est Magistratus sine provocatione: id quod ne in Regibus Dictatoribusque suis diu tulerunt Romani, ut advertit accurate Livius.

<sup>1</sup> Vide Digg. *De reg. iuris.*

<sup>2</sup> Utpote supra vidimus §. 3. num. 10.



vius. <sup>1</sup> Verumtamen cum et provocationum abusus dari soleat, varia inventa excogitataque fuerunt remedia, quibus nimia appellandi facilitas impediretur. Qualia profecto sunt, privilegia de non appellando concessa Magistratibus quibusdam (quo quidem privilegio apud Romanos Praefectus Praetorii fruebatur, <sup>2</sup>) sicuti etiam interdictum de non appellando a certa summa post tot iudicia secuta. Quae omnia tamen magis Iurisprudentia civilis, quam naturalis consiliat ac suggerit.

VIII. Quandoquidem Iudicis officium est, leges ad facta apponere, et an factum aliquod gerenti imputandum sit, definire ac inquirere, imputatio autem consistat in decisione, utrum effectus poenalis, quem lex adscribit actioni, habeat locum, nec ne; <sup>3</sup> consequi necessario debet, ut imperanti, cui summa potestas competit iudiciaria, etiam ius poenae infligendae pertineat. Et sicuti ei, qui fert legem, etiam ius spectare opus est, legi ipsi ob iustas causas derogandi, quin eam plane abrogandi; multo magis eidem licere debebit, aliquem delinquentem ob iustas et graves causas, ita lege solvere, ut ei prorsus poena remittatur ac condonetur. <sup>4</sup>

Vnde constat, quam male Stoici negarent hoc ius imperanti, nixi eorum pervulgato ac parum sano

Zz 2

do-

<sup>1</sup> L. 26.

<sup>2</sup> *Cod. de sentent. praef. praetorii.* Vide Wesemb. Parat. Digg. T. 4 quibus appellare non licet.

<sup>3</sup> Vti libro sup. cap. 4. §. 3. explicavimus.

<sup>4</sup> Optime Quintilianus: *Quaecumque crimen donari meritis, donari virtuti potest.* Declam. 103.

dogmate: <sup>1</sup> *sapientem non dare veniam.* Nam si Reipublicae interest, quemdam communi bono natum a morte praeservari, quis dubitet, quin eum a poena, imperans liberare queat? Praeterea si Deus ipse, cum sit sapientissimus, hoc facit, qua de causa et imperans sapienter hoc non perficiet aliquando? Sapienter vero, dixi ad designandum, ob iustas causas <sup>2</sup> tantum hanc indulgentiam ab imperante esse exercendam, ac ratione in consilium adhibita.

VIII. Ex hisce licet arguere, quod inter pares nullum ius puniendi intervenire potest; ita ut nec integritas vitae, nec alterius inveterata peccandi consuetudo ulli aequali, ius poenas infligendi, unquam dare profecto valeat. Atque inde patescit clare, naturam poenae minime exhaurire neque Grotii definitionem, <sup>3</sup> scilicet quod sit *malum passionis inflictum ob malum actionis*, neque illam Becmanni, qui eandem definit, *dolorem illatum propter aliquod delictum.* Nam quando hoc malum non a superiore, sed ab aequali laeso infligitur, non poena, sed vindicta proprie est: quando a tertio, est laesio dicenda. Quorum neutrum in statu civili, absque summi imperantis potestatis praeiudicio ac violatione admitti potest, cum ipsi soli potestas iudiciaria ac coactivum ius competat. <sup>4</sup>

Nec iuvat dicere, uti Grotius, et qui cum eo

te-

<sup>1</sup> συγγνώμην τε εχει μηδενί. Diog. Laërt. 7. 123.

<sup>2</sup> Scilicet ob Reipublicae bonum.

<sup>3</sup> De iure bell. l. 2. cap. 20. §. 3.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. l. VIII. cap. 3. §. 8. in notis: ubi Bayraccium hanc sententiam propugnantem impugno.

tenent insinuare videntur; quod ille, qui male agit, se constituit inferiorem quodammodo aliorum hominum. Nam, ut optime Thomasius advertit, <sup>1</sup> non praestantia quaedam moralis dat ius puniendi, sed superioritas imperii. Quare sit firmum, quod si laedens punitur a laeso, sicuti paulo ante adnotavimus, est vindicta: si a tertio, est nova laesio, quae ambo a iure civili rigurose prohibita sunt, utpote ad usurpationem et spretum Principis <sup>2</sup> iurium tendentia.

Posteaquam animadvertere oportet, hic nos praecipue tantum loqui de poena civili, <sup>3</sup> et ex lege irroganda, non vero de conventionali, ad quam se quis ipse sua sponte obligat, nec de ultione, qua quis alterum beneficiis ob flagitia aliqua privat, nec de malis naturalibus, quibus se quisque peccando afficit, veluti morbis, doloribus, infamia, quae quamvis naturales poenae esse possint consideratae in relationem summi numinis, iurisque naturae nostrae auctoris, poenae civiles tamen minime sunt: denique neque de castigationibus, quae aliquando ex legum permissu in uxores, filios, vel servos a dominis, patribus, maritis exer-

<sup>1</sup> *Iurisprud. divin.* I. 3. cap. 7. §. 31.

<sup>2</sup> Hinc venit, quod in statu civili duella, sive singularia & privata certamina illicita omnino reputanda sunt. Nam hisce, subditi Principis ius usurpant, scilicet puniendi potestatem, quae semper Principi inhaeret. Hoc tamen debet intelligi de eo casu, in quo sit commodum, et facultas ad ipsummet Principem recurrendi ad vindicationem iniuriae, et provocationis praeservationem: minime vero si haec facultas, commodumque non adesset. Tunc enim licet provocato, se defendere usque ad internectionem etiam illius provocantis, uti iam signavimus Libro superiori cap. 7. §. 4.

<sup>3</sup> A foro humano externo, nimirum imperantium civilium, procedente.

exerceri solent. Etenim horum quidquam civilis poenae nomine proprie designari nequit, cum vel a pacto, vel ab alterius arbitrio, vel a naturali causa, vel ab eventu, vel per modum disciplinae, atque ex permissione imperantis, non autem ex iurisdictione, et ex legum praescripto, uti poena oportet, prove-niat ac pendeat. <sup>1</sup>

X. Ex hactenus dictis facile desumi potest, quis poenarum civilium sit finis. Nam cum poena <sup>2</sup> haec praecipue connata ac definita sit, statu civili introducto, et ius illam irrogandi inter iura maiestatis immanentia referatur, quorum non alius finis est, quam securitas civium; sequi oportet, ut idem esse debeat poenarum finis. Cives vero securi praestantur, sive eo redigantur peccantes, ut nolint amplius delinquere, sive ut non possint, id est sive illi emendentur, sive in posterum iis adimatur peccandi facultas: inde evidens fit, priorem finem habere poenas, quae salva vita infliguntur, posteriorem supplicia, quae cum vitae amissione coniuncta sunt. Et quia minime consultum esset omnimodae securitati Reipublicae, si ii tantum, qui peccarunt, peccare desinerent, offensis laesisque vero satisfactum non fuisset, atque alii, exemplo a delictis huiusmodi non essent distracti ac alienati; hinc venit, quod poenae praeter correctionem delinquentis, aliorum quoque exemplum, ipsiusque laesi satisfactionem, tanquam finem intendere ac procurare debent. Vnde colligimus, tres quidem esse fines, quos

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>2</sup> Saltem quae ad Reipublicae conservationem spectat, de qua hic loquimur.

quos imperantes, in poenis irrogandis, respicere tenentur; scilicet correctionem delinquentium, satisfactionem laesorum, atque aliorum omnium exemplum: ita ut delinquentes in posterum a peccando desistant, laesi damnorum offensarumque refectionem, et securitatem postea consequantur, ac tandem cives omnes, exemplo, a sceleribus huiusmodi abstineant ac retrahantur. <sup>1</sup>

XI. Hisce principiis resolvitur etiam questio ab aliquibus promota, an delinquentibus insit obligatio poenae subeundae? Nam cum ille, qui Rempublicam ingreditur, aut in illa persistit, ad ea omnia sit obstrictus, sine quibus Reipublicae finis, id est publica securitas assequi nequit; non est dubium, quin et delinquens obligetur ad poenam ferendam, quam lex definivit, imperansque imposuit, uti ad publicam salutem conferentem ac necessariam. Verum est tamen, delinquentem ad Iudicem se se offerre, aut se se sponte in suppliciis dare, non teneri, sed tantum ad illa haud declinanda evitandaque vi ac manu armata: eo quia in societatis introductione quisque ad hoc tantum tacite adstringitur. Etenim qui in societatem venit aut perdurat, ad ea omnia submittit se expresse vel tacite, sine quibus societas minime consistere posset; atqui societas, absque iure infligendi poenas in Principe, durare nequit: ergo hoc ius in imperante existere oportet. Si vero subditis liceret, imperanti hu-

<sup>1</sup> Optime Seneca de Clementina l. 1. cap. 22. *In alienis iniuriis vindicandis haec tria, lex secuta est, quae Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet, aut ut poena eius caeteros meliores reddat, aut ut sublati malis, iniuriati securiores vivant.*

huiusmodi ius exercenti vi resistere, illud inutile prope evaderet atque superfluum, neque ius esset, cum ei obligatio non responderet: ergo consectari par est, ut imperanti punienti rite ac recte, a delinquentibus resisti, sit nefas iniustumque. <sup>1</sup> Nihilominus cum non illud statim malum ipse mihi ultro arcessere teneat, <sup>2</sup> ad quod si iure ab aliis fuerit illatum, me voluntarie patiendum, subiectum feci; ideo, ut me delinquentem ad Iudicem praesentare invocatum, <sup>3</sup> ac veluti ultro poenam petere velim, ratio nulla poscit. <sup>4</sup> Quapropter barbarus omnino est ac detestandus aliquorum populorum mos, qui homines criminosos ad sibi manus impias inferendas, et ad supplicia, mortemque ipsam sibi irrogandam cogere solent. <sup>5</sup> Hoc enim tam grave onus hominibus, quamvis criminosis imponere, nimis durum, et contra naturae dictamina putari debet.

XII. Ceterum finis poenarum indicat etiam, eas attemperandas esse fini Reipublicae, ac proinde easdem ita comparatas esse oportere, uti eas esse suadet interna civium custodia ac securitas. Hinc postea sequitur, ut imperans ad illa delicta punienda oblige-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>2</sup> Quintilianus: *Neque enim quisquam est tam inutilis sibi, ut propria scelera denunciaret.* Decl. 328.

<sup>3</sup> Vide meam *Dissert. in memoriis Valvasensis mensis Ianuarii 1758.* contra March. Cavalcabò.

<sup>4</sup> Si auctor libri inscripti: *Delictorum ac poenarum*, huic distinctioni animadvertisset: non est dubium, quin ab illis paralogismis, quibus suum opus perpetuo scatet cum bonae moralis ac philosophiae probro, se temperasset.

<sup>5</sup> Vide Diod. Sicul. quod refert *De Aethiopiae l. III. cap. 5.* Idem de *Iaponis recensetur.* Vide Puffendorf. l. VIII. cap. 3. 1.

getur, quae securitatem pacemque Reipublicae turbant impediuntque, quominus cives commode ac tranquille secum invicem vivant, non vero ut punire debeat actus vitiosos mere internos, nec lapsus minutissimos, <sup>1</sup> a quibus nemo fere mortalium se praecavere potest, <sup>2</sup> nec officiorum humanitatis praeteritiones, nisi haec omnia in dedecus ac periculum Reipublicae vergant, ac perinde ipsiusmet Reipublicae bonum, haec coërceri suadeat. Sic quidem in crimine Maiestatis, vel sola cogitatio, vel illius criminis non patefacta ad Magistratum scientia, plecti solet. Sic celebris Thuanus profecto, ob coniurationem ab eo cognitam, non manifestatam, fuit infelici sane capite damnatus transacto saeculo. <sup>3</sup> Sic etiam apud Germanos inhospitalitas erat punita: Burgundii enim trium solidorum mulctam irrogabant iis, qui hospiti adveniēti, *tectum forumque negaverint.* <sup>4</sup>

XIII Porro cum poenis puniantur actiones eorum, qui easdem patrarunt; <sup>5</sup> satis patet in illorum haeredes minime esse irrogandas poenas, cum ipsi ad huiusmodi pravās actiones nullo modo concurrerint et multo minus in totas familias ob unius delictum, easdem poenas esse infligendas. Nam illi soli plectendi

Aaa

sunt,

<sup>1</sup> Cod. si quis Imp. mal. leg.unic. *Si id ex levitate processerit, contemnendum.*

<sup>2</sup> Digg. l. 50. T. 17. de divers. reg. iur. leg. 108. *Fere in omnibus poenalibus iudiciis, et aetati et imprudentiae succurritur.*

<sup>3</sup> Ludovicus XI. hanc legem sanxit. Vide *Dictionarium Belli* in huius Principis articulo.

<sup>4</sup> *Capitul.* l. 33. cap. 1.

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 6. §. ult. Optime Digg. *Si poena alicui irrogatur, receptum est . . . ne ad haeredes transeat.* L. 48. T. 19. de Poenis. leg. 20.

sunt, qui deliquerunt. <sup>1</sup> Verum tamen est, quod poena aliquando, vel potius effectus poenae in filios, ac haeredes redundat; ut si bona patris publicentur Fisco, vel ipse pater et caput familiae in exilium mittatur. At tunc haec potius infortunia filiorum ac haeredum sunt dicenda, quam poenae. Posteaquam haec in eos minime diriguntur, quamvis aut eventu ad ipsos etiam pertineant, aut determinatione aliqua indirecta imperantis; ut eo magis patres a peccando retrahantur. <sup>2</sup> Hinc venit etiam, quod vades ad poenam ferendam non sunt admittendi, scilicet unus pro alio, nisi de pecuniaria mulcta agatur, ob quam quisque sane pro alio supplere, ac fidem facere potest.

Deinde cum totae societates unam veluti personam moralem constituent, adeoque eas quoque obligent leges civibus aliis praescriptae; nemo non videt universitates etiam et societates delinquentes posse puniri, quamquam hoc casu ipsa humanitas suadeat, poenam ita temperari ac componi, ne similis sit innocentium ac noxiorum conditio, et ne illi, qui ex ignorantia atque imbecillitate lapsi sunt, eandem imperantium punitionem experiantur, ac ii, qui illarum praevaricationum seditionumque, aut tumultuum fuerunt auctores. Quin in poenis universitatum, ne remedium ipso morbo sit gravius, statuique funestius, id in primis agendum est, ut metus ad omnes, poena

<sup>1</sup> Sapienter Digg. I. 48. T. 19. de Poenis scribitur: *Crimen, vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest. Namque unusquisque ex suo admissio sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur.*

<sup>2</sup> Iuxta Ciceronem: *Ut charitas liberorum amiciores parentes Reipublicae redderet.* Epist. ad Brut. 12.



na ad paucos perveniat. <sup>1</sup> Hinc provenit quidem decimatio a Romanis, in puniendis legionum criminibus usitata, *qua decimus quisque* <sup>2</sup> *legionum sorte lectus supplicio afficiebatur*, ne totus exercitus ad grave Reipublicae damnum periret. <sup>3</sup> Principes vero, qui in universitatum populorumque castigationes ruere ac praecipitare voluerunt, eorum male sane consilio poenitentiam in posterum frustra tulerunt. Cuius rei exemplum Theodosius Imperator dedit, posteaquam in Thesalonicensis populos tam crudeliter saevit.

XIII. Quod tandem ad poenarum modum spectat, hic ex fine huiuscemet tam providae introductionis est desumendus. Cum enim ille finis in civium securitate procuranda consistat; sequi necessario debet, ut tantus modus poenarum sit, quantus sufficit ad incutiendum timorem delinquentibus, aliisque, et ad eorum reprimendam libidinem, ita ut ii a peccando in posterum retrahantur: atque adeo etiam ad satisfactionem offensae laesisque paestandam. Et quemadmodum ea est ingenii hominum indoles ac natura, ut infixae illorum pectoribus affectio ac cupiditas, non aliter, quam proposito maiore malo vel bono fraenetur; <sup>4</sup> merito inde desumimus, metum non il-

Aaa 2 *la-*

<sup>1</sup> Ovid. de Pont. *Multa metu poenae, poena, quae paucos coercet.*

<sup>2</sup> Liv. l. 2.

<sup>3</sup> Inde idem Livius l. 27. cap. 26. *Vicit sententia lenior, ut unde orta culpa esset, ibi poena consisteret, ad multitudinis castigationem satis esse.* Vide Daumatium Droit publicq. l. 3. T. 13. Adducamus etiam haec verba Senecae de Ira l. 2. cap. 10. *In singulos severitas Imperatoris distinguitur, at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus.*

<sup>4</sup> Idem Seneca: *Quemadmodum quaedam hastilia detorta, ut corri-*  
ga-

laturam fore sanctionem poenalem, nisi maius malum existiment homines, poenam legibus propositam ferre, quam delictum praeterire, voluptateque vel lucro, quod ab eo provenire credunt, deficere. Huiusce rei exemplum esse potest poena iniuriantium, a legibus XII. Tabularum sancita, quae ob levitatem suam tam parvum timorem incutiebat hominibus protervis, ac divitiarum affluentibus, ut voluptatem quam ex aliorum contumelia atque offensione capiebant, tam tenui mulcta libentissime redimerent ac compararent. Gellius <sup>1</sup> refert de Neratio quodam homine tam egregie improbo, qui pro delectamento habebat os hominis liberi manus suae palma verberare, statim persolvens depalato viginti et quinque asses, quae erat poena profecto huiusmodi iniuriae a legibus XII. Tabularum praefixa. <sup>2</sup> Tantum ergo interest, poenam crimini proportionem respondere, atque eo modo praeponi, ut illa huiusce incitamentum semper superet ac destruat.

XV. Ex usque adhuc dictis facile liquet etiam, non ferre Reipublicae securitatem constitutionemque, ut poena Talionis irrogetur peccantibus, nam bene saepe haec vix poenae nomen meritura esset. <sup>3</sup> E. G. si ei, qui mihi decem nummos in via publica vi rapuit,

*gamus, adurimus, et adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus; sic ingenia vitio prava, dolore corporis corrigimus: ubi supra.*

<sup>1</sup> Noct. Att. XX. 1.

<sup>2</sup> Leges Longobardorum hunc defectum habebant, utpote etiam illae aliorum populorum barbarorum. Poenae enim parvae erant, ac leves nimis, nec proportionem servabant cum delictis. *Vide Formulæ Marculfi in Codice legum barbarorum.*

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 27.

puit, totidem nummos rapere iubeat, quis dicat, illum aequalem poenam delicto ferre? Idem dic de percutiente in publico aliquem, si ille protervus repercutiatur. Cum in primo percutiente praeter percussio- nem, aggressio, pervicacia, atque iniuria maxima interveniant, quae in repercutiente non adsunt. <sup>1</sup> Praeterea personae, dignitates, malum, laesiones minime sunt illius iustae aequalitatis susceptibiles, quae a Talionis lege exigitur. Quare etsi Deus videtur probasse hanc legem in Exodo, <sup>2</sup> utpote eam et leges XII. Tabularum Romanorum adprobarunt; in praesenti societatum ac Rerumpublicarum constitutione, non esse illam admittendam, liquido apparet. <sup>3</sup> Immo et apud Romanos antiquos hanc legem raro in usu fuisse, probat Cecilius Iurisconsultus apud Heliium. <sup>4</sup> Et quod ad legem divinam spectat, quidam Rabini conii- ciunt atque interpretantur, eam de pecuniaria multa tantum esse intelligendam. <sup>5</sup>

XVI. Neque vero regula illa, quam supra indicavimus, nimirum, quod poenae attemperandae sunt semper delictis, accipi debet de ipsis solis factis illicitis, sed etiam de dispositione, intentione, <sup>6</sup> ac pa-

te-

<sup>1</sup> Hac sane ratione nixi, Visigoti prohibuerunt poenam Talionis pro alapa, pro pugno, calce, percussione, ne dum *Talio* rependitur, *periculum*, aut *laesio maior*, vel *minor ingeratur*. Et quidem quomodo percussio *admissim* mensurari potest? Capitul. 3. l. 6. T. 4.

<sup>2</sup> Exod. XX. 32.

<sup>3</sup> Nam evidenti iniustitia bene saepe haec poena esset prosecuta. Quare a Romanis postea omnino abolita, ac prohibita fuit. *Vt ex Institution. l. 4. T. 4. de iniuriis* patet.

<sup>4</sup> Loco citato.

<sup>5</sup> Vide Ioseph. antiq. Iud. l. III. 8.

<sup>6</sup> Cicero de offic. *Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum*

trum

refacta libidine huiusmodi facinora patrandi : quae libido in censum venire profecto debet , cum de poena infligenda agitur. Insuper cum unum delictum altero magis noxium sit Reipublicae , unumque altero magis redundet in dedecus publicum ; facile percipi potest , cur quo magis delictum , securitatem pacemque publicam offendit ac turbat , eo magis etiam ab illo acrioribus poenis homines arceri ac retrahi debeant , et cur gliscente delicto ad malam populi famam , maiusque ipsius praeiudicium , poenam quoque intendi , atque augeri oporteat , quoties nimirum , multis personis grassantibus , exemplo opus sit. <sup>1</sup>

XVII. Ceterum ut in reliquarum actionum humanarum , ita et in delictorum imputatione omnium circumstantiarum habenda est ratio. Nam earum una bene saepe totam rem mutat atque subvertit. Adeoque contingere sane potest , ut ob idem delictum in unum , gravius quam in alterum animadvertatur. <sup>2</sup> Quapropter in definienda poena ratio haberi debet , non modo personae delinquentis , <sup>3</sup> sed et eius , cui delictum fuit damni , <sup>4</sup> itemque obiecti effectus : immo loci , temporis , aliarumque similium circumstantia-

*trum perturbatione aliqua , an consulto et cogitata fiat iniuria. Leviora sunt , quae repentino aliquo motu , quam ea quae praeparata et meditata inferuntur.*

<sup>1</sup> Vide Digg. l. 48. T. 19.

<sup>2</sup> Recte Seneca de Ira : *Sapiens idem delictum in duobus non eodem modo adficiet , si alter per negligentiam admisit , alter curavit , ut nocens esset.* L. 1. cap. 16.

<sup>3</sup> Iuvenal. *Omne animi vitium tanto conspectius in se , crimen habet , - - - quanto maior , qui peccat , habetur.* Sat. 8. Vers. 140.

<sup>4</sup> Digg. l. 47. T. 10. de iniuriis : *Personae atrocior iniuria fit , ut cum Magistratui , Parenti , Patrono fiat.*

tiarum, quas omnes ante oculos iusti Iudicis in irrogatione poenarum semper obversari par est.

Sic quod ad personam delinquentem attinet, maiorem punitionem meretur is, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas a delicto revocare debuissent, quam extraneus, stolidus, nullo vinculo sanguinis adstrictus, adolescens, plebeius. Maiorem quoque castigationem referre decet robustum, quam imbecillum, atque in pecuniarum mulctis, divitem, quam pauperem. Ita si personae in dignitate positae iniuria sit illata, quis dubitet maiori poena hanc esse expiandam, quam illam, quae privatum hominem tantum offendit ac respicit? Et sicuti maius delictum est peculatus ac sacrilegium committere, quam res auferre privato; sic etiam maiori poena plectendum erit primum, quam ultimum delictum. Eadem ratione acrius punitur desertio militis in statione, quam desertio aufugientis ex hibernis. Vtpote etiam gravior iniuria in templo, inter sacra facta reputatur, quam illa in loco privato patrata: <sup>1</sup> atque adeo prima semper severiorem castigationem reposcit, quam ultima. Ex hisce, quam sit ridiculum, atque prorsus exhibendum Stoicorum dogma, quo sustinebant, propugnabantque ἴσα τὰ ἀμαρτήματα εἶναι: omnia delicta esse paria, <sup>2</sup> atque aequali poena punienda, nemo non videt.

## XVIII.

<sup>1</sup> Digg. l. 47. T. 10. *Tempore atrocior fit iniuria, si in ludis, si in conspectu. Et postea: Loco, si in theatro, in foro quisquam vulnerat - - - locus facit, ut idem vel furtum, vel sacrilegium sit, et capite luendum, vel minore supplicio puniendum.* Vide Digg. l. 48. T. 19. de Poenis.

<sup>2</sup> Cicero Parad. 3. Optime idem Cicero de offic. *Cavendum*

XVIII. Demum hoc etiam animadvertendum est in irrogatione poenarum, quod cum non omnes punitiones ad destruendum hominem praevaricantem, vitiosumque intendant, sed bene saepe et id agatur eisdem, ut qui deliquit, ad bonam frugem reducatur ac emendetur, inde caveri oportet, ne omnes, qui delictorum poenas referunt, infamia notentur: siquidem eo ipso fit, ut illi infames declarati, mortui civiliter reputentur, et consequenter ne amplius Reipublicae idonea membra habeantur, quibus sit occasio opportunitasque, victum amictumque sibi honestis artibus comparandi. <sup>1</sup>

Concludamus tandem hanc poenarum tractationem, quae iam nimis in longum evasit, applicando imperantibus, hoc memorabile praeceptum legis Pappiae Poppeae de patria potestate, nempe quod imperantis potestas, <sup>2</sup> non minus ac patria, in pietate potius quam in atrocitate consistere debet: ita ut semper Princeps ad clementiam propendeat ac inclinetur. Quo nixus sane principio Montesquius, <sup>3</sup> clementiam vocat qualitatem distinctivam imperantium, nulli alii communicandam, atque alacri animo, ab ipsis perpetuo exercendam. <sup>4</sup>

## XVIII.

*est etiam ne maior poena, quam culpa sit, et ne eisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Qui praesunt Reipublicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur.*

<sup>1</sup> Cic. de offic. l. 1. cap. 24. *Omnis autem animadversio et castigatio contumelia vacare debet, neque ad eius, qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipublicae utilitatem referri.*

<sup>2</sup> Digg. ad leg. Popp.

<sup>3</sup> Spir. leg. l. VI. cap. 21.

<sup>4</sup> Digg. l. 50. T. 17. de reg. iuris. *In poenalibus causis benignius interpretandum est.*

XVIII. Supra iam indicavimus, inter immanentia maiestatis iura, esse etiam ius tributa<sup>1</sup> ac vectigalia imperandi civibus, quin et eorum bona, exigente necessitate, Reipublicae usibus applicandi, quod ius, dominium eminens vocari solet.<sup>2</sup> Nam cum ea omnia licita esse oporteat summis imperantibus, sine quibus ipsi finem Reipublicae, puta internam externamque securitatem obtinere nequeunt, securitas vero illa haud consequi profecto posset, nisi cives contribuerent pecuniam, ad ferenda onera supplendasque indigentias, Reipublicae necessariam; et nisi eorum bonis etiam aliquando uti liceret; ideo sequi opus est, ut imperanti pertineat ius exigendi pecuniam, et exercendi dominium aliquod in bonis subditorum, si causa rationabilis, statuique conferens quaedam emergat.<sup>3</sup>

Cum ergo haec pecuniae collectio ad securitatem civium dirigatur; <sup>4</sup> hinc facile deducitur, eandem semper ad id, quod opus est, ut haec securitas civium promoveatur ac procuretur, esse attemperandam: unde eam ultra hanc indigentiam atque necessitatem extendere, vel infra imminuere, minime licet. Neque vero subditi rationem habere queunt, has-

Bbb

ce

<sup>1</sup> Cap. super. §. 8.

<sup>2</sup> Adsentior Heineccio, quod hoc vocabulum dominii, non recte applicetur ad imperantes, sed cum vix ab omnibus recipiatur, hoc minime proscribendum mutandumque duxi.

<sup>3</sup> Vide Wolfii *Instit. iur. nat. et gent.* P. 3. §. 1057. ubi tributa dicit pecuniam, quae pro rebus immobilibus, aut moventibus; vectigalia, quae pro mercibus, oneribus Reipubl. ferendorum causa, solvitur.

<sup>4</sup> Mucianus apud Dio. l. 4. *Per vos imperii tributa sunt.*

ce contributiones umquam renuendi, <sup>1</sup> posteaquam si ipsi a Principe exigunt, ut suae personae, sua bona ac facultates praeserventur ac tueantur; hoc vero haud potest perfici a Principe absque pecunia, <sup>2</sup> quae a tributis subditorum pendet ac provenit; evidens fit, subditos eandem pecuniam praestare oportere, si ipsi propriam salutem prosequi ac praecavere volunt.

Idem dic profecto et de dominio eminenti. Nam cum subditi ad ea omnia se obligaverint expresse vel tacite, sine quibus publica salus et securitas consistere nequit; haec autem securitas absque iure disponendi ad usum Reipublicae, necessitate urgente, de bonis subditorum in Principe, impossibile est, ut subsistat ac duret; ergo imperanti hoc ius domini, utpote et illud tributorum competere oportet. Itaque si E. G. alicuius domo vel fundo ad aliquod opus publico necessarium Princeps indigeat; non est dubium, quin et Principi illum reposcendi ac de eo disponendi ius competat, et subdito incumbat eundem concedendi obligatio. Verum tamen est, quod hoc casu imperans tenetur, alios subditos obstringere ad illum civem reficiendum de damno, saltem de eo, quod suam partem superat aut excedit: cum omnes in illius operis constructione concurrere debeant, quae in omnium utilitatem redundat. <sup>3</sup>

## XX.

<sup>1</sup> Nisi elegantem Plauti reprehensionem occurrere velint: *Tributum pendere posse negant illi, quibus tributum maius ponitur, quam pendere potest.* In Emp. Ac. 2. sc. 2.

<sup>2</sup> Tacit. l. 4. Hist. *Nec quies gentium sine armis, neque haec sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.*

<sup>3</sup> Vide Puffendorf. *Ius nat. et gent.* l. 7. cap. 5. §. 7. Et Boëmer. *Ius univers.* l. 2. cap. 3. §. 64.



XX. Ex iure porro disponendi de subditorum bonis, <sup>1</sup> quod casu necessitatis, et ob Reipublicae indigentiam ac decus imperanti pertinet, provenit quoque eidem imperanti ius invigilandi custodiae ac praeservationi bonorum huiusmodi, etiam praeter necessitatis eventum, ad hoc, ut postea ipsa necessitate indigentiaque emergente, sint in promptu, atque ut melius Respublica tueatur, augeat, ac floreat, et cives commode vivant. Quo sane fundamento nititur ius supremum imperantium constituendi tutores pupillis, curatores minoribus, absentibus, furiosis, morbo laborantibus, foeminis, atque eos obligandi ad rationes reddendas, et non ex fide gerentes removendi ac castigandi. Interest enim Reipublicae, res horum hominum, qui minime habiles videntur ad suorum bonorum procuracionem, esse praeservatas, atque administratas diligenter ab aliis.

Hinc venit etiam imperanti ius legum ferendarum subditis, de bonis eorum recte utendis, rite transfereendis ac alienandis in alios, uti et ius firmandi foederibus commercia, eaque ampliandi vel restringendi certis legibus, prout e Republica esse videtur: quin et ius definiendi res, quae exportari e territorio, et quae invehi libere possint, leges sumptuarias ferendi, opificia provehendi, et profecto agendi omnia, quibus opes civium conserventur ac augeantur, <sup>2</sup> atque ad eorum maius commodum ac utilitatem, atque ad

Bbb 2

ma-

<sup>1</sup> Hinc Seneca: *Ad Reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietatis.* De beneficiis l. 7. cap. 4.

<sup>2</sup> Institut. l. 1. T. 7. *Expedit Reipublicae, ne quis sua re male utatur.*

maius Reipublicae decus, solamen, ac beneficium inserviant.

XXI. Huiusmodi ergo sunt iura, quae imperanti in statu Reipublicae ordinario competunt. At cum dominium illud emineas potissimum se se exerat, atque in usum venire soleat in statu extraordinario, nempe tempore belli; sequi necessario oportet, ut maxime imperanti eodem tempore belli, privatorum agros castris occupare, iisdem munimenta, operaque publica imponere, segetes pabulando colligere, vias publicas novas per privatorum fundos extruere, aedes suburbanas evertere fas sit, si horum aliquod civitatis praesidium requirat. <sup>1</sup>

Quoniam vero haec imperanti competunt tantum, casu quo Reipublicae salus atque utilitas eadem opera ac molimina poscat; inde arguere licet, quod ei iuri locus esse nequit, quando agitur solum de Principis privato commodo, proventu, aut solatio. Hinc graviter Deum indignatum esse animadvertimus Acha-  
bo Regi, Nabotho extorturo vineam, propter suam tantum voluptatem emolumentumque. <sup>2</sup> Et Senatus Romanus litem contra M. Crassum secundum Praetores dare noluit, cum illi per huius fundi derivare vellent aquaeductum ad eorum satisfactionem ornamentumque, magis quam ad civitatis beneficium <sup>3</sup> et necessariam opportunitatem. Et revera hoc ius domini eminentis sic comparatum est, ut bonus Princeps, <sup>4</sup> non

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 5. §. 7. in notis.

<sup>2</sup> Reg. I. 21.

<sup>3</sup> Liv. l. 40. § 1.

<sup>4</sup> Optime Plinius de Traiano. *Quae praecipua tua gloria est, nusquam*

non nisi modestissime, ac cum minori civium damno possibili, uti soleat etiam, quando de Reipublicae peculiari commodo ac necessitate agitur; ita ut subditi illi, qui damno affecti sunt, sicuti iam supra adnotavimus, compensentur de publico aerario. Nam tunc currit eadem aequitatis ratio, quam pro lege Rodia de iactu profert Paulus: <sup>1</sup> *ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est.*

Praeterea hic etiam advertere opus est, ius hoc tantum esse exercendum circa civium bona, non circa bona mobilia extraneorum apud nos reperta. Adeoque vix excusandos esse Principes, qui amicarum quoque gentium rebus et mercibus avidas manus iniiciunt, naves amicorum in portibus suis repertas sistunt invaduntque, iisque pro ipsis utuntur. Neque hae angariationes, quas vocant, colore illo excusari possunt, quod naves etiam alienae, in alterius Principis imperio repertae, quodammodo subditae sint ex recepta quadam consuetudine. Posteaquam haec consuetudo est reprobanda, utpote iniusta, nullo alio modo iustificabilis, quam si necessitas urgeat, et res nostrae in extremo versentur periculo absque harum navium auxilio ac vectura: quo in casu hanc postea vecturam, usque ad ultimum quadrantem, satisfacere oportet. <sup>2</sup>

XXII. Ad tributa vero et vectigalia quod pertinet, clarum est, quod dupliciter Reipublicae interest,

*quam aliquem praeiudicas: saepius vincitur Fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Paneg. cap. 36.

<sup>1</sup> Leg. 1. Digg. ad leg. Rod.

<sup>2</sup> Vide Heinec. *Elem. iur. nat. et gent.* 1. 2. §. 173.

est, <sup>1</sup> quam maximam pecuniae vim in promptu esse: primum ut non desit, unde imperantes pro dignitate sustententur: deinde ut et belli et pacis temporibus suppetat pecunia, quae est nervus sane Reipublicae, et civilis regiminis fulcimentum, rerumque omnium fere principium et causa, ita ut absque ea vix nihil fiat. <sup>2</sup> Quare in Rebuspublicis duo esse solent scrinia etiam publica, in quae opes earum fluant: quorum alterum pecuniam imperantium sustentationi destinata continet, alterum pecuniam status necessitatibus ac indigentibus inservientem recipit. Primum Fiscum, aliud AErarium appellari mos est. <sup>3</sup> Hinc facile desumi potest, quod interest maxime Reipublicae, utraque harum publica receptacula quam locupletissima esse, posteaquam hoc et dignitati et indigentibus Reipublicae apprime iuvat ac convenit.

Verum est tamen, quod praesertim Monarchiae vix distinctionem inter AErarium ac Fiscum facere solent. Idcirco <sup>3</sup> Dionys. advertit, Augustum omnia haec in potestate habuisse, quamvis AErarium a Fisco apparenter distingui vellet. At nos, non quid fiat, sed quid oporteat fieri, describimus. Ideo hanc capsarum di-

<sup>1</sup> Tacit. Annal. l. 13. de Nerone. *Sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, continuere Senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, nempe vectigalia, quibus Respublica sustentetur, diminuerentur.*

<sup>2</sup> Qua de causa S. Paulus ad Roman. 13. 5. ait: *Reddite ergo omnibus debita, tributum, cui tributum, vectigal, cui vectigal.* Vide Daumatum *Ius Publ.* l. 1. T. 5. sect. 1.

<sup>3</sup> Dionysius Halicar. ita quidem distinguit: *Δημόσια κτήσις, & τῶν βασιλείων κλήρος.* *Antiq. Rom.* cap. 1.

<sup>4</sup> *Histor.* l. 53.

diversitatem ad Reipublicae bonam constitutionem, ac ordinem conducere, decet admonere.

XXIII. AEquum visum est gentibus plerisque, non modo certa praedia, certosque terrarum tractus imperantibus designari, quae hodie vocant Dominia vel Domanialia, verum etiam eis relinqui portoria, aliaque vectigalia, eisdemque cedere bona, quae sine domino evadunt. Quae sane postrema Fiscii locupletandi ratio, eo magis plerisque gentibus placuisse videtur, quo minore cum singulorum dispendio est coniuncta. Inde Aegyptii, Germani, et Romani quoque hoc institutum habuerunt, uti erudite Grotius observat. <sup>1</sup> Et revera si haec nulli pertinent bona, perspicuum est, quod cum nullius damno ipsorum usum dominiumque habuerit Monarcha. Ergo quandoquidem Princeps absque proventibus huiusmodi suam dignitatem tueri, suamque personam, familiam, et nationis decorem sustinere, ac Reipublicae imperio vacare nequit; consequens est, ut hisce omnibus imperans disponere, ac frui debeat.

XXIII. Quoniam igitur bona domanialia ad sustinendam imperantium personam, familiam, dignitatem sunt constituta; inde venit, quod haec a Principe minime alienari possunt, cum in suo privato dominio haud existant. Quare alienata, a successore, Populoque etiam recuperari queunt; nec quidquam refert sive pro parte, sive universa ad alios traducta sint: siquidem quod non est nostrum, eius nec exiguam partem alienare licet, sicuti recte admonet Grotius. <sup>2</sup>

Ni-

<sup>1</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 8. §. 5.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 6. §. 11.

Nihilominus si alienationes illae Populi consensu fuerunt approbatae, non est dubium, quin eas ratas haberi deceat. Nec refert quidquam, sive Populus ab initio consenserit, sive postea alienationem illam probaverit tantum. Nam quod a principio inutile fuit, per posteriorem Populi consensum convalidatum ac firmum remanet.

Et profecto quis non exhibilaret illum, qui sustinere vellet, dominia, possessiones tot Ecclesiis ac Monasteriis, ab Imperatoribus praecipue de consensu ordinum Imperii donatas, despici ac vindicari posse? Hoc tamen intelligere oportet de consensu Populi, libero, rite ac recte praestito, non iam de coacto, ac infirmi, quo in casu ad nihil prope iuaret, atque aequae, ac si non praestitus fuisset, et ipsi Populo, ac successori alienationem illam abolere liceret. Verum negari non potest, multa hoc in proposito transactis saeculis a Principibus fuisse arbitrarie facta, quae postea a populis pro bono pacis fuerunt dissimulata ac neglecta, equidem cum gravi incommodo ac praedicio Reipublicae.

XXV. Praeterea cum imperantibus bona absque domino ἀδιστα a populis ut plurimum adsignari soleant; non erit difficile arguere, cur Fiscus pene ubique sua esse contendat ea omnia, quae iure Romano vel communia, vel publica habentur, veluti marium tractus qui territorium adluunt, flumina, sylvas maiores, adeoque et iura piscandi, venandique,  
nec

x Reges Galli, ac Longobardorum nimis vero prodigi hoc in proposito fuerunt. Nec de populorum assensu quidquam curarunt. Sed de hoc non decet loqui.

nec non et ius fodiendi mineralia et metalla, ius bona vacantia occupandi, uti alveos derelictos, alluviones, novas insulas, thesauros, et gemmas ac lapillos mari eiectos colligendi, aliaque similia. <sup>1</sup> Verumtamen omnia haec, uti Huber <sup>2</sup> advertit, secundum usus gentium diversarum, mutantur ac variant. <sup>3</sup>

Quod ad mare spectat, omnibus aperta sunt, quae inter viros doctos Hugonem Grotium in sua Dissertatione de *mare libero*, et Seldenum in suo opusculo *mare clausum* inscripto, de dominio maris acriter disceptata sunt, utpote etiam inter Robertum Ianstonum, et Petrum Burgum, et novissime inter Puffendorffium et Huberum, nostrumque Italum Petrum Giannonem, aliosque. Vnde ea hic repetere, nihil refert. Tantum nos adnotabimus ad lumen sententiae nostrae; quod cum mare nullius esse nemo neget, ita quin illud occupari queat, et occupanti cedat, non est dubium, dummodo munitionibus vel classe ipsiusmet occupatio ac proprietas sibi praeservari possit: maxime cum id et olim factum fuerit. Nam Romani, Mediterranei dominium habuerunt, quatuor classibus hoc in mare detentis, Ravennae scilicet, Miseni, Foro-Iulio, ac Bisantii, et nunc fit. Veneti enim, Angli, ac Hollandiae populi, adiacentia suae dominationi maria tenent. <sup>4</sup> Verum cum minime fas sit

CCC ex-

<sup>1</sup> Omnia haec moderni regalia vocant minora. Vide Wesembec.

<sup>2</sup> De iure civit. l. 2. cap. 4.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorff. l. 8. cap. 5. §. 8.

<sup>4</sup> Vide Bynkershoek in sua *Dissert. de imper. maris*: uti et Rex Daniae maris circumfluentis Baltici dominium possidet.

excludi alios ab usu rei inexhaustae ac innocentis utilitatis, absque iusta causa, in mari vero quaedam sunt inexhausti ac innocentis usus, veluti navigatio, transitus, quaedam autem usus exhausti, veluti captura piscium, vectigalia; hinc illis alios excludi usibus haud posse, nisi adsit iusta causa (puta timor invasionis transeuntis Populi,) hisce quidem posse, merito statuimus. Multo magis iis, qui terras transmarinas, et prope mare possident, licebit alios populos propinqua navigatione, quam vel occupationis, vel commercii causa eo suscipiunt, excludere, atque etiam a transitu prohibere, dum fundatus metus aliquis fuerit, ne afferant damnum aliquod, vel eorum terras invadere velint. <sup>1</sup> Ceterum omnia haec pactis ac foederibus regulare solent populi, quae exsequi postea religiose tenentur.

Sed cum vasti Oceani dominium, impossibile sit, ut occupari, ac occupatum ut conservari queat; ideoque amplum mare illud inoccupabile prorsus, atque extra omnium populorum dominationem positum esse, reputetur; ideo ab huiusce navigatione, quae commerciorum praecipue causa instituitur, sine iniuria nemo alios prohibere potest, nisi iure belli ac defensionis, vel <sup>2</sup> nisi aliter voluntariis conventionibus antea fuerit pactum conventumque.

Insuper siquidem omnino interest Reipublicae dignitati, auctoritati ac potentiae Fiscum esse locupletissimum, Principemque tutum, ac bonis ad susten-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 4. cap. 5. §. 6. num. 1.*

<sup>2</sup> Vide Albericum Gentilem *De acquir. mar. cap. 1. Et Peregrinum De iure Fisc. cap. 8. num. 10.*



tationem necessariis abundanter provisum, congruum est, ut alia iura etiam, quae ad acquisitionem, conservationemque rerum spectant, Fisco, Principique cedantur; veluti ius cudendae monetae, <sup>1</sup> ius mulctas, et quaevis scelere quaesita occupandi, et quae sunt huius generis alia, quae vulgo inter regalia minora, quamvis parum accurate, recensentur. Verum et circa haec mores gentium differunt: nam quaevis civitas, horum plus minusve tribuit conceditque imperanti, ad suum decus et sustentationem.

XXVI. Ad AERarium vero quod pertinet, illud fere universim tributis ac vectigalibus repleri ac sustineri solet, nisi tantum sit fundi publici Reipublicae, ut eius proventibus ac fructibus propriis, necessitatibus ipsa supplere valeat. Et sane cum imperantibus nihil sine pecunia pace belloque gerere liceat, et non sufficientibus publicis possessionibus, illa non aliunde, quam a civibus retrahi possit; consequens est, ut imperantibus ius esse debeat tributa ac vectigalia civibus imponendi, prout Reipublicae bonum exigit. <sup>2</sup>

Ccc 2

Ita

<sup>1</sup> Valor enim huiusce monetae aliquid deficere solet, ex arbitrio imperantis, a pretio vulgari metalli eandem componentis: id quod in utilitatem ipsiusmet imperantis redundat, ac vergit. Vide supra l. 1. cap. 13. §. 8. Romani Iurisconsulti etiam hoc ius cudendae monetae Principibus adserunt, ac scite explicant: *Electa materia est, cuius publica, et perpetua aestimatio imperantis auctoritate signata, difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis subveniret: eaque materia forma publica percussa usum, dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate.* Digg. l. 18. T. 1. leg. 1. de contrah. empt. Vide Peregr. De iure fisci l. 1. T. 1. §. 25.

<sup>2</sup> Recte Quintilianus declam. 341. *Necessaria vectigalia sunt civitati, bellum geritur, exercitus stipendium accipiunt. Defendimus ripas, flumina, et littora. --- Inter vectigalia porro, quod aequius inveniri potest, et sine maiore hominum querela, hoc est imponendum.*

Ita ut ea personis, fundis, mercibus importandis ac exportandis, rebus fungibilibus, opificiis et commerciis, prout commodum atque civitati utile videtur, imperari ac constitui queant. Semper tamen in hisce ponendis habenda ratio est, ne cives concutiantur opprimanturque, sed tantum, quae convenientia sunt eorum personis ac fundis, sustineant ac ferant cum respectiva ac temperata proportione et gravamine. Optime enim Servius Tullius Rex apud Dionysium Halicar. ait: *Iustum est, et Reipublicae utile, ut illi, qui multum possident, et multum conferant; parum vero, qui sunt in re tenui.*<sup>1</sup>

Quapropter si in impositione tributorum ac vectigalium a Principe semper prae oculis aequitas tenenda est,<sup>2</sup> ne cives ultra vires graventur; per se liquet, a civibus minime exigi fas esse id, quod ab ipsis praestari nequit, nec illos pacis tempore eo modo esse enervandos ac depauperandos, quo postea belli tempore nihil conferre valeant. Vnde etiam deducere licet,<sup>3</sup> quod nemini immunitatem horum tributorum concedi oportet, nisi tanti sit eius opera, ut propemodum sua rata pars publici oneris cum ea pensetur ac reficiatur.

Tan-

<sup>1</sup> *Antiq. Rom. l. 4. Δίκαιον καὶ συμφέρον τῷ κοινῷ ἡγεῖμαι, τοὺς μὲν πολλὰ κερταμένους, πολλὰ εἰσφέρειν τοὺς δὲ εὐχρηστὰς, εὐχρηστὰς.*

<sup>2</sup> Inde Quintilianus: *Aequitas prae oculis habenda. Ideo cum aequius conferat vectigal, negotiatio; quidquid est, de futuro lucro est; hoc imponendum. Vbi supra.*

<sup>3</sup> Inde imprudens Nero, qui omnia tributa remittere cogitavit, uti supra notatum fuit, advertente Tacito: *Eodem anno imprudens Nero dubitavit, an crebris Populi flagitationibus cuncta vectigalia omitti iuberet: a Senatoribus postea dissuasus. Ann. 13.*

Tandem admonendum superest, collatitiam hanc pecuniam, et sine nimia acerbitate ac concussionem colligendam, et bona fide administrandam, et iis rebus usibusque, quibus destinata est, religiose impendendam esse ab imperante. Cum aliter de ea abuteretur, nec fini, cui a civibus ipsa contribuitur, inserviret conducereque, nempe eorum saluti ac praeservationi; quod sine subditorum iniuria a Principe committi nequit.

XXVII. Quandoquidem Princeps per se ipsum, uti iam supra indicavimus, non omnia, quae ad Reipublicae administrationem spectant, exsequi valet; ideo opus est, ut alios delegare possit, qui Administrum ac Magistratum vocari solent. Quare et hoc ius delegandi alios ad vices suas gerendas, sive Administrum ac Magistratum constituendi, inter immanentia iura maiestatis imperantis adnumeratur. <sup>2</sup> Per Administrum autem illi intelliguntur, qui partem politiae Reipublicae sibi creditam nomine ac ordine imperantium tractant geruntque: per Magistratum vero, illi qui iudiciale ius nomine proprio, dependenter tamen a summo imperante, exercent. Qui ambo cum vice ac munere imperantium fungantur; sequi necesse est, ut ab ipso quo-

<sup>1</sup> Optime idem Tacitus laudat Agricolam: *Quod frumenti et tributorum aucionem aequalitate munerum molliret, circumcissis, quae in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur.* In vita Agricol.

<sup>2</sup> Hinc Exod. 18. 13. inscribitur: *Provide autem de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, et Decanos, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo iudicent. --- Quibus auditis Moyses fecit omnia, quae illi suggererat cognatus eius.*

quoque imperante designandi sint ac eligendi, nisi ille vel particularibus, vel Collegio aliquo hoc ius praesentandi vel cooptandi dederit.

Itaque Principi speciatim etiam hi obligantur, ac proinde huic, suae administrationis vel exercitii rationes reddere tenentur. Ideo si male in officio versati fuerint suo, ab eo merito privantur, quin et poena iuste infliguntur si culpae ac doli rei videntur. Verumtamen consilium non fraudulentum ministri officialisque, quod eventus destituit, non erit a Principe puniendum. Nam nemo ad eventum praestandum obstringi potest. Inde barbarus mos ac omnino detestabilis Orientalium populorum est reputandus, qui consilium ab exitu existimantes, capitis damnant prope omnes, quorum consilium successu caruit.

XXVIII. Sicuti ergo Administris, aequae ac Magistratibus pars aliqua politica vel iudicialis Reipublicae creditur; ita et Principis erit dignoscere suos, et dare operam, ut nisi capaces munerique habiles seligat; utpote subditorum ex adversa erit, non poscere officia, dignitates, munia, quibus se se impares esse cognoscunt; multoque minus ea largitionibus, monopolis, aliisque turpissimis artibus, vel per contractum ambire, nisi ipsis imperantibus Reipublicae utile appareat, ut officia ac Magistratus sint in commercio ac vendibiles.

Ceterum res ipsa indicat, quemlibet Administrum, et Magistratum omnem fidem<sup>2</sup> ac diligentiam in suis

<sup>1</sup> De his dicit Dominus 1. Epist. Paul. ad Corinth. 1. 19. *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.*

<sup>2</sup> Cod. de Caduc. tollend. l. unic. *Quod communiter omnibus prodest, hoc rei, privatae vestrae uti.itati praefendum censetis.*

suis functionibus praeberere, et Reipublicae salutem sibi supremam legem ducere, semperque ante oculos iustitiam <sup>1</sup> habere oportere. Quae omnia eo magis etiam ab illo Administro curanda sunt, cui ius arbitriumque, universae Reipublicae disponendae Princeps concessit. Hi autem appellari solent primi Ministri, circa quos ab Hertio disputatur, <sup>2</sup> an e Republica sit, liceatque, omnia uni demandare Principem? Et revera cum nihil vetet, quin aliis mandemus id, cui nos impares existimamus, quidni et Princeps uni vel pluribus vices suas committet, maxime cum aetas, aegritudo, imperii magnitudo, rerumque moles eum ad id faciendum impellere possint, modo tamen illum, qui tanto oneri capacitate ac probitate par sit, <sup>3</sup> inquirat ac seligat? <sup>4</sup> Verumtamen si Princeps, ut affectibus indulgeat pravis, voluptatibus incumbat, omnem regni curam alteri imponit, nullamque dominationis cogitationem ipse habere vult, non est dubium, quin talis Princeps iniuste atque improbe dignitatem, quam sustinet, gerat, atque eadem se indignum reddat.

### XXVIII. Tandem imperanti competit etiam ius quod-

<sup>1</sup> Hisce Paralipom. 22. 3. ait Dominus: *Facite iudicium et iustitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris, et advenam, pupillum, et viduam nolite contristare.*

<sup>2</sup> *Elem. prud. civil. l. 1. 10. 11. Vide Daumat. Ius public. l. 1. T. 3. sect. 2.*

<sup>3</sup> Ita ut imperans possit dicere, ut in Codice: *Bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii, et ad nostram gloriam redundare.* De legibus, et constit. princip. leg. 8.

<sup>4</sup> *Annal. 6. Ut tamen pares negotiis, neque supra sint: iuxta Taciti effatum.*

quoddam in sacra, ad hoc, ut religio vera servetur ac pura, atque incontaminata subsistat et exerceatur ab omnibus suis subditis, iuxta cultum ab Ecclesia receptum, atque a lege revelata praescriptum. Inde patet, quod haec iurisdictio dirigitur ad tuendam potius, quam ad cognoscendam religionem. Quae iurisdictio cognoscendi, Ecclesiae praecipue competit, non Principi iuxta Christi effatum ad Petrum: *Passe oves meas.* <sup>1</sup> *Tibi dabo claves Regni Coelorum.* <sup>2</sup> Iurisdictio ergo, quae circa Religionem Principi spectat, consistit quidem in iure puniendi adversus eam peccantes, in iure defendendi illam administrantes, in iure tuendi cultum publicum ac privatum, in iure promovendi pietatis interna externaque exercitia, in iure tandem invigilandi, ne falsae doctrinae contra revelationem, vel contra traditionem catholicam serantur ac promulgentur, ita ut subditi semper religiosi, iusti, ac pii evadant. <sup>3</sup>

Hoc vero facere Imperanti non tantum decet, sed expedit summopere: *Nam religio, ac timor Dei solus est, qui societatem hominum inter se custodit ac servat*: uti optime advertit Lactantius <sup>4</sup> Et revera ea confusa vel neglecta, turbae ac dissensiones civitatem prope convellunt ac destruunt. Quorum calami-

ta-

<sup>1</sup> Sic S. Ioann. 21. 17.

<sup>2</sup> S. Matth. 16. 29.

<sup>3</sup> Sic S. Leo Pap. ad Leon. Imp. epist. 1. 5. inquit: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut et quae bene sunt statuta, defendas, et veram pacem iis, quae sunt turbatae, restituas.*

<sup>4</sup> *De Ira* cap. 12.

tosum exemplum transactis saeculis Gallia, et Anglia dederunt. Quare tolle hoc vinculum; *Vita hominum stultitia, scelere, immanitate complebitur, iuxta expressionem citati Lactantii.* <sup>1</sup> E contra ea praeservata, unio ac pax interna in civitate obfirmatur ac durat. Hinc Mecaenas apud Dionem Cassium <sup>2</sup> admonet Augustum: *Vt Divinum numen omnimodo, omni tempore et ipse colat, et alii ut colant, efficiat, eosque, qui in divinis aliquid innovant, ut odio habeat ac coerceat. Nam haec tenenda est ex ritu veteri.* Concludamus ergo cum eodem Lactantio: <sup>3</sup> *Quod cum nihil sit in rebus humanis Religione praestantius, eam summa vi oportere defendi, unamque in toto Regno servari.* <sup>4</sup>

XXX. Qua in re solet quaeri; an Princeps debeat semper coercere ac punire eos, qui contra eam male sentiunt? Quam ut resolvam quaestionem, duo genera eorum facio, qui in Religionem dissentiant ac peccant; alii qui publice, alii qui privatim. Publice illos peccare in Religionem dico, qui et ipse male de Deo, receptisque sacris cogitant, et alios ad ita cogitandum publicis sermonibus, turbis ac conventiculis ferunt impelluntque. Privatim, qui male de eadem Religione cogitant, sed sibi tantum. De primis si agatur, cum statum turbent revellantque, ad cuius quietem praeservationemque Princeps omnino incumbere

Ddd

<sup>1</sup> Vbi supra cap. 8.

<sup>2</sup> Hist. l. 1. c. 22.

<sup>3</sup> Instit. l. 1. c. 20.

<sup>4</sup> Vide Dughetum in suis *Institut. Principis* Pl. 3. cap. 4. ubi advertit scite sane *Veram politicam a Religione dependere: nam vera Religio populos ad veram felicitatem conducit. Unde Princeps hanc protegere, sustinere ac studere assidue debet.*

tenetur ; non est dubium , quin idem severe eos punire possit ac debeat. <sup>1</sup> Optime Cicero : <sup>2</sup> *Clementiae hic non est locus , ure , seca , ut membrorum potius aliquod , quam totum corpus intereat.* Nam ut per leges Romanas advertitur : <sup>3</sup> *Quod in Religionem divinam committitur , in omniam fertur iniuriam.* <sup>4</sup>

Id quod sit firmum , quamdiu turbatores coërceri possunt , sine maiore status perturbatione. Quid autem si aliter se habeat res ? Quid si ea tempora sint , ut subita coërcitio plus damni in Rempublicam ferat , quam dissimulatio temporaria ? Tunc vero mihi videtur , Principem debere tempora inspicere , quibus parere omnes Politici praecipiant , <sup>5</sup> et potius adulta haec et praevalida vitia omittere in tempus , *Quam illud assequi , ut ipse palam fiat , quibus flagitiis impar sit :* <sup>6</sup> omittere in tempus dico , nempe usque dum ad medicinam praebendam casu , conversione rerum , aut circumstantiis aliis tempus aptum existat adferaturque. Posteaquam *sicuti corporis morbis nihil magis periculosum est , quam immatura medicina ; sic multo magis in morbis civitatum accidit , uti prudenter Seneca advertit.* <sup>8</sup>

## XXXI.

<sup>1</sup> Nam si Princeps ius tenet , ac obligatione obstringitur castigandi eos , qui patrant alia delicta statui calamitosa , cur idem ius debitumque non habuerit , puniendi tales irreligiosos homines , qui statum tam perniciosis doctrinis conturbant pervertuntque ?

<sup>2</sup> *Philip. 9.* Vide Dughet. *Instit. Princ.* P. 3. cap. 1.

<sup>3</sup> *Cod. de haeret.* leg. 4.

<sup>4</sup> Et Pelagius Pap. ad Imp. Narsetem Epist. *Facientes schismata per publicas potestates debent coërceri ac puniri.*

<sup>5</sup> Vti Tacit. *Ann.* 3. animadvertit.

<sup>6</sup> Vide Bossuet. *Polit. Sacr.* P. 2. l. 7. Art. 5. Prop. 15.

<sup>7</sup> Tacit. ubi supra.

<sup>8</sup> Senec. *Consol. ad Helen.*



XXXI. Quod vero ad eos pertinet, qui in Religionem privatim tantam delinquant, puta qui labem errorum in sua mente retinent, neminem sollicitant, corrumpunt, maculant, sed quiescunt domi et silent, sibi quæ solis male sapiunt; ii sane puniendi non videntur. Nam nihil tam voluntarium, quam Religio: *In qua si animus quodammodo aversus est, iam sublata, iam nulla apparet.* <sup>1</sup> Ideo fortasse nec nimis scrupulose inquirendum circa internam eorum religionem. Siquidem cui homo? *Nemo enim Rex perinde animis imperare potest ac linguâ. Mentium Rex solus Deus est. Religio ergo imperari non potest, quia nemo cogitur, ut credat invitus. Igitur ii docendi magis, quam iubendi, monendi quam minandi:* recte S. Augustinus. <sup>2</sup>

Ceterum quoad ius Dogmaticum ac Hyerarchicum Sacrorum, quidquid ganniant Protestantes, hoc in nihil, nisi protectione ac tutela, ad potestates politicas pertinet. Nam omne id ex nova lege revelata, quam nos Catholici amplectimur, ac veneramur unice, Ecclesiae tribuitur. Dicente Christo ad Petrum, ac successores eius: <sup>3</sup> *Pasce oves meas cet. Tibi dabo claves Regni Coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis.* <sup>4</sup> Dicente Apostolis, eorumque successoribus: *Qui vos audit, me audit:* <sup>5</sup> *attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit:*

Ddd 2

suit:

<sup>1</sup> Lact. Instit. 9. cap. 14.

<sup>2</sup> August. epist. 65. Vide meum Puffendorf. l. 7. cap. 4. §. 11. nota 2.

<sup>3</sup> Ioann. 21. 17.

<sup>4</sup> Matth. 16. 19.

<sup>5</sup> Luca 10.

sunt: <sup>1</sup> *ipsi vos estis lux mundi, et sal terrae, item ministri Christi, et dispensatores misteriorum Christi, adiutores, et cooperatores Dei.* <sup>2</sup> Per quae verba, et alia quae adduci possent, omnis directiva potestas, interpretativa et dogmatica Religionis, ordini ecclesiastico adstruitur.

Præterea Ecclesia sane est *unum Corpus*, ut Paulus Apostolus testatur, <sup>3</sup> *unus Spiritus, atque in ea una Spes, unus Dominus, unum Baptisma.* <sup>4</sup> Impossibile est, servari hanc unitatem per Principes laicos, et ditioribus diversos, et potestate independentes, et bene saepe dissentientes, et conflictantes ad invicem. Tandem accedit peculiaris Christi institutio respectu Ecclesiae, tanquam firmamentum veritatis: *Contra quam portae inferi non praevalent.* <sup>5</sup> Quod profecto firmamentum haberi nequit, nisi in Concilio, vel Pontifice, ac Iudice universali, eoque infallibili: at talis nequit esse Princeps politicus, quia nec universalis, nec indubita Spiritus Sancti assistentia munitus; ergo in eo Ecclesia minime potest consistere ac stabiliri. <sup>6</sup>

XXXII. Religionis porro aequae ac politiae Ministrorum et Magistratum, quin et aliorum bonorum civium, utiliumque Reipublicae Seminaria, sunt Scholae, Universitates, et Academiae; quippe quarum iste  
fi-

<sup>1</sup> Luca 24.

<sup>2</sup> 1. Corinth. 3.

<sup>3</sup> Galat. 3.

<sup>4</sup> Ephes. 4.

<sup>5</sup> Matth. 16.

<sup>6</sup> Vide Bossuet. *Polit. Sacr.* ubi supra Art. 3. Prop. 10. Vide meum Puffendorf. ubi supra in notis.

finis est, ut iuvenes ad omnes scientias, atque honestas artes, quibus aliquando illis in variis vitae generibus opus futurum est, nec non ad probitatem, pietatem, moresque religiosos, honestos ac elegantes, solide instituantur. Cum ergo Principi deceat, omnia quae ad utilitatem Reipublicae tendunt, promovere; hinc sequitur, ut ipsius etiam officium sit, huiusmodi lycea, scholasque erigere, eas bonis legibus ornare, et cathedris instruere, in illasque viros solide doctos, diligentes, probos, et muneri suo pares <sup>1</sup> locare ac praeponere, utpote et curare, ne doctrinae Reipublicae noxiae ab ipsis promulgentur, disciplinae statui proficuae ne negligantur, atque adeo ne iuvenes in malum prosiliant, sicuti tandem et prudenter cavere, ne turbulenta ingenia lites ex litibus serant, pugnas excitent ac dissidia, quae quam perniciosa sint, et adversa scientiarum progressibus, satis exprimi nequit. Ille enim, qui concertationibus hisce distentus est, non amplius ad veritatem inveniendam mentem ponit, sed tantum ad partem adversariam confundendam superandamque intendit: inde infestae simultates personales, postea odia intestina, imprecationesque procedunt, quibus ad literarum improprium horum contententium critici libelli omnino scatent. <sup>2</sup> Quae omnia, quanto scientiarum damno, et christianae charitatis impendio eveniant procedantque, nemo non videt. <sup>3</sup>

## XXXIII.

<sup>1</sup> Qui, ut recte Quintilianus advertit, *nec habeant vitia, nec ferant.* Instit. orat. l. 2. cap. 2.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 2. cap. 4. §. 14.

<sup>3</sup> Hinc supra citatus Quintilianus ait: *Plusque vel sine doctrina*  
pru-

XXXIII. Denique cum sine communicatione ad invicem rerum, quas varias homines possident, vix possit Respublica subsistere; inde venit, quod in eam quoque curam incumbere debent Rectores Reipublicae, ut haec communicatio exerceatur per commercia, et ut recte sine dolo ac monopolio, omnia circa illa administrentur ac fiant. Et siquidem his iura omnia competunt, sine quibus finem Reipublicae salutarem obtinere non possunt, consequi oportet, ut ipsis etiam fas sit, leges de commerciis, opificiis, generibusque aliis exportandis et importandis ferre, de re monetaria praecavere, utpote negotia exercentes privilegiis ornare, mercatoribus foederibus armisque securitatem praestare, societates mercatorum instituere, eas iuribus exemptionum, portuum, transitus, ingressus, et regressus distinguere ac praemunire, et generatim ea omnia agere, quibus foedera ac pacta cum aliis Principibus, et Rebuspublicis commercii causa inita exsequantur ac durent, ad hoc, ut et internum et externum mercimonium maritimum ac terrestre introducatur, augeatur ac floreat. Quo in proposito legi possunt Montesquius, <sup>1</sup> ac Melonius, <sup>2</sup> ad quos, ne limites praefixae brevitatis transcurram, lectorem remitto.

Reliquum est tamen, ut verbum addamus etiam de agricultura, quam civilium societatum altricem ac matrem merito vocat Cicero: <sup>3</sup> *Cuius nihil melius est*  
in

*prudentiam, ac moderationem, quam sine prudentia doctrinam facere.*  
Instit. orat. l. 6. cap. 5.

<sup>1</sup> *Spirit. leg.* l. 20.

<sup>2</sup> In suo *Essai Politique sur le commerce.*

<sup>3</sup> *De orat.* pag. 106.

*in vita hominum, nihil uberius, nihil dulcius.* Hanc ergo operae pretium est Principi modis omnibus fovere et excitare: ita ut, qui eam versant ac tractant, speciali modo protegantur, privilegiis <sup>1</sup> ac praerogativis, exemptionibus distinguantur ac decorentur, unde agricolae omnia, quae ad vitam commodam ducendam, atque ad agrorum culturam perficiendam necessaria sunt, consequantur ac teneant. <sup>2</sup> Ipsa enim est non solum aliarum artium sed omnium civium sustentaculum ac fulcimentum.

## CAPUT VIII.

DE IURIBVS MAIESTATIS TRANSEVNTIBVS,  
ac speciatim de bello.

I. **H**actenus de iuribus maiestatis immanentibus egimus: nunc remanet, ut de iuribus maiestatis transeuntibus disseramus, quae sane non minus necessaria sunt imperanti, ac illa immanentia usque adhuc explicata. Nam quid proficeret civitati, quod illa recte ordinata, commoda ac tranquilla interne fuisset, et cives inter se pacifice ac socialiter viverent, omnes conventiones, quas a principio stipulati fuerunt, adimplentes, ab omnibus iniuriis, et laesionibus eorum

<sup>1</sup> Maxime illi, qui aliquod inventum, perfectioni suae proficuum, in medio proferunt.

<sup>2</sup> Vide circa hanc, librum celebrem: *Amicus hominum* inscriptum ac alium: *De rebus suis a Gallis male praeceptis*; quae sane ambo hoc in genere sunt omnibus numeris absoluta opera. Vide etiam *Philosophiae Rurale*, in quo libro, si obscuritatem demas, habebis perfectam rei tractationem.

rum concivium per potestatem imperantem protecti ac defensi, si postea ipsi ab externis hostibus, deficiente protectione ac tutela, invasi, conculcati, atque e solo eiecti fuissent? Quocirca evidens fit, non minus ac immanentia, transeuntia iura maiestatis imperanti competere oportere, quae profecto consistunt in iure vim omnem atque iniuriam, proveniente ab hominibus extra civitatem positus, propulsandi ac repellendi.

Et revera si omne Imperium est summum, uti supra monstratum fuit; <sup>1</sup> sequitur quoque, ut et omnia Imperia, Republicaeque inter se se independentes esse debeant. Qui autem sunt ad invicem independentes non in societate civili, sed in statu naturali vivere dicuntur, qui est status aequalitatis et libertatis: et quia in hoc statu laesis nullum praesidium, <sup>2</sup> nisi in se ipsis esse potest, ac proinde unicuique ius est vim omnem, atque iniuriam a se propulsandi, idque, quod alter iure perfecto ad praestandum adstringitur, si renuet, vi extorquendi; necessario venit, cuivis Imperio ac Republicae ius belli, scilicet ius vim adhibendi ad iniurias repellendas, suumque consequendum pertinere.

Nam cum ipsis privatis, qui in societate civili vivunt, tunc ius sit se suaeque vi tuendi, quando ipsis in promptu non est aliud praesidium, uti libro superiori fuit ostensum; <sup>3</sup> multo magis id licebit populo libero, <sup>4</sup> cum in statu naturali nullus sit commu-

nis

<sup>1</sup> Cap. VII.

<sup>2</sup> Vtj. monstravimus l. I. cap. 7. S. 3.

<sup>3</sup> Cap. VII.

<sup>4</sup> Qui tot particularibus personis componitur.

nis laedentis, et laesi Magistratus, a quo ipse defendi possit. Ideo prorsus supervacaneum est, colligere veterum testimonia ad ius hoc Reipublicae adserendum ac comprobandum, sicuti Grotius luculenter fecit, <sup>1</sup> ad quem curiosum lectorem demandamus. Res enim per se evidenter patet, quod sicuti omni particulari homini, in statu naturali viventi, competit ius, ab aliis hominibus exigendi, ut erga ipsum iustitiae ac naturalis legis praecepta exsequantur, ita ut nec in personam offendatur, neque in res laedatur, neque in liberas actiones suas impediatur; unde adversus eum, qui talia aliqua intentare voluerit, vim adhibere queat, ad huiusmodi iniurias vindicandas, contundendasque; eodem modo et societati cuique civili, quae in eodem naturali statu vivit, erga societates alias, si harum aliqua societas, vel ipsiusmet quidam particularis, contra iuris naturalis praecepta in eius membra, possessiones, vel iura attentare praesumpserit, eiusmodi medio uti licebit, scilicet vi, ad illiusmet societatis vel particularis, offensiones ac molimina repellenda atque evitanda. <sup>2</sup> Cuius vero iuris exercitium, ius belli profecto <sup>3</sup> appellatur. <sup>4</sup>

Ecc

II.

<sup>1</sup> De iure bell. ac pac. l. 1. cap. 2. Vide S. Paul. ad Roman. 13. 4. Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 6. §. 2.

<sup>2</sup> Iuxta Taciti sententiam: *Petitam armis Rempublicam, utque reus agi posset, acie victum.* Annal 33. num. 10. Hinc optime Cicero: *Quare susciotienda bella sunt, ut sine iniuria in pace vivatur?* De offic.

<sup>3</sup> Liv. l. 9. cap. 1. *Iustum et conveniens est bellum, quibus necessarium ad praeservationem.*

<sup>4</sup> Hinc licet arguere etiam, quod novus auctor libri inscripti: *Delle conquiste*, minime percipere videtur naturam essentiamque iuris belli, hoc cum iure poenarum, ac castigationum quodammodo

con-

II. Bellum ergo, sic dictum a duello, sive a certamine inter duos, vel duas partes, definiri potest, statum liberorum populorum, vel hominum in conditione naturali viventium, iuris sui prosequendi causa, vi concertantium, propositumque concertandi retinentium. <sup>1</sup> Ex qua definitione facile est unicuique coniecere, bellum non in ipso tantum certandi actu, sed et in hostili statu, certandique proposito consistere: adeoque et inducias non ad pacis, sed ad bellum statum esse referendas: nec belli vero, sed sub tumultus vel violentiae publicae privataeque nomine venire contentiones hominum, qui non suae potestatis, sed subditi imperio sunt. Ex quo sequitur, definitionem belli a Cicerone <sup>2</sup> traditam, scilicet, ut sit *certatio per vim*, minime esse completam. Etenim haec tam ad tumultus privatos ac publicos applicari potest, quam ad certamina, publica auctoritate, atque ab hominibus in statu naturalis libertatis suscepta. Huiusmodi defectu pollet etiam definitio belli Grotii, <sup>3</sup> qua vocat bellum, *statum per vim certantium, qua tales*. Nam illa, etiam in vim publicam, privatamque civium quoque sub imperio viventium inter se, cadit. <sup>4</sup>

## III.

confundendo; neque postea ad ius acquisitionis iustos limites ponit, quod statim ac cessat, dum cessat ius belli: sed de hoc non est hic locus.

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 6. §. 2. in notis.

<sup>2</sup> De offic. l. 1. cap. 12.

<sup>3</sup> De iure bell. l. 1. cap. 1. 2.

<sup>4</sup> Neque definitio Heineccii absque defectu apparet, cum bellum dicat: *Statum concertantium, vel propositum concertandi retinentium, vi dolove*. L. 2. §. 191. Nam dolus verus directusque, neque in hoc est licitus, uti paulo post videbimus. Vide §. 18.



III. Ex his ergo patet, ius belli competere populis liberis, et iis hominibus, qui in statu naturali vivunt: ideoque sequi oportet, ut ius belli posteriore casu sit promiscuum omnibus particularibus, quippe inter se aequalibus; priore, non nisi summis imperantibus proprium, in quorum manus arbitriumque, singuli subditi voluntates ac vires deposuerunt cesseruntque suas. Quare horum imperantium erit etiam milites legere vel conducere, urbes et castra munire, aerarium militare pecunia, armamentaria tormentis et armis, horrea com meatu, receptacula navalia navibus replere, bellum decernere, denunciare ac indicere, milites hosti, etiam cum summo periculo opponere, leges de disciplina militari ferre, et similia. Posteaquam cum finis belli iuris, sit securitas publica ac tuitio ab externis inimicis, quae securitas debet esse suprema lex imperantium, et cum cui competit finis, omnia etiam competant iura, sine quibus finem ipse consequi nequit; inde necessario venit, iura haec omnia enunciata cum iure belli coniuncta esse oportere, utpote media, sine quibus bellum fieri minime potest.

Hinc adnotare convenit circa militiam, qua bellum conficitur, quod alia dicitur lecta, alia mercenaria, alia socia. <sup>1</sup> Militia lecta ea est, quando unusquisque civis pro patria militat. Qua specie militiae olim Graeci et Romani, adhuc Republica libera, uti solebant, hodieque Helvetii adhibent. Mercenaria vero, quando miles extraneus etiam certa mercede con-

Ee 2

du-

<sup>1</sup> Vti Heineccius advertit: *Elem. iur. nat.* l. 2. cap. 9. §. 192.

ducitur, quam Augustus, iuxta Dionem Cas. <sup>1</sup> politicis rationibus, lectae militiae praeferebat, et quam hodie adprobant omnes fere Monarchae et Respublicae. Socia tandem dicitur, quando Reipublicae foederatae certum copiarum numerum tenentur instruere ac subministrare. Circa mercenarium militem solet quaeri, an fas sit Principi amico, in ditionem Populi amici facere militem? Et affirmative respondetur, nisi pactum aut interdictum speciale conventum obstet. <sup>2</sup>

III. Ex belli definitione venit quoque distinctio, inter bellum sollemne, et non sollemne. Prius illud dicitur a potestate suprema indictum: aliud a privato quocumque, in statu naturali vivente, initum. <sup>3</sup> De primo nos proprie hic agere praecipue oportet, cum vix praesenti rerum positione homo quidam sit, qui extra societatem civilem in statu naturali vivat. Et quidem regulae, quas de sollemni bello tradimus, solemnitatibus ac certis ritibus demptis, etiam ad minus sollemnia, ac privata bella quodammodo referri possunt.

Bellum igitur sollemne summae potestatis tantum est indicere ac denunciare: ideoque Magistratus, vel urbi, monumentoque Praefectus, belli suscipiendi habere ius, nisi de summi imperantis iussu, nequit; quamvis cum, urbem provinciamque, cui praeficitur, in repentino tumultu, etiam sine Principis mandato speciali, adversus quemcumque invasorem defendere,

<sup>1</sup> *Hist.* l. 52.

<sup>2</sup> Vide Bynkers. *Quaest. iur. gen.* l. 72. Et meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>3</sup> Vide Grot. *De iure bell.* l. 1. cap. 3. 2.

ac tueri debeat. Omnibus in historia Romana leviter versatis notum est, quod parum abfuit quin Senatus dedendum censeret Iulium Caesarem Germanis, eo quia iniussu populi bellum illis intulisset. <sup>1</sup> Verumtamen accidere potest, ut Provincia quaedam tam distans sit a Reipublicae sede, ut Praeses non nisi post longum tempus de imminente periculo commonefacere imperantes valeat. Quo in casu non est dubium, quin Praeses bellum facere, militesque ad arma excitare, et contra hostem venire queat, statim postea imperantem de emergente admonendo. Multo magis hoc idem dicendum erit, si ius decernendi bellum generali mandato Praesidi datum sit: tunc enim evidenter liquet, Praesidem facultate pollere, etiam iniussu imperantis, gerendi bellum. Id quod sane ab Hispanis, Lusitanis, Belgisque solet fieri cum Praesidibus Provinciarum Indiarum ac Americarum, siquidem ii fere semper mittuntur cum potestate belli pacisque: atque adeo contingit saepe saepius, ut prius de confecto, quam de inchoato bello nuncius rumorque eorum Principi perveniat. Et revera occasio deficeret, si ante determinationem, ut ad imperantem scriberet Praeses tam longe distans, opus fuisset.

V. Ex eadem definitione desumimus etiam, quod iniustum est reputandum omne singulare certamen,  
ni-

<sup>1</sup> Vide Sueton. in Caes. cap. 24. Per leges Roman. declarabatur reus laesae Maiestatis ille, qui bellum iniussu imperantis suscipiebat: Eadem lege (Iulia Maiestatis) tenetur, et qui iniussu Principis bellum gerit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit. Digg. l. 48. T. 4. ad leg. Iuliam maiest. leg. 3.

nisi iussu summorum imperantium initum. <sup>1</sup> Tale enim singulare certamen, de iussu imperantium factum, est bellum repraesentativum, quo veteres utebantur, dum selectis hominibus ex utroque exercitu, illis exitum belli committebant; ita ut victoria staret ab ea parte, cuius selecti in singulari illa pugna superiores evaderent. Huiusce pugnae illustre exemplum, omnibus notum, Albani ac Romani dederunt, quando singulari certamini Curiatorum Horatiorumque exitum eorum belli commiserunt. <sup>2</sup> De cuius iustitia, quid dicat Grotius in contrarium, <sup>3</sup> non est dubitandi locus. <sup>4</sup> Extra vero hunc casum, certamen singulare in statu civili semper profecto est improbandum. <sup>5</sup> Hinc venit, quod inutilis prorsus est distinctio ipsiusmet Grotii inter bellum publicum ac privatum. <sup>6</sup> Nam privatum belli definitioni minime quadrat (saltem subditis civilium societatum applicatum, de quibus et ipse et nos loquimur) nec legitime suscipitur.

Neque postea meretur belli nomen illud, quod cives inter se, vel cum ipsa Republica gerunt, quod vulgo belli civilis nomine venit. <sup>7</sup> Multo minus violent-

<sup>1</sup> Inde venit, quod *duellum* dictum, sit omnino interdictum, reprobandumque. Instructum hoc fuit hisce in regionibus à Longobardis, atque ad dedecus nostrum adhuc perdurat.

<sup>2</sup> Vide Dionys. Halyc. *Ant.* l. 3.

<sup>3</sup> *De iure bell.* l. III. cap. 20.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. *l.* 8. *cap.* 8. §. 5. *num.* 1.

<sup>5</sup> Nisi tamen adsit casus necessitatis, ac improvisae et instantaneae aggressionis. Vide *lib.* 1. *cap.* 7. §. 4.

<sup>6</sup> *De iure bell.* l. 1. *cap.* 3.

<sup>7</sup> Nihil societati pestilentius, nihil evertendae aptius, quam in-

lencia, quam piratae et praedones veluti universo generi humano inferunt, nomine belli vocari potest. Nam haec non est bellum, sed funestissimum latrocinium: atque adeo hi homines iuribus belli frui nequeunt, sed tanquam publicae securitatis perturbatores, iurisque naturae ac gentium contemptores et communes hostes puniri ac exterminari debent.

VI. Itaque ad belli iustitiam firmandam, requiritur per primariam conditionem, potestas summa. Nam primo bella, spectato iure naturae, non nisi necessitate inducta, eaque solo fine permissa sunt, ut ii, qui iudicem non habent, ius atque iustitiam consequi valeant. Secundo quia bellum illaturus agit iudicem in propria causa, sibi que administrat iustitiam iniuriae vindicativam, atque exponit magno periculo Rempublicam, quae omnia non competunt nisi summae potestati. Tertio quia ipsa potestas in manus habet vires ac voluntates subditas omnium civium; unde consequens est, ut ipsa sola in eorum praeservationem hisce uti ac disponere possit. Haec tamen intelligenda sunt regulariter: nam excipitur casus quo quis

testinum ac domesticum bellum. Horret animus, dum civilia Romanorum bella legimus.

*Ecce patrem nati perimunt, natosque parentes,*

*Mutuaeque armati coeunt in vulnera fratres,*

cecinit Manilius. Recte Lucanus ea bella vocat *ius datum sceleri*. Recte Favorinus (apud Plutarchum in vita Bruti) *peius esse*, ait, *bellum civile dominatu illegitimo*. Vnde facile colligas, ne tyrannidis quidem praetextu domesticum adversus Principem bellum agitare fas esse. Graviora enim ac diuturniora inferuntur patriae vulnera, quam quae a Tyranno exspectes. Vide Augustinum *De Civitate Dei* lib. 4. capp. 28. 29. 30. Adde Tacitum *Hist.* libb. 1. 2. 3. 4.

quis subditus in tali emergente instantaneo adsit, ut ad iudicem recurrendi minime facultas vel tempus ei detur: tunc enim, illum ad propriam praeservationem suis viribus uti posse, indubitati iuris est. <sup>1</sup>

VII. Altera conditio exacta ad iustitiam belli est causa evidenter iusta, <sup>2</sup> posteaquam bellum modus apparet defensionis ac vindicationis gravissimus ac terribilis, a quo innumera mala, calamitates, damnaque promanant; adeoque requiritur causa gravis et certa ad ipsiusmet iustitiam fundandam respectu Principis. Ideo suasoria causa, quae, teste Grotio, <sup>3</sup> movet tantum sub sola ratione utilis, legitima causa belli non erit putanda. Dixi respectu Principis: nam alia ratio est militum, quibus parendi necessitas incumbit, nisi aliunde de evidenti iniustitia iniquitateque belli constaret. <sup>4</sup> Ex quibus necessario fluit, bellum non temere, sed maturo consilio suscipiendum, eo quod medium sit nimis periculosum Principi, ac Republicae semper fatale ac perniciosum.

VIII. Tertia conditio belli legitimi est recta intentio. Etenim bellum non permittitur, nisi ut necessarium medium ad recuperandam pacem, aut ad consequendam iustitiam, vel ad iniurias vindicandas, vel ad res amissas recuperandas: quare bellum alio fine susceptum, illicitum omnino erit reputandum. Vnde colligi potest primo, quod oblata plena satisfactio

<sup>1</sup> Vide I. r. cap. 7. §. 4.

<sup>2</sup> Ita ut non procedat, ut energicis expressionibus S. Augustini utar, *neque a nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, libidine domnandi.*

<sup>3</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 1. alias causas vocat iustificas.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 1. §. 8.

factione, cessare debet bellum etiam coeptum, non modo titulo charitatis, eo quod bellum est innumerorum damnorum et calamitatum foecunda nimis origo; sed etiam titulo iustitiae, eo quod bellum sit solius necessitatis, et ad vindicandas iniurias directum, adeoque cessante iniuria, cessat etiam iusta causa belli. Secundo colligi potest, quod deficiente ratione iustitiae, vel consequendae pacis studio, recta intentio non adest, atque adeo bellum fit iniustum, vel saltem illicitum.

VIII. Praeterea quarto inter condiciones belli legitimi, saltem offensivi, requiritur regulariter praevia diffidatio, seu publica belli denunciatio. Dixi offensivi belli, nam defensivum bellum, teste Platone, <sup>1</sup> a natura indicitur. Dixi etiam regulariter, <sup>2</sup> posteaquam non opus est denunciatione apud hostem perpetuum, rebelles, proscriptos, induciis elapsis; utpote neque in ferendis auxiliis, si periculum sit in mora, nulla spe, vel alia via salutis suppetente. Regulariter vero necessaria videtur, ad hoc, ut hostis sit comonectus de sua iniustitia, et de nostra determinatione belli in eum suscipiendi: unde, si velit, ad satisfactionem praestandam, atque ad bellum evitandum se inducat. <sup>3</sup>

X. Tandem quinto ad bellum iustum requiritur

FF

mo-

<sup>1</sup> De leg. l. 2.

<sup>2</sup> Optime Cicero: *At belli quidem aequitas sanctissime foecia'i Populi Romani iure praescripta est: ex quo apparet, nullum bellum esse iustum, nisi denunciatum.* De offic.

<sup>3</sup> Cicero de offic. *Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi aut quod rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, et indictum.*

modus legitimus, ita ut rite inferatur, rite geratur, rite finiatur. Ideoque hostilitates minime incipiendae sunt, nisi pervicacia hostis, iniustitiaque sit patens atque aperta, neque hae ultra ferendae sunt, quam nostra satisfactio exigit: ideoque innocentibus, infantibus, senibus, ecclesiasticis, foeminis parcere fas est: neque in hostem devictum submissumque, ultra securitatem satisfactionemque nostram invehì ac furiare licet. Vtpote neque armis illegitimis, veluti infectis veneno, neque emissariis, neque venenata aqua uti permissum est a iure naturae; quidquid cavillent Puffendorfius, <sup>1</sup> Barbeyraccius, Heineccius in contrarium, qui haec tanquam legitima ac concessa media in bello sustinent. Nam omnia talia molimina a iure naturae et gentium reprobantur omnino. Siquidem ab eo praescribitur semper, ut minus malum, etiam suscepto consilio tam calamitoso belli, quam possibile sit humano generi afferatur: *Armis eaim bella, non perfidia ac venenis geri debent*, ut optime advertit Valerius Maximus. <sup>2</sup>

XI. Cum igitur absque iustitia ius belli, summae potestati competere nequeat et cum huiusce iustitia consistat in iuris sui persequendi iusta causa, uti ex definitione belli patet; consequens est, ut non nisi duae sint causae iustificae belli: altera si quis populus extraneus populum alium iniuste impetat ac laedat, et vita, libertate, vel opibus, Regionibusque spoliare tentet: altera si ius debitum perfectumque de-

ne-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 8. cap. 6. §. 16.* ubi eum impugno cum suis asseclis.

<sup>2</sup> Lib. VI.



neget; veluti restitutionem rei suae, pacti conventi executionem, damnorum refectionem. Inde facile desumitur, quod prior est iusta causa belli defensivi, posterior offensivi. Ideoque ad primam spectat defensio sui, suorum, Regionis, Reipublicae: et ad aliam vindicatio sui, suorum, Regionis, Reipublicae. Illa facit retinere sua, haec recuperare: illa praesentem, haec propellit praeteritam iniuriam.

Quare rebellio a subditis tentata, fides, obsequium, et iusta tributa denegantibus, protectio huiusmodi rebellium, hostilis alicuius irruptio, opitulatio data hosti ad nostram invasionem perditionemque, iniusta foederatorum vis ac insidiae, naturalis aequitatis iuriosa denegatio, improvisa machinatio ac conamen usurpandae alicuius nostrae civitatis, Regionisque; omnia haec defensivi belli tot iustae sunt causae, ac rationes legitimae. Recuperatio vero domini iuriumque iniuste nobis ereptorum, reparatio famae, aestimationisque laesae, causa iniuriae publicae irrogatae, de qua satisfactio sit denegata, vindicatio innocentium ab hostili captivitate, ultio ob denegatam iustitiam, ac damnorum refectionem, omnia haec ad offensivum bellum referuntur.

Ex his profecto patet, tertiam causam quam commentus est Grotius, <sup>1</sup> punitionem nimirum scelerum, esse merum figmentum. Siquidem clare constat, parem a pari, adeoque gentem a gente puniri <sup>2</sup> nequire. Et revera si gens delicto suo aliam gentem laedit, tunc laesa gens illam laedentem aggreditur iusto

Fff 2

bel-

<sup>1</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 4.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 3. §. 8. *in notis.*

bello defensivo, non punitivo. Vel si eadem gens laesa ad refectionem damni intentandam iusto bello venit, bellum offensivum suscipit. Vel nihil gens altera laedit, et tunc nullum est ius belli in eam gerendi sub quocumque titulo ac praetextu: multo minus ius punitivum, cum tale ius nullo nisi imperanti competat, uti suo loco iam demonstravimus. r

XII. Cum ergo perspicuum sit, iuris tantum perfecti denegationem iustam belli causam praebere; hinc necessario venit, ut ob ius imperfectum, aut ob officium denegatum humanitatis, arma corripere, nefas sit. Itaque non erunt iustae belli causae, si quis alterius exercitui transitum neget, novas sedes quaerentes nolit admittere, commerciorum libertatem petentibus det repulsam, belligerantibus hospitia, commeatum, pecuniam subministrare nolit; nisi talia vel ex pacto antecedente, vel in extrema necessitate petantur, vel ita sint innoxia, ut sine omni damni periculo praestari queant. Nam hisce casibus talium rerum pervicax denegatio in laesionem transit, ac proinde bello quidem non iniustam causam praestare valet.

Id quod tamen raro accidere solet, cum de transitu agitur. Nam periculum vel ab ipso transeunte venit: nimis enim difficile est, milites ita contineri, quin nihil damni dent agris, praediis, villisque, per quae transferuntur, vel ab hoste, qui victoria potitus est, quique malam gratiam haberet vicino transitum concedenti. Verumtamen si vere innoxius sit transitus, quem quis poscit, vel tam necessarius, ut alia via non pateat; is qui hunc denegaret, iniuriam equidem fa-  
ce-

ceret iure belli vindicandam. Huc profecto referri potest bellum ab Israëliitis iussu Dei gestum <sup>1</sup> contra Sehon Amorrhæorum Regem, innoxium huiusmodi sane transitum recusantem.

XIII. Ceterum cum perinde sit, sive nos ipsi impetamur directe, sive per partem alterius indirecte; itemque sive nobis ius perfectum denegetur, sive aliis, quibus vel per pactum vel per confederationem ad opem ferendam obstricti simus: recte inde colligimus, posse etiam pro aliis sociis ac foederatis bellum geri, immo et pro vicinis, si certis argumentis, aut non levibus sane indiciis, <sup>2</sup> sed fere evidentibus constet, illorum ruinis nos postea evertendos fore. Verum cum neque pro nobis iustum bellum unquam suscipiatur, nisi illius iusta causa adsit; multo minus erit iustum illud pro vicinis sociisque susceptum, deficiente iustitia.

XIII. Quandoquidem igitur solae, quas supra adduximus, belli causae iustae habendae sunt; clare patescit, iniusta ex adverso esse bella, quae vel sola incitante occasione, vicino quippe imparato, vel ob utilitatem quamdam, vel ob dilatanda confinia, vel ob parandum imperium, vel ob gloriam rerum gendarum, vel odio Religionis, Politiae, morumque alicuius populi inferuntur. <sup>3</sup> Huic numero mihi videntur referenda, si non omnia, saltem praecipua bella, quibus transactis saeculis Christiani Crucesignati impetie-

<sup>1</sup> Num. XXI. 22.

<sup>2</sup> Vellem hasce modificationes adverterent ii, qui tam faciles sunt ad bella, sub quocumque titulo ac praetextu suspicionis suscepta, iustificanda.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 5.

tierunt Mahumedanos. Nam Religionem Christianam armis propugnare, <sup>1</sup> et sacra loca, in quibus nihil iuris sit, vindicare velle, nec ratio, nec revelatio consentit. <sup>2</sup> At aliquibus ratio illa videtur eorundem bellorum plausibilis ac iustificativa, quod hi populi in hostes apertos omnium aliarum prope gentium se gerent ac comportarent. Id verum sit, nec ne, nos non decidimus. <sup>3</sup>

XV. Hinc etiam arguere licet, non posse quemquam iure belli adversus amicum uti, eo vano praetextu, quod periculum sit, ne hostis eius castella, munimenta, portus sit occupaturus: nec magis fas esse, hostes vel eorum hostium naves mercesque intra territorium vel portus amici populi capere, si hic non data opera illis receptum det; quia vis huiusmodi cum iniuria populi amici, cuius territorium vel portus violentia introitur, coniuncta est. <sup>4</sup> E contra nihil obstat, quominus eos, qui hostem nostrum armis, comiteatu, machinis bellicis iuvant, armata manu aggrediamur, impediamus, et res istas intercipiamus.

XVI. Insuper animadvertere oportet, rectam ratio-

<sup>1</sup> Si sanguine, si tormentis, si malo Religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Lactantius *Div. Inst. lib. 5. cap. 20.*

<sup>2</sup> Vide Franc. Buddeum *de expedit. Cruciat. cap. V.*  
<sup>3</sup> Utrum iustae fuerint cruce signatorum expeditiones, nec ne? varie disputatum est à viris doctis. Qui utriusque opinionis, asserentium videlicet ac negantium argumenta ad examen revocaret velit, adeat Racini *Historiam Ecclesiasticam Saec. XII. art. 13. §. 23.* ubi ea recensentur. Racinus in partem asserentem inclinat, Fleurius in negantem, aut certe anceps haeret, *discursu 6. ad Hist. Eccles.*

<sup>4</sup> Vide Binkershoek *Quaest. Iur. publ. 1. 18.*

tionem suadere, non illico prouendum esse ad arma; sed tum demum, quando populus hostilem animum prorsus aduersus nos ostendit. Cum vero is hostilem animum aduersus nos manifestet, qui omnes aequas condiciones pacis pertinaciter recusat; merito inde deducimus, priusquam ad arma, certamenque ruatur, res quas nobis debitas et pertinentes credimus, prius repositas esse pacifice, causam dubiam, propositis utrimque rationibus, liquidandam, omnesque vias, mediaque belli evitandi experienda esse. <sup>1</sup>

Quorum vero mediorum tria genera Grotius <sup>2</sup> ac Puffendorfius <sup>3</sup> enumerant: colloquium scilicet, seu disceptationem amicam, provocationem ad arbitrum, et sortem. Verum est tamen, sortis usum in causis publicis, praeterquam si res dividi oporteat, rarissime habere locum: neque sane decet, Principes, fortunae arbitrio, populorum iura remittere. Reliqua media receptissima sunt inter gentes ac usitata, rectaeque rationi conformia: quia nemo sapiens vi, ac cum periculo assequi vult id, quod sine discrimine, ac pacifice habere potest. Equidem huic fini manifesta, scripta, ac deductiones, quae in praesenti solent a contententibus populis edi ac promulgari, diriguntur. Sicuti etiam denunciationes, indictionesque solemnes, quas supra observavimus, bella offensiva praecedere debent. Omnia enim haec ad propiarum praetentionum iustitiam ac rationem patefaciendam tendunt, eo recto fine, ut Populus, ad quem talia spectant,

at-

<sup>1</sup> Optime Terent. *Consilio omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Eunuc. Att. 4. scen. 7.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 2. 23. 7.

<sup>3</sup> *De iure nat. et gent.* l. VIII. 6. 3.

atque respiciunt, ea amice adimplere, bellumque evitare queat, si velit. Ceterum ille Populus, qui has praecautiones adhibuit, atque iustas belli causas, suaque argumenta proposuit, et nihil aequi ab hoste impetravit; non est dubium, quin iure arma corripat inferatque.

XVII. Cum vero iuris sui persequendi causa bella gerant Principes et gentes liberae; sequi oportet, ut hosti in hostem liceant omnia, sine quibus ille ius suum obtinere nequiret. Id autem obtineri, impossibile est, nisi hostis in eum statum reducatur, ut vel non possit, vel nolit amplius hostilem animum exercere suum: inde venit, ut quisque hostem suum recte ac legitime armis aggrediatur, sternat, spoliisque personis rebusque, cessantibus omnibus officiis humanitatis, quibus hostis ipse noster adversus nos fieri posset validior. Haec tamen durante bello competunt iura.

Quo in proposito solet quaeri, an liceat victori populo hostem iam devictum, profligatumque occidere? Et respondemus negative cum Montesquieu contra Grotium, Puffendorffium, ac Heineccium. Nam evidens est unicuique, quod statim ac hostis debellatus est et devictus, victor non amplius habet ius interficiendi victum, eo quia non amplius est in statu naturalis defensionis, ac in propriae conser-

1 Spiritus legum l. 10. cap. 3.

2 Scite auctor citatus inquit: Il est clair, que lorsque la conquete est faite, le conquerant n'a plus le droit de tuer, puisqu'il n'est plus dans le cas de la defense naturelle: eodem loco.

3 Optime Cicero: In bello nihil aliud, nisi pax quaesita videatur.

vationis periculo, qua de causa tantum, hostis interitus fit legitime. <sup>1</sup>

XVIII. Praeterea hic etiam disputatur, an fas sit iure naturae et gentium, ad tollendum hostem necandumque, veneno vel aquis venenatis vel sicariis vel dolo malo ac mendaciis uti? Auctores <sup>2</sup> supra enunciati affirmantem sustinent propugnantque sententiam mordicus, ea ratione nixi, quod in hostem interrupta quacumque communicatione officiorum humanitatis societatisque, omnia intentari atque committi queunt.

At nos absque ulla dubitatione, pace tantorum virorum, contrariam sententiam amplectimur ac tuemur. Nam uti iam supra indicavimus, omnia haec illicita media sunt reputanda belli exercendi: quippe quia si illa admittantur, non uti decet ac ratio suggerit, bella cum moderatione ea gererentur, quae intra necessariae defensionis ac priorum iurium damnique refectionis limites circumscribitur: neque haec ad iustitiam procurandam, pacemque reproducendam, sed ad hostilitates in infinitum perpetuandas propagandasque tenderent: <sup>3</sup> ita ut potius latrocinia et piraticas machinationes proscriptionesque tyrannicas, quam iusta bella ac regularia, quae, ad minus malum in tam

Ggg

pe-

De offic. l. 1. cap. 23. Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 6. §. 7. et §. 15. in notis, ubi hos impugno.

<sup>1</sup> Idem Cicero de offic. lib. 1. cap. 11. *Parta autem victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles nec immanes in bello fuerunt.*

<sup>2</sup> Grotius sane aliquam restrictionem huic rei ponit, sed quae non sufficit ad eum omnino sanandum. *De iure bell. et pac.* l. 3. 4. 15.

<sup>3</sup> Haec est ratio capitalis, qua nostra sententia fulcitur.

periculoso cimento producendum , profecto introducta sunt ex iuris naturae praescripto , <sup>1</sup> talia molimina proculdubio evaderent : unde et Regum capita nimis facile ac secure prosternerentur , et integri populi in magnam humani generis perniciem destruerentur , et omnes nationes in trepidatione ac periculo talium conatum ac machinationum semper ad invicem diffidentes , in humanae societatis praecudicium nimis grave , et penitus omnimodam eversionem , continuo viverent.

Quapropter omnes gentes civilitate aliqua donatae haec flagitiosa media , uti omnino honestis populis indigna , reprobarunt ac horruerunt semper , sicuti optime Polibius advertit : <sup>2</sup> *Omnes consentiunt neque splendidam neque firmam ullam esse victoriam , nisi quis palam , et ex condicto depugnet.* Et Florus : <sup>3</sup> *Eam vir sanctus , et sapiens sciet veram esse victoriam , quae salva fide , et integra dignitate parabitur.* Hisce principiis profecto innixi etiam Consules Romani generose scripserunt ad Pyrrhum Regem : *Nobis non placet nec decet , pretio aut praemio , aut dolis <sup>4</sup> machinamentisque aliis pugnare. <sup>5</sup> Non fraude , neque occultis,*

<sup>1</sup> Cum admiratione sane video , etiam Wolfium in suo *Iure gentium* §. 878. contrariam sententiam amplecti ac sustinere.

<sup>2</sup> *Hist.* l. 13.

<sup>3</sup> *Epitom.* l. 1. cap. 12.

<sup>4</sup> *Gell. Noct. Att.* III. 8.

<sup>5</sup> Comes Bussi Rabutin suarum *Epistolarum* T. 4. ep. 20. refert : *M. de Brandebourg a donné avis a Monsieur de Turenne , qu' il y avoit un homme dans son armée , qui lui avoit offert de l' empoisonner ; et que cela lui avoit fait borreur.* Vide *Vattel droit des Gens* l. III. cap. 8. §. 155. *Pourquoi jugeons nous , qu' un acte est criminel , contrair* <sup>4</sup>



*tis, sed palam, et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* <sup>1</sup> Neque exempla a Scriptura desumpta, nimirum Iaëlis et Iudithæ, quæ Sissaram, et Holofernem obtruncarunt, quoquomodo iuvant ad rem iustificandam; nam ambo illæ mulieres speciali mandato Dei, nempe vitæ omnium supremi Domini, talia molimina exsecutæ sunt, patraruntque.

Et quod in specie ad dolum mendaciumque pertinet, si hoc licitum fuisset inter belligerantes, quomodo hostis de pace cum hoste secure agere posset, <sup>2</sup> cum nulla ratione de eius fide quidquam certi habere quiret? <sup>3</sup> Et Euangelii præcepta non ne prohibent semper mendacium dolumque? <sup>4</sup> Adeoque concludatur, quod omne delictum est militis, quod aliter, quam disciplina communis exigit, committitur; veluti contumaciae, dissidiae, oppressiones, perfidiae, deceptiones. <sup>5</sup> Qua de causa non solum

Ggg 2

iu-

*la loi naturelle, si ce n'est, parceque cet acte est pernicieux a la société humaine, & que l'usage en seroit funest aux hommes? Et quel fleau plus terrible a la humanité, que la contume de faire assassiner son ennemi par un traître? le poison a quelque chose de plus odieux encore, que l'assassinat, l'effet en seroit plus inevitable, et l'usage plus terrible.*

<sup>1</sup> Tacit. Annal. l. 2. cap. 88. Vide meum Puffendorf. l. VIII. cap. 6. §. 16. ubi hæc sententia contra Puffendorf. aliosque firmatur. Vide etiam notam 2. loco eodem.

<sup>2</sup> Vide S. Ambros. de offic. l. 1. cap. 30. *Liquet etiam in bello fidem, et iustitiam servari.*

<sup>3</sup> Hinc Cicero: *Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda.* De offic. l. 1. cap. 13.

<sup>4</sup> Vide S. Paul. ad Ephes. 4. 25.

<sup>5</sup> Vide Digg. de re militari l. 49. Et Cicero ubi supra: *Semper autem in fide quid senseris, non quid dixeris cogitandum, ita ut ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter fiat.*

juris naturalis ratio, sed etiam omnium civilium populorum mores fraudem, vilem ac abiectam in hostes, victoriamque machinationibus, et non salva fide ac dignitate partam unanimiter improbant et damnant.

Verumenimvero non est dubium, quin stratagematibus atque aliis inventionibus, ad circumvenendum hostem, in bello liceat uti, quae non e directo fidem fallunt hostium, sed tantum ad eos eludendos indirecte feruntur; <sup>1</sup> uti profecto sunt falsae motiones, fictae pugnae, ignes accensi ad aggressiones evitandas, evasionesque exsequendas, et similia. Quae cum minime signa sint ex conventionem destinata ad aliquod praecise significandum, ideo ex arbitrio possunt etiam adhiberi ad propria occultanda consilia, et ad illa hostium eludenda ac devitanda. Sic in hoc sensu Deus dixit ad Iosue: *Pone insidias urbi.* <sup>2</sup> Et Augustinus ad hunc locum in eadem significatione ait: <sup>3</sup> *Cum iustum bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad iustitiam interest.* Et quidem ab antiquis hic dolus bonus dicebatur, ad differentiam alterius, quem dolum malum appellabant, <sup>4</sup> ut videre est apud Plutarchum et Ciceronem. <sup>5</sup> Ille legibus quoque Romanis naturaliter permissus erat: *Naturaliter concessum est in emendo, et*

*ven-*

<sup>1</sup> *Vt Annibal, cum inclusus a Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis incensisque, per noctem, in adversos montes agens armenta, speciem hosti, abeuntis exercitus dedit.* Livius Dec. III. l. 2.

<sup>2</sup> Iosue 22.

<sup>3</sup> Vide Grotium *de iure bell.* l. 2. cap. 13. §. 2.

<sup>4</sup> Vide supra l. 1. cap. ult. in fine.

<sup>5</sup> Plutarchus in *Agesilai vita* pag. 600. Cicero in *Top.* pag. 204.

*vendendo se circumvenire.* <sup>1</sup> Id quod sane nimis ultra ferebant, ac extra limites naturalis aequitatis, sicuti adnotavimus in fine libri superioris.

XVIII. Quoniam autem adversus hostem tantum iure belli, et vi uti licet; evidens est, eadem non licere uti adversus eum, cum quo paciscimur, ac de pace tractamus. Qua de causa introductae sunt induciae, per quas status belli, sive hostiles actus in tempore praefinito suspenduntur. <sup>2</sup> Vnde turpissimam, improbandamque eorum perfidiam esse liquet, qui inducias, sive breves, sive diuturnas, tempore nondum elapso, rumpunt. Quamvis actus mere defensivos, utramque partem iuste ac legitime facere, omnino indubitatum <sup>3</sup> sit; multo magis postea perfidia eorum detestanda est, qui leges deditiois, <sup>4</sup> vel pacta de securo com meatu, vel quae de redimendis captivis, mortuisque sepeliendis ineuntur, turpiter violant.

XX. Ceterum cum supra iam ostendimus, hostis ab hoste iure belli, et personis, et rebus spoliatur legitime; hinc venit, ut in arbitrio victoris sit, malit ne personas captas, vel restituere mediante pretio convento, hosti, vel eas in custodiam servare, donec vel permutentur cum propriis militibus, vel redimantur, vel per pacis tractatum de eis, quovis alio modo, conveniatur. Verum est tamen, quod in bello capti a victore honeste tractari debent, ita ut victum

<sup>1</sup> Cod. De rescindenda venditione.

<sup>2</sup> Digg. l. 49. T. 15. *Induciae sunt, cum in breve tempus convenit, ne invicem se laceasant.*

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 7. §. 9.

<sup>4</sup> Optime Cicero: *Est etiam ius bellicum, fidesque iuristurandi, saepe cum hoste servanda.* De offic. l. 3. cap. 29.

ctum et amictum, aliaque ad vitam necessaria consequantur.

Et quemadmodum res quoque hostium tam mobiles quam immobiles, tam corporales quam incorporeales cedunt victori; <sup>1</sup> mobiles quidem, simul ac in praesidia victoris perlatae sunt, immobiles, ex quo occupatae sunt ac praeservantur, sic etiam de eis victor disponere potest ab arbitrium, usque dum per pacis tractatum circa illa, quae adhuc in manus ipsius fuerint, postea stipuletur. Quamobrem firmam possessionem harum rerum, nimirum quae in manus existunt hostium, profecto non esse videtur, prius quam, inita pace, de illis transactum fuerit: nam clare patet, res huiusmodi in bello captas ab hoste recuperari posse, usque dum bellum durat. <sup>2</sup>

Mobiles vero res aequae ac fundos recuperatos, vel personas restitutas in pristinam <sup>3</sup> libertatem, iure postliminii gaudere, facile quisque percipit. <sup>4</sup> Id est quod personae ad omnia sua iura ac proprietates, resque in eorum dominium, qui easdem iam possederunt, redeunt. Hic tamen notare oportet, quod mobilium rerum alienationes per pacis tractatum re-

VO-

<sup>1</sup> Instit. l. 2. T. 1. §. 17. *Quae ex hostibus capimus, statim nostra fiunt iure gentium.*

<sup>2</sup> Instit. ubi supra: *Quae ex hostibus capimus, si evaserint nostram potestatem, et ad suos revertantur, pristinum statum recipiunt.*

<sup>3</sup> Liber homo reversus postliminio non tantum se, sed sua omnia recipit. Vide Grot. l. 3. cap. 9. §. 6.

<sup>4</sup> De postliminio ita Cicero in Top. 223. *Scaevola autem P. filius iunctum putat esse verbum, ut sit in eo et post, et limen, ut quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerunt, ex suo tanquam limine exierint, hinc cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse.*

vocari non solent, uti usuvenit de immobilium alienationibus, quae Regionum restitutione, ut plurimum, rescinduntur, atque ad suos antiquos dominos restituantur. <sup>1</sup> Hoc tamen casu iustum sane est, ut emptores male cauti de soluta pecunia a nimis sollicito ac subdolo venditore reficiantur. <sup>2</sup>

XXI. Si vero non inter ipsas praecipue gentes et civitates incidit controversia et contentio, sed ob denegatam civi proprio iustitiam, personis aut rebus alterius Reipublicae alias amicae manus iniiciat populus aliquis, hoc non belli proprie, sed Repressaliarum nomine venit, <sup>3</sup> quamvis profecto, et hoc ius a iure belli derivetur; et ipsiusmet executio, exercitiumque facile det occasionem belli. Hinc procedit, quod repressaliae non a quovis privato ipsiusque arbitrio, sed ex decreto summorum imperantium fieri debent: sicuti etiam quod non ulterius extendi possunt, quam ut civi nostro, cui ius denegatum est, satisfiat.

Iustitia huiusce iuris ex eo apparet, quod imperans tenetur civium suorum iniurias vindicare ac reficere. Nam cives omnes in eius persona proprias vires ac voluntates deposuerunt, hac propemodum conditione ac pacto tacito vel expresso, ut ipse eos ab externis internisque insultibus defendere ac praecavere vellet. Id quod minime faceret, nisi particularem civem a subdito alterius imperantis iniuriatum

<sup>1</sup> Vide Burlemaq. *Polit.* l. 2. cap. 7.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8 cap. 6. §. 19.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 6. §. 13.

tum laesumque per ius repressaliarum indemnem ac satisfactum redderet. <sup>1</sup>

XXII. In reliquum cum in statu naturali, uti supra ostensum fuit, <sup>2</sup> defensionis ius tantisper dureret, dum hostilem animum inimicus nondum deposuit, illum vero hunc non videtur deposuisse, qui eo se adduci non potest, ut nobiscum redeat in gratiam, atque iniuriarum satisfactionem praestet, sed quasvis honestas pacis condiciones recusat, iniuria sane non fit victo, si persequatur ius suum victor, donec ille debellatus sit, et extra statum sit positus, ut non amplius ipsi nocere valeat. In eumque Imperium etiam vindicari potest ac tandiu exerceri, donec vel iniuncta pace certi quid conveniatur, vel populus vi oppressus, re nondum composita, se se in pristinam libertatem restituat, vel a priore imperante sub antiqua Reipublicae forma ac dominatione remittatur. Quo in casu aequissimum est, ut urbes, provinciae, gentesque restitutae gaudeant iure postliminii: ac proinde in omnia iura ac dominia adhuc extantia, quibus antea potiebantur, veniant et admittantur.

Haec fuerunt dicenda de bello, quod statim hac finiri decet, cum honestae pacis condiciones proponuntur. <sup>3</sup> Nam hoc decorum, utile, tutum non minus

<sup>1</sup> Hoc ius antiqui omnino ignorarunt, adeoque etiam nomine, quo illud exprimerent, caruerunt. Iustitia huiusce, ex iure belli derivatur. Vide Bynker. *Quaest. I. iuris publ.* l. 1. 24. et Hestium ad Puffendorf. l. 8. cap. 6. 16.

<sup>2</sup> Lib. 1. cap. 7. §. 10.

<sup>3</sup> Optime Cicero de offic. *Bellum ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quaesita videatur.*

nus victo, quam victori apparet: <sup>1</sup> *Ampla, et speciosa danti pax est, et sane melior ac tutior sperata victoria, illa in tua, haec in Deorum manu est, uti optime advertit Livius.* <sup>2</sup> Concludam ergo hoc nimis in longum productum caput, Dominum nostrum ardentem precando, ut super populos ac Principes infundat cogitationes pacis et charitatis semper, non afflictionis ac belli, <sup>3</sup> a quo tot calamitates, mala, populorumque eversiones promanant. Vnde licet arguere, quod status belli est contra statum naturae hominum, quae ad ipsorum conservationem unice intendit, atque adeo ad pacem eos conciliat ac ducit. <sup>4</sup>

## CAPUT X.

### DE FOEDERIBVS ALIISQVE TRACTATIBVS

#### Populorum.

#### I. Ad securitatem Reipublicae foedera quoque,

Hhh

pa-

<sup>1</sup> Idem Cicero: *Mea quidem sententia, paci quae nihil habitura sit invidiarum, semper est consulendum.* De offic.

<sup>2</sup> Cib. 36.

<sup>3</sup> Ierem. cap. 24.

<sup>4</sup> Hinc optime Wolfius animadvertit *Instit. iur. nat. P.4. §.1125.* Quod cum gens nulla alteri iniuriam facere debeat, quippe quia ad invicem in statu aequalitatis ac libertatis naturalis sint (uti iam supra et nos monstravimus cap. 1. §. 15.). hinc venit, ut gentes pacem inter se colere obligentur, utpote cum sit iuxta naturalem statum hominum constitutio, ita ut si eadem abrumpatur per malitiam hominum, obligationi suae naturali satisfacere volentium, statim ac satisfactio consecuta est per bellum, eadem recomponi ac repristinari debet; posteaquam quisque particularis, ac gens in constitutione conveniente naturae, quae est constitutio pacis, quando aliorum iniuriae ac laesiones ad bellum non vocent, se ponere debent.

pactaque, et societates quae cum aliis populis contrahuntur, apprime conferunt, utpote etiam ad bellum finiendum, pacemque firmandam. Ideoque inter iura maiestatis transeuntia etiam ius pangendi tractatus et foedera enumeratur. Per haec autem intelligimus conventiones gentium liberarum de rebus ad utriusque, vel alterius Reipublicae utilitatem pertinentibus. <sup>2</sup> Ex qua definitione facile quisque deducere potest, horum tractatum ac foederum, alia esse aequalia, in quibus par est omnium paciscentium ac confoederatorum conditio ac ius, alia inaequalia, in quibus non par et aequum ius omnibus tribuitur, sed alius foederatus deteriori, alius meliori conditione constat. <sup>2</sup> Id quod tum ratione praestandorum, tum ratione modi praestandi provenit.

Ita ergo saepe foederatus valentior minus valenti, minorique potentia praedito subsidia pecuniaria, vel certum copiarum vel navium numerum ac com meatuum summam quantitatemque promittit, tempore quo nihil vel parum sibi restipulatur. Et tunc quidem inaequale est foedus ratione praestandorum. At saepe foederibus paciscitur etiam, ne una Respublica classem habeat permanentem certo in mare, ne transmittat milites per regionem alterius, ne fabros habeat illius materiae, ne commercium exercent, ne bellum iniussu alterius faciat. Quae omnia foedera,  
ac

<sup>1</sup> Hinc Cicero: *Salus populi paciscentis utilitasque aliqua, omnium foederum finis est.* De offic.

<sup>2</sup> Digg. l. 49. T. 15. *Sive aequo foedere in amicitiam venerit populus, sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservet.*



ac tractatus inaequales dicuntur, ratione modi prestandi; siquidem alter paciscentium alterius veluti in dependentia constituitur. <sup>1</sup>

II. Et quoniam gentes liberae de rebus omnibus, quae ad unius vel utriusque salutem spectant, pacisci queunt, hinc venit, ut et ea, ad quae iam ante ex iuris naturae praecepto obstringebantur, sibi ad invicem adstipulari possint Respublicae. Quae foedera, simplicia ac amicitiae vocantur, ad differentiam aliorum, quibus aliquid promittitur, ad quod praestandum populus paciscens non tenebatur: quae foedera singularis praestationis <sup>2</sup> dicuntur. Et profecto nec priora supervacanea sunt, siquidem alia non datur ratio, alterum populum, ad praestanda officia humanitatis, perfecte et quoad forum externum, ut aiunt, obligandi, quam per pacta: et praecipue cum propter bellum, humanitatis officia et amicitiae interrupta prorsus fuerunt. Nam tunc per conventiones haec renovari ac repromitti solent.

Ex dictis colligitur facile, minus accurate Grotium, <sup>3</sup> ad foedera simplicia referre pacta de commerciis, mutuoque hospitio inter gentes inita. Posteaquam ex solo iure naturae hospitium non deberi, extra casum necessitatis, evidenter patet, ut iam supra monstravimus. <sup>4</sup> Commerciorum vero officia, quamquam ab aliquibus ex iure humanitatis ac amicitiae de-

Hhh 2

bi-

<sup>1</sup> Ita Cicero in Verrem l. V. Sustulisti ius imperii Missinensium, inerat in illo foedere societatis, quasi quaedam nota servitutis.

<sup>2</sup> Vide Heinecc. Elem. iur. nat. l. 2. cap. 9. §. 208.

<sup>3</sup> De iure bell. l. III. cap. 15. §.

<sup>4</sup> Cap. I. §. 15. Vide Schilterium De iure hospitii. Dis. 2.

bita sustineantur, nos contrariam propugnamus sententiam, quam valide tuetur Iacobus Mascovius sua singulari Dissertatione. <sup>1</sup> Et revera quis cordatus homo neget, in cuiusvis Reipublicae summorumque imperantium, arbitrio esse, cum unaquaque gente instituere commercium vel non? Id quod sane nefas foret, si iure humanitatis, omnibus ubique terrarum idem commercium apertum ac liberum manere deberet. Atque equidem non ne Angli ab Hispanis Americarum gentium commercio, superioribus annis, absque piaculo exclusi fuerunt? non ne Batavi idem faciunt, omnes prohibendo a Cheilani, suarumque aliarum Indarum regionum commercio, absque ulla hominum iniuria propemodum, lamentatione ac querela?

III. Praeterea cum aliud alicui genti utile esse possit tempore pacis, aliud tempore belli; ideo sequitur, ut alia foedera referantur ad pacem, alia ad bellum. Et quoniam, quam maxime interest Reipublicae, se pace stabili et diuturna frui, ex qua cives quam uberrimum fructum utilitatesque innumeras capiant; hinc venit, quod haec firmari solet foederibus, quae fideiussoria vocantur, quibus revera pacis pacta ac tractatus inviolabiliter observatos fore, paciscentes promittunt; <sup>2</sup> auxilium deinceps spondentes parti laesae, adversus resilientes ab eodem tractatu.

Hi autem sponsores pacis appellantur, <sup>3</sup> circa quos quae-

<sup>1</sup> *De foeder. commerc. inscripta.*

<sup>2</sup> Hoc autem, quisque intelligit, promittere pro aliis, utpote et fideiussores solent.

<sup>3</sup> Qui sunt fideiussores, cautionesque proprie pacis, ad differentiam eorum de quibus §. 9.

quaestio movetur, an qui pro pace tuenda spon-  
derunt, ad ineundam belli societatem obligati sint,  
ex quacumque causa pacis pacta non adimpleantur?  
Puffendorfius recte respondit negative, <sup>1</sup> si ex nova  
causa pax rumpatur. Nam sicuti civilis fideiussio est  
stricti iuris, ita ut qui hanc fecit, non teneatur ultra  
id, ad quod expresse se obstrinxit; unde omnino ab-  
surda esset praetensio creditoris, qui a fideiussore re-  
peteret debitum, quod post fideiussionem debitor prin-  
cipalis contraxit; sic iniusta prorsus evaderet postu-  
latio Principis vel Reipublicae exigentis, ut pacis  
sponsor bellum susciperet, quod nova ac posterior  
causa excitavit. Id quod tamen dicendum est, si ex  
pacti clara expressione contrarium non appareat: <sup>2</sup>  
quae clausula sane a Puffendorffio haud erat omit-  
tenda.

Pax vero, docente Grotio, <sup>3</sup> tunc rupta cense-  
tur, cum aliquod factum est vel contra id, quod om-  
ni paci inest, vel contra id, quod pacis legibus ex-  
pressum fuit, vel demum contra id, quod ex cuius-  
que pacis natura ac essentia debet necessario intel-  
ligi ac deduci. <sup>4</sup> Contra primum fit, si vis bellica in-  
feratur, nimirum ubi nulla nova subest causa: con-  
tra secundum, si quod expresse prohibitum vel prae-  
ceptum fuerit, feceris vel non. Contra tertium tan-  
dem, si quae contra amicitiam sunt, et contra ea,  
quae indissolubili vinculo cum pace ligantur, a po-  
pulo agantur. Verum est tamen, hanc materiam in-

nu-

<sup>1</sup> De iure nat. et gent. l. 8. cap. 8. 7.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>3</sup> De iure bell. l. 3. cap. 20. 25.

<sup>4</sup> De pace autem vide §. 11.

numeris difficultatibus quodammodo implicatam esse, quas prope impossibile est generali regula definire.

III. Foedera etiam contrahuntur, tractatusque de munimentis novis extruendis vel non extruendis, de praesidiis nostris in munimenta quaedam, tuendorum finium causa, admittendis, de subditis militibus fugitivis non recipiendis, de receptu hostibus haud dando, et similia. Vti etiam commerciorum causa, negotiationum, maritimarum navigationum per varios populos, societates foederaque adstipulantur ac contrahuntur. Sic profecto Batavi cum Indis aliquibus populis, Chinensibus, Iaponis commerciorum tractatus inierunt, quorum causa ipsi soli cum illis populis commercantur, mercesque ab ipsis reportant. Ita Hispaniae, Galliae, Angliaeque tractatibus plenae sunt collectiones diplomaticae, ut videre est ex Codice Leibnitii, atque ex Collectionibus Lünigi, Mabillonii ac Balutii. <sup>1</sup>

V. At et tempore et causa belli varia foedera, propter utilitatem suam, gentes liberae pangunt: haec vero et cum amicis populis et cum hostibus ipsis. Cum illis paciscitur, de iungendis adversus communem hostem viribus, de militum extractione facienda, de comneatuum praestatione, de libero transitu per territorium, de modo tractandi belli, de eo non interrumpendo, de neutralitate servanda, <sup>2</sup> et de simili-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>2</sup> Neutralitas etiam species foederis est, quae ille status dicitur, in quo aliquis tertius belligerantium parti adhaeret, et consequenter bello se se non immiscet. Quamvis vero vi libertatis naturalis, genti unicuique ius sit, in bello aliarum gentium neutrali-

libus. Cum his conveniri solet, modo super tributis pendendis, super dedendis urbibus, reficiendis expensis damnisque, super mortuis sepeliendis, modo de captivis redimendis commutandisque, modo de induciis brevioris vel longioris temporis concedendis.

Circa has Grotius<sup>2</sup> quaerit, a quo momento incipiant; nam duo sunt genera terminorum: unus intra, ut cutis terminus est corporis, alius extra rem, ut flumen terminus terrae. Est magis naturalis, ut terminus sumatur, qui pars sit rei. Si tamen post diem constitutus sit terminus, Grotius idem definit, diem illum non comprehendi in termino. Verum Puffendorffius<sup>3</sup> contrariam sententiam tuetur, at cavillose nimis, ut mihi videtur. Nam si clare ab expressione tractatus diem non includi percipitur, nequeo videre, qua ratione fultus Puffendorffius voluerit, illum in eodem tractatu recludi. Extra talem casum clarae expressionis, Grotius quoque diem ipsum enunciatum in termino occludi sustinet.<sup>4</sup>

## VI.

tatem servare; ut tamen ius perfectum acquiratur ad hanc, foedera cum belligerantium vel uno vel utroque, prout casus fert, pangi solent. Haec autem foedera proprie neutralitatis nomine vocantur: quae in eo consistunt, ut qui medius in bello esse vult, nolit partem adversam, utpote neque paciscentem, in bello iuvare, ipsius vero paciscentis nullo modo impedire motus. In iis etiam conveniri potest de aliis, quae pars utraque e re sua esse iudicaverit, ad quae postea religiose servanda, utraque sane pars obligatur. Vide Wolf. *Instit. iur. nat. et gent.* Pars III. §. 1181. et meum Puffendorff. l. 8. cap. 6. §. 7.

<sup>1</sup> Vide Buddaeum *Philos. pract.* P. 1. cap. 5. §. 10.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 3. cap. 21. 2.

<sup>3</sup> *De iure nat. et gent.* l. VIII. 7. 8.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorff. loco citato nota 1. ubi Grotium defendo.

VI. Deinde utilitas illa, ob quam foedera pacisci solent, vel respicit personam imperantis tantum, vel totam Rempublicam populumque: inde procedit, quod foedera alia personalia dicuntur, alia realia. Atque illa cum persona expirant ac finiunt: haec extinctis etiam Populi Rectoribus, qui illa contraxerunt, adhuc durant.

Ex hisce elucet clare, foedera omnia, quae ad Principem, familiaeque statum suae referuntur, personalia esse: quae vero ad ipsiusmet populi utilitatem pertinent, realia esse. In dubio tamen semper foedus reale est reputandum, ut Barbeyraccius scite notat.<sup>1</sup> Ceterum non minus ex verbis, quam ex mente convenientium aestimandum est, utrum in rem, aut in personam pactum factum fuerit. *Plerumque enim, ut et Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat; sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est: regula est Iuris Romani.* Praeterea animadvertere oportet, quod non omnia foedera realia necessario perpetua sunt, sed quaedam eorum etiam concipiuntur ad tempus, quaedam in perpetuum, quod ex formulis tractatum desumi facile poterit.<sup>3</sup>

VII. Id quod Reipublicae utile est, et sociis foederatisque illius Reipublicae prodesse decet: ac proinde foederibus, non modo nobis, verum etiam sociis ac foederatis anterioribus consulere solemus, sive illorum generatim fiat mentio, sive speciatim ipsi exprimantur.<sup>4</sup> Vbi res ipsa docet posteriore casu, non ad

<sup>1</sup> Ad Puffendorf. l. 8. cap. 9. §. 6. num. 1.

<sup>2</sup> Digg. de pact. l. 2. T. 15.

<sup>3</sup> Vide Puffendorf. ubi supra.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 7.

ad alios extendenda esse foedera, quam ad eos qui nominati sunt: priore vero, illa prodesse omnibus, qui tempore foederis socii fuerunt, non illis, qui postea adsciti sunt, cum pacta ad ea, de quibus non est cogitatum, minime extendi ac dilatari possint. <sup>1</sup> Tractatus inter Romanos ac Carthaginenses initus, tempore belli Tarentini, mirabiliter ad hunc locum illustrandum inserviet. <sup>2</sup> Quod si nulla sociorum mentio in foedere facta sit; perspicue apparet, in eodem illos minime esse comprehensos, nisi contrarium evidenter ex ipsa natura foederis resultet ac constet.

Hic quaestio moveri solet, si varii confoederati sint, qui auxilium iuxta tractatus poscant, <sup>3</sup> quis eorum praeferri debeat, si omnibus simul subsidium praestari nequeat? Et respondemus, illum esse praefendum, cum quo prius foedus contractum fuit. Nam omnes tractatus hanc tacitam conditionem continent; si exsequi poterunt. Cum ergo in casu supposito non sit possibile omnibus tractatibus satisfacere; rationi consonum est, ut prior in tempore ac iure adimpleatur. <sup>5</sup>

VIII. Quandoquidem ius pangendi foedera inter iura maiestatis transeuntia recensetur; clare patet ea tantum gentes liberas ac imperantes contrahere posse, vel qui ab ipsis, ut paciscerent, destinati fuerunt.

III

Qua-

<sup>1</sup> Digg. l. 50. T. 17. *Qui cum alio contrahit, vel est vel debet esse non ignarus conditionis eius.*

<sup>2</sup> Vide Polib. l. 3. cap. 26.

<sup>3</sup> Vide Dissertat. Buddaei *De comparatione obligationis.*

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 9. §. 5.

Quare quod Ministri summae potestatis, sive Princeps tertius sine mandato promiserunt, ratihabitione non secuta, non foederis, sed sponsionis nomine venit. Hinc certum sane est, Rempublicam non obstringi, ut ratum habeat pactum iniussu suo ictum. Vtpote indubitatum quoque est, Ministrum, Reipublicae, quae cum pactus est, ad satisfactionem praestandam, esse obligatum. <sup>1</sup> Haec autem obligatio Romanorum Ministrorum ac Officialium, ex illius Populi faeciali iure, in eo consistebat, ut tales imprudentes Ministri revictis in tergum manibus, dederentur Populo paci-scenti, quoties eorum tractatus non confirmabantur.

In Historia Romana duo celebria exempla harum sponsionum extant, <sup>2</sup> quarum una dicitur sponsio Caudina, alia Numantina. Et primam quidem, qua Posthumius Consul et alii Duces, exercitum ex furculis Caudinis, Samnitumque manibus liberarunt, tum irritam esse asserebant Romani; quemadmodum ipsi, nec ratam se habere secundam, nempe Hostilii Mancini, parum quidem nominis sui dignam, pactionem cum Numantinis factam, unanimiter proclamabant, eo quia utraque conventio non iussu Populi facta fuerit. Et sane utroque casu Romani de rigore, uti revera fecerunt, restituendo Consules adstipulantes, quorum fidem Samnites ac Numantini tam facile sequi volebant, ad eorum omnem obligationem satisfecerunt. Verumtamen non est dubium, quod de aequitate, Romani ipsi ambos illos tractatus confirmare debuerant: quip-

<sup>1</sup> Hi autem distinguendi sunt a fideiussoribus, cautionibusque de quibus §. 3. egimus. Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 9. §. 12.

<sup>2</sup> Vide Livium l. 9. 8. et l. 55. 15.



quippe tacita conventionione omnia concessa Praefectis ac Ducibus reputentur, sine quibus periculo se expedire, vel exercitum, Provinciam, Rempublicam praeservare nequirent. <sup>1</sup>

VIII. Ceterum facile percipitur, nihil interesse, an gentes cum quibus paciscimur sint nostrae, vel alterius religionis: quia quemadmodum privato minime nefas est, cum alio a Religione sua alieno adstipulari ac contrahere; ita nec Reipublicae ac ejus Rectoribus vitio verti poterit, si ipsi cum infidelibus, vel haereticis paciscantur, <sup>2</sup> quandoquidem hoc Reipublicae commodum ac utile poscit. <sup>3</sup> Neque iure divino, quidquam circa hanc veritatem rectae rationis principiis suffultam, variatum esse, erudite ostendit Grotius. <sup>4</sup> Nemo enim ignorat foedera Abrahami cum Anero, cum Abimelecho, <sup>5</sup> Davidis cum Achiso Philistaeorum Rege, <sup>6</sup> Salomonis cum Hyeromo Tyrriorum Rege; <sup>7</sup> qui omnes Populi, infideles et Moisaicae legis aperti contemptores fuerunt.

Denique cum foedera sint conventiones, sequi necessario par est, ut omnia, quae supra de pactis di-

lii 2

xi-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 9. §. 12. num. 4.

<sup>2</sup> Vide Buddaeum ubi supra §. 11.

<sup>3</sup> Optime Wolf. Instit. iur. nat. P. 4. §. 1123. advertit: *Quod sicuti officia gentis erga gentem non supponunt identitatem Religionis, sed in humana natura fundantur, inde ob diversitatem Religionis gens alteri officia humanitatis, quae gens genti debet, denegare non potest; multo minus ista diversitas Religionis liberare potest ab obligatione contracta per pactum et conventionem.*

<sup>4</sup> De iure bell. 2. 15. 9.

<sup>5</sup> Genes. XIII. 13.

<sup>6</sup> Samuel. XXVII.

<sup>7</sup> Reg. I. 12.

ximus, etiam circa foedera habeant usum, scilicet ut nihil foederibus sanctius debeat esse, nihil detestabilius horum infractione. <sup>1</sup> Sed quia nulla societas alienam utilitatem suae praeferre tenetur; ideo omnis confoederatio pactumque populorum, hanc tacitam exceptionem continere videtur, si nempe absque proprio periculo ac perditione adimpleri poterit. <sup>2</sup> Nam si E. G. populus confoederatus ipse bello prematur, ad bellum suscipiendum pro socio nullo modo obligari quiverit.

Hinc venit etiam, quod foederum conventionumque publicarum materia, utpote et pactionum privatorum, esse possunt tantum res honestae ac licitae. Siquidem facta improba in pacta deduci nequeunt: ritus vero foederum varii sunt pro varietate temporum ac populorum. Idem tamen ubique finis: nimirum ut obligatio nascatur, qua pacta exsequantur. Hodie per scripturam, subscriptionum utriusque populi vel imperantis, sigillorum appensionem, adiecto iuramento corporali, ut vocant, sanciri solent: sed haec non sunt de essentia foederis, neque a iure naturae vel gentium praescripta. <sup>3</sup>

X. Hactenus de foederibus in genere egimus, quorum cum nobilissima species sit pax, pactumque quo bella inter gentes terminantur, ideo de pace

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Ita ut ne quid insidiosae, ne quid simulate ac dolose agatur in foedere.* De offic.

<sup>2</sup> Hac sane ratione fultus Franciscus I. post tractatum Madriti habitum cum Carolo V. dicebat: anteriorem esse obligationem sui iuramenti praestiti Populo, ipsomet tractatu. Vide Guiciardium in *Histor.* l. 17.

<sup>3</sup> Vide Bienfeld. *Politic.* P. 2. cap. 5. §. 13.

cè tractationem accuratiorem instituere decet. Et vera cum pax status sit Reipublicae ordinarius ac naturalis, <sup>1</sup> bellum status extraordinarius et praeternaturalis; quisque intelligere potest, imperantes ad hanc conservandam, illamque abruptam, quam primum reformandam, bellumque, statim hac ab hoste satisfactio ipsis data fuit, cessandum teneri. <sup>2</sup> Foedus vero pacis definitur, conventio inita inter gentes bello mutuo implicitas, qua controversiae per modum transactionis finiuntur. <sup>3</sup> Ex qua definitione patet, pacem omnem sua natura debere esse perpetuam; adeoque si solum ad certum tempus, quantumvis longum transigatur, non pax, sed induciae tantum dicuntur. <sup>4</sup> Ita enim nec controversia, quae gentes illas distrahit, finitur, et durat adhuc certandi propositum.

Nihilominus saepe huiusmodi induciae, pacis nomen temporariae capiunt, <sup>5</sup> quia interea non solum actus belli, sed et status belli plane videtur cessare. <sup>6</sup> Equidem si tempore earum durationis omnes hostilita-

<sup>1</sup> Quintil. Declam. 9. cap. 13. *Neque enim reperio, quid in rebus humanis excogitaverit praestantius natura, pace ac concordia.*

<sup>2</sup> *Pax optima rerum, quas homini novisse datum est: --- Pax una triumphis innumeris potior.* Silvius 11.

<sup>3</sup> Vide Grot. *De iure bell.* l. 3. cap. 21. §. 2.

<sup>4</sup> Induciae sunt conventiones, per quas bello manente, ad tempus bellicis artibus abstinendum est. Vide supra §. 19. et paulo post.

<sup>5</sup> Vtpote tractatum induciarum inter Ludovicum XI. Regem Galliae, ac Heduardum III. Angliae Regem initum anno 1481. sub hac conditione, quod ipse centum post annos primi eorum morientis durare deberet; quis dicet, paci expressae non aequivaluisse? Vide Comineum in suis *Memoriis* l. 6. cap. 7.

<sup>6</sup> Vide Baudium *De induciis bell.* Belgici pag. 103.

tates suspenduntur; perspicuum est eiusdem temporis spatio, bellum non amplius subsistere. Vti demonstrat fuse Puffendorfius, <sup>1</sup> illustratque rem recentioribus exemplis Hispanorum ac Lusitanorum, Suecorum et Danorum, Anglorum et Scotorum, Venetorum et Turcarum, qui ultimi vix aliter, quam ad certum tempus, de pace cum Christianis transigere solent.

Induciae ergo sunt status belligerantium, ex quo manente bello, bellicis actibus ad tempus ex conventionione abstinendum est. Duplices hae esse possunt, longiores, vel breviores. Nam dantur in horas, in dies, in annos. Tempore induciarum finito non opus est nova indictione belli. Posteaquam sublato impedimento, ipso iure exserit se status belli non mortuus, sed sopitus; uti profecto accidit de usu domini, ac patriae potestatis in eo, qui a furore convaluit, nisi tamen pactis aliud fuerit praeventive conventum.

Induciae multis de causis inter belligerantes stipulantur; veluti tatione com meatuum procurandorum, militum reficiendorum a pugna, sententiae proprii Principis quaerendae ante deditionem faciendam. Hae solent fieri saepe etiam ad mortuos sepeliendos post certamen. Etenim hoc est officium, quod ex iure naturae mortuis debetur. Siquidem prorsus alienum merito videtur ab humanae naturae dignitate, corpus hominum lancinari sub divo ac proteri. <sup>2</sup> Hinc ius  
gen-

<sup>1</sup> *De iure nat. et gent.* l. 8. cap. 7. §. 4. ac Hertius ibidem in nota.

<sup>2</sup> Atque equidem mortuorum corpora habent prope essentiam ac formam omnino similem illiusmet nostri corporis. Qua de causa mortuos, quorum corpora prostant, partem aliquam hominis retinere di-

gentium, ratione suadente introduxit, ut gentes quoque belligerantes invicem inducias facerent, ad mortuos in bello sepulturae tradendos.

XI. Et quoniam pax conficitur per modum transactionis, uti ex ipsiusmet definitione patet; inde venit, ut fiat dato aliquo, vel retento, vel promisso, quemadmodum in transactionibus usuvenit. Nec in conditione pacis, aequalitas, utpote nec in transactionibus<sup>1</sup> requiritur.<sup>2</sup> Adeoque nec alteruter paciscentium iure conqueri potest de laesione; cum plerumque victor victori qualescumque conditiones imponat, saepeque accidat, ut hic duriores quasdam conditiones admittere, quam plane perire malit. Quae tamen duriores conditiones haud sunt confundendae cum cavillationibus, aut cum conditionibus acerbioribus inhumanisque, in quas nunquam consensit victus, et per quas ipse iure conqueri potest, sibi patientem iniuriam a victore fieri. Quarum in exemplo sit illa insignis Fabii Labeonis, quando cum Antiocho pepigerat, de tradenda media parte suarum navium Romanis, qui voluit omnes illius naves per medium des-

dicendum est. Vnde cum adhuc sint naturae humanae quodammodo participes, indignum fuerit ac prorsus inhumanum, et contra naturam, eos in belluarum praedam insepultos relinquere. Quare hic non est praetereundum, male a Grotio, ius sepulchrorum ad suum figuratum, (sane absque ullo fundamento rationis,) ius gentium voluntarium referri. *De iure bell.* l. 2. cap. 1. Vide meum Puffendorf. l. 1. cap. 3. §. 21.

<sup>1</sup> Vide l. 1. cap. 14. §. 3.

<sup>2</sup> Iason in leg. *Si quis Digg. De transactionibus* concludit ac firmat, per laesionem in transactionibus non dari exceptionem. Contra tamen stat Wesemb. *Parat. Digg. T. de transact.* §. 7.

dessecare, ut eundem Principem tota classe improba  
 machinatione spoliaret. <sup>1</sup>

Ex hisce arguere licet etiam, quod paciscentibus  
 durioribus quamvis conditionibus pacem, minime da-  
 tur exceptio metus. <sup>2</sup> Nam illa exceptio locum babe-  
 re nequit, si ius uni parti fuit, alteram propemodum  
 ad praestandum conficiendumque aliquid adstringen-  
 di cogendique. <sup>3</sup> Bellum autem inter gentes aequè  
 iustum est cogendi medium, ac iudicis auctoritas in-  
 ter eiusdem Reipublicae cives. Verumtamen hoc dici  
 debet de iusto metu ac indirecto, procedente nimi-  
 rum a bellicis actionibus, veluti ab urbis obsidione,  
 aggressionibus hostilibus, comneatuum penuria, cir-  
 cumvallatione exercitus. Aliud vero foret proferen-  
 dum, si timor iniustus, ac e directo illatus fuisset,  
 et non per bellicas operationes: quemadmodum si  
 Princeps hostium captus, cum ferro ac minis in il-  
 liusmet vitam intentatis, ad aliquam turpem aut da-  
 mnosam nimis conditionem pacis signandam compel-  
 leretur: tunc enim cum ille vi ac timore iniusto ad  
 hoc videretur inductus, et non per viam bellicarum  
 operationum, uti fas est; ad eandem conventionem  
 exsequendam minime teneretur, atque iusti timoris  
 exceptione uti posset, usque dum ex post facto illam  
 violentam conventionem non admitteret ac compro-  
 baret. Haec nostra decidendi ratio mihi videtur ac-  
 cu-

<sup>1</sup> Valer. Max. VII.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. *l. VIII. cap. 8. §. 1.* qui tamen nimis  
 generice quaestionem tractat, resolvitque a nobis in partes sup-  
 plerus.

<sup>3</sup> Cicer. de offic. *In bello viro forti vis adhiberi non potest; ideoque  
 talis exceptio beligeranti non datur.*

curatior, ac magis iuxta rationis ac iuris naturae principia, quam illa Grotii, Puffendorffii, Heineccii,<sup>1</sup> qui profecto vel nimis vage, vel parum recte quaestionem resolvunt.

Ceteroquin cum agatur de timore proveniente ab operationibus bellicis, nihil valet, quod bellum iniustum alter gesserit, ut hac de causa vim iniustam adhibuisse ipse victor videatur, victo durissimas condiciones extorquendo. Nam praeterquamquod iudicium de iustitia belli neuter belligerantium sibi iure adrogat, quippe in sua causa nemo iudex; condonasse postea omnino iniuriam illam videtur victus, dum cum victore transegit per pacis conventionem. Neque vero obligatio servandi pacta pacis, ex iustitia belli procedit; sed ex natura ipsiusmet pacti progerminat, quod dummodo sit licitum atque honestum, et modo debito adstipulatum, absque iniustitia praeteriri nequit. Hoc autem humani generis tranquillitas indispensabiliter postcit, et gentium consensus confirmat.

XII. Quaerunt etiam Grotius<sup>2</sup> et Puffendorffius,<sup>3</sup> an pax cum civibus rebellibus inita sit observanda? Et respondent affirmative. Nam cum pax componatur per transactionem, is vero, qui cum eo, a quo laesus est transigit, remisisse illi iniuriam censetur; sequi oportet, ut et imperantes, si cum subditis rebellibus transegerint de definiendo bello, et pacem firmaverint, iniurias illis remittere debuerint: adeoque pax illa, nisi ex nova causa belli, salva iustitia, re-

Kkk

scin-

<sup>1</sup> Vide *Elem. iuris nat.* l. 2. cap. 9. §. 219.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. III. cap. 19. 6.

<sup>3</sup> *De iure nat.* l. VIII. §. 2.

scindi nequit. Aliter tamen erit dicendum, si iustitia, ob insignem rebellium dolum, vel statum ac conditionem Principis paciscentis cum illis, nullo modo constiterit. Id quod quidem evenit Maximiliano I. Regi Romanorum, qui invitatus a Bugensibus in urbem, improba perfidia ac modo violento, ad condiciones satis turpes eum adegerunt; quas, tantum abest, ut Fridericus Imperator habuerit ratas, quin immo decerneret Machliniae in Procerum conventu, Maximilianum promissis illis nulla ratione obstringi, et populum illum, gravissimo reatu pollutum, ingenti poena puniendum. <sup>1</sup>

Si vero Princeps armis subditos rebellantes subiecit; non est dubium, quin illis condiciones quascumque, humanitate tamen ante oculos habita, imponere queat: verumtamen in hypothesi, quod Princeps cum suis violentiis <sup>2</sup> ac vexationibus eos ad rebellionem non induxerit. Nam si hoc esset, subditorum defectio nullam Principi rationem traderet, ob quam eos armis devictos ac superatos, conditionibus durioribus imperii coarctare posset.

XIII. Tandem concludamus, quod sicuti aliorum foederum leges, ita et illae pacis, summa Religione, scrupulositate ac sollicitudine servandae sunt: ac proinde et tempus promissum, intra quod illae implendae sunt, stricte interpretari, et nulla mora, praeter quam opus est ad executionem conventi, interponi debet. <sup>3</sup>

Et

<sup>1</sup> Vide Muller. *Theatr. Hist. in Maximiliano I. Act. 1. cap. 8. et Heineccium ubi supra §. 220.*

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 2.

<sup>3</sup> Vide Grotium ubi supra §. 25.



Et verba pacis explicanda adimplendaque sunt ad literam eo modo, quo nulla cavillatione, nulla interpretatione violenta, ac ultra conventum, nulla duplicitate utatur. Ideoque ab hisce tractatibus longe abeant retentiones mentales, intentiones sensus duplicis, callidae dissimulationes, et si quaedam alia, a male sanis Moralistis inventa, quae etiam a privatis conventionibus procul, multoque magis ab hisce publicis tam maioris momenti ac consequentiae, sunt amandanda.

Hae vero foederum leges, tam pacis quam belli causa factae ac conventae, non solum imperantes obligant, sed etiam subditos particulares quoscumque: unde hi non minus ac illi religiose has adimplere debent. Et quamvis iuramento foedera omnia tractatusque paciscentes confirmare soleant; nihilominus ad eorum integritatem constituendam eiusdem actus sanctitate minime necesse est; idcirco et iniurata pacta conventa absque piaculo negligi nequeunt.

XIII. Praeterea nemo non videt, mediatores, qui officium conciliandae inter belligerantes pacis in se susceperunt, et sponsores, qui uti supra exposuimus, veluti pro paciscentibus sponponderunt, et ex

Kkk 2

pa-

¶ Duas ergo esse horum sponsorum species, ex dictis patet. Alii enim Principes viri sunt, atque hi vel obligant se ad arma sumenda contra illum, qui pactum non acceptaverit, vel non. In primo casu Princeps huiusmodi, tenetur ad auxiliandum armis paciscentem, adversus illum qui a pactione deficit declinatque: non vero in alio casu, in quo ad nihil aliud obstringitur, quam ad conventa cum ipso paciscente. Alii privati sunt, et alii, utpote destituti iure belli, nulla alia obligatione colligantur, quam personali iuxta conventa.

pacto paciscentibus obligari. Nam cum illi in se receperint componendae pacis officium, etiam ad id, quod exigit idem officium, se se obstrinxisse censentur. Ex quo porro colligimus mediatorum esse, non uni parti favere prae altera; sed utriusque causam sine amore ac odio expendere ac patrocinari, et aequa quaevis ac utilissima utrisque suadere et proponere.

Sponsorum autem officium est dare operam, ut pacis legibus ex utraque parte satisfiat, et illi parti, quae contra illas laeditur, ope et consilio, quin et copiis promissis, si sponsor Princeps sit, et ad eas obligaverit se, contra fidei ab ipso datae infractorem, et pactorum contemptorem iuvetur ac subveniatur: id quod et de mediatore dicatur.

XV. Restat ut unum verbum faciamus de obsidibus et pignoribus, quae accessiones pactionum vocantur. Itaque obsides sunt personae, quae fidei publicae servandae causa, Principi, aut Duci exercitus hostium dantur oppignoranturque. Hi autem vel ultro et sua voluntate accedunt, atque in adstipulantis potestatem se ponunt, vel ab eo, qui imperium habet, solent dari. Priore vero casu ex suo consensu obligantur: posteriore ex conventionem inita inter imperantem suum et alterum, cum quo pax fuit conventa. Hinc desumi potest, non esse obsidibus utroque in casu permissum, fugere, quidquid in contrarium dicat Grotius, <sup>2</sup> neque Reipublicae suae, eos  
fu-

<sup>1</sup> Sunt ergo personae, quae in securitatem promissi, et debiti in manus Principis stipulantis traduntur. Vide Wolf. *Institut. iur. nat.* P. 4. cap. 5. §. 1151.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 3. 4. 14.

fugientes recipere. <sup>1</sup> Vnde iuste ac recte a Romanis poscebat Porsenna, ut Claeliam obsidem transfugam restituerent, aliter pro rupto, se foedus habiturum: atque adeo Romani, prudenter sane ac iuste, eandem restituere voluerunt. <sup>2</sup>

Porro obsides non sunt pro servis aut bello captis habendi, neque illorum bona mortuorum, tanquam intestabilium, Fisco adiudicanda sunt, quamvis duro illo ac barbaro iure Romani uterentur; <sup>3</sup> immo tractari eos oportet cum charitate, conniventia ac urbanitate, tanquam cives ac subditos amicae et paciscentis potentiae, quibus ius conversandi, contrahendi, ac testandi competat. Atque equidem, eorum obligationem cum persona extinguere, usus gentium ac ratio reposcit: ac proinde uno obsidum mortuo, alium subrogare non tenetur populus, qui eum tradidit; neque si de eorum pretio conventum fuit pro redemptione, amplius illud debetur. <sup>4</sup>

Pace vero abrupta ex parte tradentium obsides, non est dubium, quin liceat populo, qui obsides tenet, eos in vinculis habere, et bonis spoliare. Sed minime fas est, eosdem occidere velle, neque de iure externo, uti male autumat Grotius. <sup>5</sup> Nam obsides dantur tantum ad cautionem, cum patriae atque alicuius partis libertatis amissione; non autem cum eorum vitae periculo ac sacrificio, uti iam fuse mon-

tra-

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra §. 6.

<sup>2</sup> Liv. 2. 13. 3.

<sup>3</sup> Digg. De iure Fisc. l. 31.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorf. ubi supra.

<sup>5</sup> De iure bell. l. 3. 20. § 2.

stravimus in nostro Puffendorffio <sup>1</sup> contra tam illustrem auctorem.

Hic quaeri quoque solet, si obses sit datus in unam causam, an possit retineri in aliam? Et negative respondetur. Nam obsidum obligatio odiosa profecto est, ideo stricte interpretanda. Verum si fides iam violata sit, retineri poterit non ut obses, sed iure repressaliarum. Quod tamen ne accidat absque iniuria, caveri potest, adiecto pacto expresso de reddendis obsidibus, ubi id, cuius nomine dati erant, impletum fuerit. Quo etiam in casu obsidi ius aufugendi competit. <sup>2</sup>

Hoc eodem loco quaeritur etiam, si Rex, qui foedus inivit, mortuus sit, an adhuc teneatur obses? Et respondemus, si foedus fuerit reale, obses adhuc tenetur; si fuerit personale, non tenetur. Nam accessorium sequitur naturam principalis; adeoque si foedus personale resolvitur per mortem personae paciscentis, etiam obses datus in illius firmamentum et accessorium, cessabit ac finietur. Id quod contra accidit in foedere reali: <sup>3</sup> hoc enim cum et post imperantis mortem perduret, et obses in eadem obligatione remanet.

XVI. Quod ad pignora spectat, quae in rebus consistunt, veluti gemmis, terris, oppidis, regionibusque, quae in manus remittuntur illius, cum quo paciscitur, ad foedus conventionemque firmandam; <sup>4</sup> haec nunquam redimi queunt, nisi termino spirato,

ac

<sup>1</sup> L. 8. cap. 8. §. 6.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorff. ubi supra.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorff. ubi supra.

<sup>4</sup> Vide meum Puffendorff. ubi supra §. ult.

ac adimpletis conditionibus, sub quibus tradita fuerunt. Omnes auctores postea tenent affirmantque, nullum tempus efficere posse, ne luitio sit pignoris, si id praestetur, pro quo pignus suppositum ac datum est; nisi particulares circumstantiae, certaeque coniecturae aliam interpretationem exigant suadeantque: uti si creditor, cum pignus luere valeret, luere neglexerit, et tam longo tempore, quod ad cessionis voluntariae coniecturam sufficere videatur. <sup>1</sup>

## CAPVT XI.

## DE LEGATIS ET INTERNVNCIIS.

I. **C**um foedera conventionesque populorum per Legatos ac Internuncios pacisci soleant; ideo conveniens est, ut eorum missio inter transeuntia iura imperantium recenseatur, atque adeo ut de his pauca, sed quae ad rem nostram sufficiant, verba facere oporteat. Legatus est Minister publicus, a summa potestate ad aliam similem potestatem missus, ut negotium sibi demandatum nomine mittentis proponat et tractet. <sup>2</sup>

Cum ergo Legatus ab imperante emittatur, ad vicem

<sup>1</sup> Nam publica tranquillitas poscit, ut temporis immemorabilis praescriptio, etiam quoad regionum principatuumque iurisdictionis acquisitionem, detur ac admittatur a populis. Hoc ius naturae vult ac conciliat, utpote omne illud vult ac conciliat, quod ad pacem tranquillitatemque populorum procurandam confert. *Vide l. 1. cap. 12. §. ult. nota.*

<sup>2</sup> Vide Grotium *De iure bell.* l. 2. cap. 18. §. 1.

cem munusque suum fungendum, et ad gerendum aliquid suo nomine; consequens est, ut omnibus Legatis eadem fides atque iidem respectus debeantur, qui eorum Principi conveniunt ac spectant; adeoque omnes, sancti etiam et inviolabiles sunt reputandi, utpote sunt ipsi Principes. <sup>1</sup>

Sed cum non omnes eadem solemnitate <sup>2</sup> et iisdem caeremoniis recipiantur; factum est, ut dividantur in Legatos cum caractere repraesentativo, et eos qui principalem suum, ratione honoris ac praecedentiae profecto non repraesentant; atque adeo alii Legati primi ordinis dicuntur, alii secundi ordinis, qui Ablegati communiter vocantur. Licet haec vocabula aliquando promiscue utantur, ac parum accurate ab aliquibus confundantur; haec tamen distinctio usum habet maximum ratione praecedentiae ac receptionis. Nam Legatus primi ordinis praefertur semper Legato secundi ordinis. Sic Rex Galliae Viennam mittit Legatos secundi ordinis, quia Legatus Hispaniarum Regis in Imperatoris aula ipsiusmet primi Regis Legatis praefertur. <sup>3</sup>

Praeterea usus introduxit quoque tertiam horum Ministrorum speciem, qui negotiorum gestores, commissi, agentes dicuntur: utpote et consules, qui cau-

sa

<sup>1</sup> Optime Cicero: *Nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolumis versetur.* In Verrem l. 1.

<sup>2</sup> Vide Vicquefort *De legatis* l. 1. et Vattel *Ius gentium* l. 4. cap. 6.

<sup>3</sup> Vide Vitriarium *Instit. iuris nat.* l. 2. cap. 18. §. 2. Character vero horum Ministrorum ex litteris credentia libus suorum Principum pendet atque resultat,

sa commercii in locos portuum mittuntur, ad tractanda mercatorum negotia, et suorum populorum res in illis portibus protegendas, utilitatesque promovendas. Hi omnes tertii ordinis Ministri appellantur, qui non fruuntur distinctionibus ac dignitate sane Legatorum, atque Ablegatorum; nihilominus Ministrorum caractere potiuntur, et protectione iuris gentium, atque inviolabilitate gaudent.

II. Hic quaeri solet, a quo iure proveniat ius mittendi Legatos? Et respondemus a iure naturae. Nam cum Deus per rationis dictamen imponat Principibus, populisque universis pacem ac societatem servare, et colere inter se se, et cum pax et societas inter populos Principesque absque Ministrorum huiusmodi interventu ac ministerio conservari ac recoli commode nequeat; <sup>1</sup> quippe quia populi ac Principes nisi per Ministros ad invicem tractare non possunt; clare patet, quod tales Ministri, uti a iure naturae praescripti comprobantur sunt reputandi. <sup>2</sup>

Et quoniam sine eorum admissione ac inviolabilitate huic officio vacare Legati non valent; hinc sequi oportet, ut etiam per ius naturae Legati admitti debeant, et admissi, ut inviolabiles ac sancti sint aestimandi. Verumtamen causae aliquae dantur, quibus et recusare licet Legatum, ante quam ipse admittatur, et admissus inviolabilitate non amplius fruitur, sicuti paulo post monstrabimus. Hoc in loco tantum animad-

LII

ver-

<sup>1</sup> Et multo minus haec abrupta absque eorum medio recomponi potest.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 10. §. 1. num. 1. Vide etiam Buddacum *Phil. pract.* P. 2. l. 4. §. 19.

vertere decet, quod caeremoniae, solemnitates, obviations, et hospitii iura specialia, veluti ut Legati vivant expensis eius Principis, ad quem mittuntur; haec omnia ab arbitrio ac voluntate populorum omnino pendent. <sup>2</sup>

III. Ex dictis ergo conicere licet, quod iis ius competit mittendi Legatos, qui summi imperii sunt compotes inter se; <sup>3</sup> quia hi soli ius habent tractandi de iis negotiis, quae ad pacem ac societatem pertinent, et ab ipsorum persona, tantum et sanctitas et securitas Legatorum derivari potest. <sup>4</sup> Inde provenit, quod Nuncii Provinciales, Municipales, seu Commissi, qui mittuntur a Vice-Regibus, Praesidibus; vel Ducibus belli, non iuribus Legatorum specialibus, sed solum illis iuribus potiuntur, quae istis Maiestas, ad quam ipsi diriguntur, tribuere vult. Quippe civitates ac officiales huiusmodi, a quibus procedunt, minime supremam potestatem in Republica tenent. <sup>5</sup>

Qua de causa idem dicendum est de Regibus, qui bello iusto ac sollemni victi, regno exuti sunt. Nam hi cum aliis Regni bonis ac praerogativis, et ius legandi perdiderunt: siquidem non amplius repraesentant populum cui antea dominabantur. Haec eadem

ra-

- <sup>1</sup> Vt iure asylosum fruuntur, uti infra videbimus §. 8.  
<sup>2</sup> Vide Bynkershoëk *De foro Legatorum* cap. 5.  
<sup>3</sup> In Interregno, populo hoc ius competit.  
<sup>4</sup> Sint hi Principes, magni vel parvi status. Nam omnes Principes aequales sunt, quoad independentiam. Vide Vattel *De iure gent.* l. 4. cap. 6. §. 78.  
<sup>5</sup> Vide Vattel ubi supra cap. 5. §. 60. ubi tamen advertit, quod si civitates tenent ius armorum; et ius tractandi per publicos Ministros habere debent, independentem a Principe, a quo relevant; dummodo tamen nihil contra eum machinentur ac tractent.



ratio currit et de Principibus illis, qui regnum dereliquerunt, aut abdicarunt. Ii enim, cum nullum amplius ius retineant regni, etiam iure legationis deficiunt.

Multo minus postea rebelles populi habent ius mittendi Legatos, dum in rebellione durant. Nam hisce nullum iustae dominationis ius competere potest. Si tamen de innocentia sua docere velint, vel poenitentiam agere, ac pacem remittere ac convenire; eorum deputati repelli non debent, <sup>1</sup> ne remedia reconciliationis, excusationis, ac resipiscentiae ipsis adimantur. <sup>2</sup> Sic piratae praedonesque, quia populi proscripti sunt, neque civitatem formant, ius legationis non tenent. Verum fide eis data, ipsisque, tanquam populis in Republica constitutis, recognitis, ius huiusmodi nanciscuntur, ita ut eorum Legati nullo modo recusari possint. <sup>3</sup>

III. Duo igitur consideranda sunt circa Legatos: admissio et inviolabilitas. Quod ad admissionem attinet, illud teneri oportet, sine causa eos reiici non licere. <sup>4</sup> Causa autem haec procedere potest, vel ab eo, qui mittit, vel ex eo, qui mittitur, vel ex eo, ob quod mittitur. <sup>5</sup> Ex eo qui mittit, causa potest esse, uti si ille alterius, ad quem mittuntur, Legatos antehac reiecerit, aut si callida legationis simulatione et praetextu, ille cui Legatus dirigitur, occasionibus aliis deceptus fuerit, et nunc simile deceptionis

LII 2

ar-

<sup>1</sup> Vide Burlemaq. *Principia polit.* P. 4. cap. 15. §. 3.

<sup>2</sup> Vide Albericum Gentilem *De legatis* l. 2. cap. 2.

<sup>3</sup> Vide Buddaeum ubi supra §. 22. et cap. 5. §. 2.

<sup>4</sup> Vide Grotium l. 2. cap. 18. §. 3.

<sup>5</sup> Vide Buddaeum ubi supra cap. 4. §. 22.

artificium metuendi rationem habeat. Ex eo, qui mittitur, ut si odiosa fuerit Legati persona ob pravae atque intemperantes mores, <sup>1</sup> si crimine in Principem ad quem emittitur, commisso notata, si contumeliis antea eum prosciderit, si nulla habilitate in rebus tractandis sit praedita. <sup>2</sup> Ex eo tandem, ob quod mittitur, ut si aperte constet, Legatum non venire, ut agat id, quod palam profitetur, sed ut seditioes moveat, concitet populum; aut si non ex dignitate, aut temporibus conveniens sit, eum recipere, quia socii ac confederati ex hoc rationem diffidentiae atque alienationis caperent. Ceterum si sine iusta causa aliquis Princeps reiiciat alterius potentiae Legatos, peccat aperte non tantum contra officium humanitatis, sed naturae ac gentium ius violat; ita ut, ceteris paribus, haec possit esse iusta belli gerendi causa. <sup>3</sup>

— V. Quod vero ad inviolabilitatem spectat, cum Legatus subeat vicem Principis, a quo mittitur; consequens est, ut aequalis sit censendus illi, cui datur; et sic neutiquam cogendus erit, ut discrimen illius iudicii experiatur. <sup>4</sup> Et quemadmodum Princeps alterius territorium ingrediens, volente domino, quamdiu se hostem peregrinae illius Reipublicae non proficitur, eodem honore ac reverentia colendus est, ac si

<sup>1</sup> Verum si persona Legati non arridet ob aliquas qualitates non essentielles, haec haud erit causa sufficiens reiectionis. Vide Vicquef. ubi supra sect. 29.

<sup>2</sup> Vide Burlemaquium ubi supra §. 9.

<sup>3</sup> Vide Vicquefort *De legat.* l. 1. sect. 17. ubi huiusce exempla multa collegit et refert.

<sup>4</sup> Livius l. 2. cap. 4. *Et quamquam visi sunt commississe aliquid Legati, ut hostium loco essent, ius tamen gentium valuit.*

si apud suos ageret ; ita aequali modo et Legatus tractandus est , qui Principem repraesentat. Hinc est, quod Legati non fiunt subditi temporarii eius , in cuius territorio subsistunt , nec iure civili populi , apud quem vivunt , tenentur. <sup>1</sup> Ideo si delictum committat Legatus , si tale sit , quod contemni posse videatur , dissimulandum erit ; si vero non sit dissimulandum , aut a finibus , ut recedat , iubendus , aut si grave sit delictum , remittendus erit Legatus ad suum Principem , praemissa postulatione expromissioneque , ut eum puniat vel dedat. Quod si imprudens et minime aequus Princeps ille denegaret utrumque , tunc populus , apud quem agit Legatus , si in eum manus iaciat ultrices , reprehendi non poterit. <sup>2</sup>

VI. Si vero Legatus molliatur aliquid in statum Republicae , in caput Regis conspiret , <sup>3</sup> populum evidenter concitet ; tunc ille pro ratione delicti commissi puniri , atque etiam occidi poterit , non per modum poenae , sed per modum naturalis defensionis , tanquam hostis : modo crimen adeo sit manifestum , ut vel negari id nequeat , vel apertis convinci testimoniis possit. Multo magis hoc erit licitum , cum eum , de intelligentia sui Principis , talia operare ac procedere videatur. Verumtamen suspicionibus solis in re tam gravi minime agendum est , quae temerariae plerumque sunt ac aëreae. Vti ergo Princeps , quamdiu Principem gerit , non hostem , Maiestatem retinet , et san-

<sup>1</sup> Vide Grotium ubi supra §. 4. et 5.

<sup>2</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 10. §. 4.

<sup>3</sup> Livius l. 5. cap. 25. *Legati contra ius gentium conspirationes faciunt , et arma capiunt. Ideo a iure ipso protectionem tutelamque tali in casu praetendere nequeunt.*

sanctus est et inviolabilis ; uti e contra , si in hostem degenerat , in victoris potestatem arbitriumque redigi potest , atque expirat suum imperium Maiestasque , in relatione saltem eiusdem victoris ; ita et Legatus quamdiu pacem colit et probitatem , <sup>1</sup> sustinetque personam honesti Principis , ipse coli debet , atque ut Princeps tractari : dum hostis fit , hostili iure puniendus. <sup>2</sup>

Hinc quaestio promovetur , an transitus Legato dari debeat a populo tertio ? Et respondetur affirmative. Id enim humanitatis ratio , atque humanae societatis praeservatio consiliat ac vult. At populus ille non tenetur quidem ei impertiri honores ac distinctiones legationis ; posteaquam ad eum legatio non dirigitur. <sup>3</sup>

VII. Legati comites , ministri , famuli , resque mobiles , utpote accessoria Legati , sancta etiam atque inviolabilia reputantur , atque a nemine laedi possunt , neque sub iurisdictione Principis , ad quem venit Legatus , transeunt. Nam aliter Legatus minime independens ab illo Principe fuisset , uti par est. Itaque si quid comites gravius deliquerint , postulari a Legato poterit , ut eos vel dedat , vel puniat , non autem vi abstrahendi sunt a suis aedibus. Quod si dare eos , aut  
ca-

<sup>1</sup> Caeterum perfecti Legati en descriptio hisce verbis Vellei de M. Agrippa : *Vir inquit erat fide , labore , vigilia , periculo , integritate invictus , et per omnia extra dilationem positus.* pag. 101.

<sup>2</sup> Ita quidem , referente Livio l. 5. cap. 26. *Romani Legati ad Gallos missi , qui cum Clusinis Populis contra eos pugnarunt , prorsus charactere Legatorum exuerunt , deieceruntque.* Vide Vattel ubi supra cap. 7. §. 97.

<sup>3</sup> Atque ipse Legatus , ad se legibus ipsiusmet populi conformandum , usque dum in suo territorio manet , tenetur. Vide Wilyamozium in suis *Notis ad Vitriarium* l. 2. cap. 13. §. 11. num. 2.

castigare recuset ; eadem facienda erunt , quae supra de Legatis diximus, recurrendo nimirum ad suum Principem , ut vel ipse illos puniat , vel ad eosdem plectendos aut dedendos Legatum impellat. Si vero uterque negaret et ipse non est dubium , quin iure repressaliarum uti offensus populus queat , et denegatam iustitiam suo Marte reficere. <sup>1</sup>

Legatus quidem habet ius comites suos ministrosque puniendi : etenim ipse Principem agit ac repraesentat , qui nunquam est sine imperio. Itaque quemadmodum dominus territorii non posset , in ipsius Principis mittentis Legatum , comites , si praesens esset , animadvertere ; ita neque in comites Legati hoc idem ius exercere poterit , qui ipsum suum Principem refert , et tantam videtur consecutus iurisdictionem in suos , quanta requiritur , ad eos regendos , et ad legationis finem obtinendum. Nam in moralibus , qui dat ius ad finem , dat simul ius ad media. <sup>2</sup> Si tamen Princeps , qui Legatum mittit , hanc iurisdictionem punitivam expresse Legato suo denegaverit ; tunc delinquentes comites ad illum erunt remittendi , prius admonito Principe , apud quem Legatus ipse residet , ne eorundem suorum comitum delicta impunita remanere credat.

Verum si de poena mortis agatur , haec exsequenda minime videtur a Legato in sua habitatione ; sed reus damnatus , vel tradendus est Ministris Principis , apud quem permanet , vel cum ipsius scientia , suo naturali Principi remittendus , ut sententia mortis rei  
il-

<sup>1</sup> Vide Buddaeum ubi supra §. 26.

<sup>2</sup> Vide Zeiglerum *De iure maiestatis* l. I. cap. 32. §. 21.

illius exsequatur. Siquidem Legati iurisdictio usque ad hoc non extenditur, ut capite punire possit, independenter a Principe, in cuius territorio stat. <sup>1</sup> Hac de causa profecto magna contentio fuit transacto saeculo inter Lodovicum XIII. et Christinam Sueciae Reginam, quae Lutetiae March. Monaldeschium suum familiarem morte plectere voluit. Et revera nimis lubricum ac periculosum Principi esset, si quis tantam iurisditionem ac potentiam in suo dominio exercere praesumeret. <sup>2</sup>

VIII. Quod vero ad Asyli ius spectat, quod domui Legatorum solet tribui; hoc non est dubium, quin pendeat ex voluntate eius, ad quem Legatus missus est. Quare si ipse hoc concedat, illud habebit Legatus; secus si deneget. Asylum definitur, locus inviolabilis et consecrationis lege tutus, a quo confugientes sine summo piaculo evelli non possunt. <sup>3</sup> Ex hac definitione clare patet, quod tale ius minime necesse est, ut Legato competat, ad suas functiones exercendas. Ideoque hoc ab eo non potest praetendi, saltem contrariante Principe, apud quem manet. Iura enim legationis ad ipsum Legatum, comites, mobilesque res referuntur; non autem ad alios, vel ad solum, in quo moratur, qui cum sit de iure ac ratio-

<sup>1</sup> Vide Vattel ubi supra cap. ult. §. 124. et Thomas. *De iure Asylorum.*

<sup>2</sup> Si vero Legatus offensus fuerit ab aliquo subdito Principis apud quem agit legationem; ad Principem ipsum sua gravamina repraesentare debet, qui, ad ei plenam satisfactionem praestandam, obstrictus fuerit, nisi amicitiam Principis repraesentati a Legato perdere velit.

<sup>3</sup> Vide meum Puffendorf. *l. 8. cap. 20. §. 8.*

tione Principis loci, ad eundem quoque omnem ipsius iurisdictionem, salvo legationis iure, pertinere fas est. <sup>1</sup> Verumtamen si hoc ius fuit iam impertitum permissumque, imprudens fuerit eundem postea recusare ac interdicare velle.

VIII. Hoc in loco insuper adnotari convenit, nunc vulgo in mores ivisse etiam, ut tempore belli inviolabilitatis ac admissionis iure gaudeant Tubicines, Tympanotribae, quemadmodum sane apud Romanos Caduceatores, <sup>2</sup> et apud Graecos *Κηροκες*, quorum fit mentio apud Homerum, <sup>3</sup> eodem iure gaudebant. Adeoque ille contravenit iuri gentium, qui hos recusaverit, vel violaverit, atque offenderit. Maxime cum per hos treguae ac pacis interstitia et praeliminaria proponi ac denuntiari soleant. Tabellarii quoque ac Publici Cursores, utpote ad nationum societatem commerciumque recolendum servandumque, atque ad tractatum tabulas notitiasque ferendas apprime utiles ac necessarii, protectione iuris gentium ac inviolabilitate ex moderno Europae optimo usu fruuntur. <sup>4</sup>

X. Ceterum cum omnis vis abesse a Legato debeat, ut plena ei sit securitas tam personae, quam rerum; sequi oportet, quod si ille debita contraxit, bona eius mobilia, pignoris causa, vel ad compensationem refectionemque debiti a creditoribus invadi ac capi minime possint; atque adeo ille compellendus erit

Mmm

ami-

- <sup>1</sup> Vide meum Ruffendorf. ubi supra §. 9.  
<sup>2</sup> Vide Liv. 6. In bello Punic.  
<sup>3</sup> Odyssea K. vers. 102.  
<sup>4</sup> Vide Vattel ubi supra cap. 7. §. 87. Vicquef. ubi supra l. 1. sect. 3. qui refert multa exempla in re proposita.

amice, et absque iudiciorum forma: <sup>1</sup> si vero detrectet solvere debitum, ad suum Principem recurrere fas erit: et casu quo ille etiam denegaret iustitiam, licebit postea res suas invadere ac vindicare, repressaliarum iure. Verumtamen prudens erit ille, qui contrahens cum Legatis, eo modo faciat, ut aut pariter liberata merce, tradatur simul pecunia, aut ut fideiussor regionis, sive urbis ipsiusmet creditoris detur. <sup>2</sup> Sic enim ipse creditor in tuto erit, atque omnes gyros, ambages, periculaque evitaverit. <sup>3</sup>

Haec sunt iura Legatorum, quae si violentur, indubitatum est, nasci parti laesae ius belli. Et revera bellorum, quae ob male habitos Legatos suscepta sunt, profanae historiae sunt plenae, et extat in sacris literis memoria belli, quod eo nomine gessit David adversus Ammonitas, <sup>4</sup> ut videre est apud Grotium, quae multa alia exempla huiusce rei laboriose collegit. <sup>5</sup> Si quis tamen aveat plura in proposito, adeat meum Puffendorffium, <sup>6</sup> loco supra citato, ubi eundem auctorem dissertatione singulari suppleo, atque materiam, uti mihi videtur, argumentumque Le-  
ga-

<sup>1</sup> Legatis applicari potest, quod in Digg. de Pontificibus dicitur: *Nec Pontificem in ius vocari oportet, dum sacra fuit.* Digg. lib. 2. T. 4. *De in ius vocand.* leg. 2.

<sup>2</sup> Vide Grotium ubi supra §. 10.

<sup>3</sup> Ius Legati expirat, statim hac suam commissionem terminat, vel revocatur, vel bellum declaratur inter suum Principem et illum, apud quem agit. Ius tamen suum in hoc casu durat, usque dum possit in locum tutum se mittere et constituere. Vide Vattel ubi supra cap. ult. §. 125.

<sup>4</sup> Samuel. 2. 10.

<sup>5</sup> *De iure bell.* l. 3. cap. 18. 11.

<sup>6</sup> *De iure nat. et gent.* l. 8. cap. 10.



gatorum, eorumque iurium in omnem suam partem tracto et expono.

## CAPVT XII.

### DE CIVIVM OFFICIIS, ET DE EORVM

*differentia ac duratione.*

I. **H**actenus de summorum imperantium, eorumque repraesentantium iuribus officiisque egimus. Nunc reliquum est, ut de civium officiis, illorumque duratione ac cessatione pauca dicamus. Circa quae, eo breviores nos esse convenit, quo facilius illa, ex comparatione imperantium iurium, tanquam illorum correlata, derivari facile possunt. Iuribus enim, obligationes ac officia semper respondent, uti suo loco vidimus. <sup>1</sup>

Cives ergo, vel uti cives, vel prout aliquae partes functionesque Reipublicae illis demandatae sunt, considerari queunt. Ideoque eorum officia, vel generalia sunt, provenientia ex communi obligatione, qua summo imperio suppositi, atque societati civili obstricti sunt; <sup>2</sup> vel specialia, quae ex peculiari, quo in Republica funguntur munere aut dignitate promanant. <sup>3</sup>

II. Idcirco cum Respublica sit societas, unusquisque vero socius teneatur ad actiones suas communi

Mmm 2

so-

<sup>1</sup> L. I. cap. I. §. 3.

<sup>2</sup> Vide Wolf. *Instit. iur. nat. et gent.* P. 3. cap. I. §. 574.

<sup>3</sup> Nam quodcumque officium a statu et constitutione, in qua quisque manet, procedit. Vide Buddaeum *Philos. pract.* P. 2. cap. 4. §. 2.

societatis fini ac manutioni componendas ; hinc sequitur , ut civis securitati , conservationi , ac salutis publicae vacare debeat eo modo , quo nihil habeat antiquius hoc officio , ita ut ei postponat opes , utilitates proprias , <sup>1</sup> ac vitam ipsam , necessitate exigente. Equidem hanc obligationem erga patriam eo usque produxerunt veteres , ut eam omnes omnium charitates complecti , neminemque pro ea mortem detrectare oportere , tradant ; <sup>2</sup> sustineantque , nihil esse dulcius , quam mori pro patria. <sup>3</sup>

Praeterea cum in eo constituta sit veluti vita Reipublicae , ut cives omnes mentes ac voluntates suas prorsus menti et voluntati summi imperantis subiciant ; consequentia necessaria venit , ut propter conservationem Reipublicae , officium bonorum civium sit , semper se imperantibus summis , tanquam superioribus , eorumque arbitrio voluntatique submissos praestare. <sup>4</sup> Adeo ut ipsi non modo summa reverentia eos prosequi ; sed eorum legibus et iussibus promptum obsequium et obedientiam praebere , nec eos utpote sacrosantos , unquam verbis vel factis laedere debeant.

Nec tantum cives in imperantes , reverentiam , venerationemque internam , atque ab actionibus , ad nutum

<sup>1</sup> Optime Cicero : *Potest autem , quod inutile Reipublicae sit , id cuiquam civi utile esse ?* De offic.

<sup>2</sup> Cicer. de offic. l. 17.

<sup>3</sup> Cicero ibidem : *Dulce et decorum est pro patria mori.* Vide Horat. Ode 2. l. 7.

<sup>4</sup> Tacit. Annal. l. 4. *Principi summum Dii iudicium dederunt.* Nam ut alio , idem auctor ait : *si ubi iubeantur , quaerere singulis liceat , perreunte obsequio , etiam imperium intercidit.* Hist. l. 1.

tum ipsorum compositis, derivantem respectum, obsequiumque demonstrare; verum etiam honorificentiam externam, signaque huiusce consecraria patefacere, par est. Quae profecto consistunt in certis honorum titulis, distinctionibus, gestibusque, in quavis Republica receptis ac usitatis, Sic sane apud Persas, cives, Reges eorum appellare βασιλεὺς βασιλέων <sup>1</sup> solebant. Sic Mahumedani ipsorum Imperatorem Sultatum vocant, et neminem ante eum, nisi manibus comprehensis revinctisque admittunt. <sup>2</sup> Sic ad Pontificem introducti Catholici genua flectunt, illiusque pedes osculantur. Sic Regibus ac Imperatoribus Sacrae Maiestatis titulus tribuitur, aliaque Principibus aliis, honoris nomina dantur. Atque equidem, si haec imperanti subditus deneget, non est dubium, quin eius iura ac praerogativas convellat, Reipublicae praescripta ac conventa repugnet. Id quod tamen de civibus dicendum est. Posteaquam exteri, si nolint eiusmodi caeremonias, praerogativas ac titulos imperitari et adprobare, praecipue si nova honorum insignia sint; ad hoc cogi nequeunt. <sup>3</sup> Nihilominus tituli si tales sint, ut ab omnibus universim recogniti, usitati ac attributi videantur quibusdam Principibus, imprudens esset, immo improbus ille, qui eos denegandos praesumeret.

Porro cum cives imperantium voluntati ac arbitrio, pacto sint obstricti, uti iam supra fuit ostensum; <sup>4</sup> facile desumitur, eos ad fidelitatem praestandam

<sup>1</sup> Rex Regum. Vide Becmann. *Notit. Dign. Diss. VI.*

<sup>2</sup> Vide Sagredum *Histor. l. 2. pag. 105.*

<sup>3</sup> Vide supra cap. VI. §. 19.

<sup>4</sup> Cap. II. §. 3.

dam imperantibus religiose teneri; <sup>1</sup> ita ut nec statum Reipublicae commoveant ac turbent unquam, nec novis rebus studeant, nec ulli magis, quam Principibus suis adhaereant ac coniungantur, nec contra eum ullo modo machinari audeant.

III. Verum parum aut nihil ad conservationem Reipublicae ac societatis civilis, quam cives formant, omnia enunciata officia respicientia imperantis personam, uti societatis caput, conducerent, nisi inter se se cives ipsi etiam viverent, tanquam socii, iuxta eiusdem societatis finem ac exigentiam. <sup>2</sup> Hinc venit, quod bonorum civium est, concives suos amare, cum iisdem pacifice vivere, eos non laedere, suum cuique tribuere, atque officia humanitatis omnia illis quovis modo exhibere, in praeferebantia semper extraneorum. Vtpote ipsorum officium quoque est, non obtreectare inter se, aut non invidere aliis, quos aut natalium splendor, aut imperantium benevolentia, aut eximia quaedam merita ad sublimiores dignitates evererunt, <sup>3</sup> aut quos eminentes virtutes, vel commercium, vel professio aliqua honesta, felici haud raro exemplo, ad magnas fortunas divitiasque colligendas perduxerunt; <sup>4</sup> ita ut quisque propria conditione ac gradu contentus evadat.

Hoc

<sup>1</sup> S. Paulus: *Omnis homo potestatibus sublimioribus subditus sit.* Ad Rom. cap. 13. num. 1.

<sup>2</sup> Optime Livius: *Discordia civium, unum venenum ac labes civitatis.* L. 2. Dec. 1.

<sup>3</sup> Caesar, in suis Fragm. ad Attic. epist. 7. *Quisquam nihil honestius tutiusque reperiet, quam ab omni contentione ac invidentia abesse.*

<sup>4</sup> Plinius: *Quae discrimina ordinum si confusa, nihil est ipsa aequalitate inaequalius.* Ep. 5.

Hoc enim Democratiarum potissimum vitium est, quae nec vitia pati, nec virtutes eminentiores ferre possunt, iuxta Taciti expressionem. <sup>1</sup> Et revera quot viri illustres ac preclari Athaenis <sup>2</sup> labefactati sunt illa testula, quam ὄστρακισμῶν vocabant? Quod Syracusae ipsius Petalismo? <sup>3</sup> Unde licet arguere, quam longe a vero abeat Montesquius in suo revera aureo libro *Spiritus legum*, quando virtutem huiusce imperii formae, peculiare ac praecipuum principium dixit; <sup>4</sup> cum eius natura ac constitutio quodammodo sit, ut illam eminentem prorsus respuat atque degradet. Id quod sane si de moderatione speciatim usurpasset, nihil forsitan esset reponendum. <sup>5</sup>

III. Peculiariora vero civium officia omnia ex fine illius muneris, quo in Republica funguntur, emanant: ac proinde res ipsa docet, singulos obstrictos esse ad ea omnia facienda, quae ad finem muneris sui respiciunt ac pertinent, eaque omnia omittenda, quae fini ipsiusmet muneris adversantur ac pugnant; uti et ad nullum ambiendum munus, officium ac dignitatem, cui se impares <sup>6</sup> inhabilesque esse cognoscant. Ex quibus paucis regulis facile quisque colligere potest, quae sint officia Ducum, Ministrorum, Consiliariorum, Iudicum, Professorum, Artificum, aliorumque civium quovis modo societati civili inservientium.

Du-

<sup>1</sup> Annal. 3.

<sup>2</sup> Vide Cor. Nep. *Themist.* cap. VII. Arist. cap. I.

<sup>3</sup> Syracusani, quando Democratice regebant se, Petalismo habebant, quod erat Ostracismo simile institutum.

<sup>4</sup> L. 3. cap. 2.

<sup>5</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 4. §. 9. num. 3.

<sup>6</sup> Eccles. 7. 6. *Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates.*

Ducum enim officium est, comparare scientiam militarem, virtutem, auctoritatem. Scientiam nempe, ut artis suae Dux gnarus sit, scilicet ut norat: *Quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urgendo trahendoque bello modus:* <sup>1</sup> virtutem, ita ut habeat vigorem ingenii corporisque, et simul animi probitatem; quae omnia idem Tacitus, <sup>2</sup> hisce comprehendit ac explicat, ut exerceat legiones etiam sine bello, cura, provisu perinde agat ac si hostis ingruat, ut habeat laborem in otio, fortitudinem in periculo, industriam in agendo, <sup>3</sup> auctoritatem deinde, id est ut obedientiam militum habeat, ut omnes culpas militares legibus vindicet, nullique errantium credatur ignoscere: <sup>4</sup> nam vehementer pertinet ad bella administranda, quid socii ac milites, quid hostes de imperantibus aestiment. <sup>5</sup>

Ministrorum ac Consiliariorum officium est, habere religionem, probitatem, <sup>6</sup> ac peritiam rerum, de quibus consulere oportet, unde et velint semper proba ac provida convenientiaque Principi suggerere, et sciant. <sup>7</sup> Sic quoque Iudicum officium est, iustitiam administrare impartialiter omnibus sine pretio, sine gratia, sine inclinatione ac animi affectu, sed tantum ex legum praescripto, atque iuxta aequitatis

<sup>1</sup> Tacit. Annal. 3.

<sup>2</sup> Ibidem.

<sup>3</sup> Vide Cicer. *Pro leg. Manil.*

<sup>4</sup> Vide Veget. 3. cap. 10.

<sup>5</sup> Vide Cicer. ubi supra.

<sup>6</sup> Optime Cyprianus: *Consiliariorum gubernaculum lex divina sit.* Epist. 4.

<sup>7</sup> Quibus uti Salustius: *Corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum sit.* Caecil.

dictamina. Idcirco harum legum, <sup>1</sup> et naturalis aequitatis principiorum exactam notitiam tenere debet iudex, <sup>2</sup> ad cuius normam, se semper conformare ac dirigere opus est.

Tandem Professorum officium in eo consistit, ut scientiam, quam profitentur perite calleant, eam attentione atque assiduitate explicent, ad ipsamque patienter assidueque iuvenes dirigant; atque informant.

V. Idem dic de Praesidibus, de Quaestoribus, de Publicanis, <sup>4</sup> qui omnes in suis respectivis functionibus integritatem, rectitudinem, intelligentiam, vigilantiam, remota vi ac concussionem, praestare tenentur. <sup>5</sup> Idem de Legatis, de Sindicis, de Commissis, de Tutoribus, de Agentibus, de Procuratoribus addatur, quibus cunctis incumbit onus, propria munera cum fide, sedulitate, perspicacia, ac probitate possibili tractare ac disponere. <sup>6</sup>

Haec eadem quoque applicari queunt Ecclesiae ac Religionis Ministris, nimirum Episcopis, Beneficiatis, Presbyteris, Clericis, Monachis, quibus omnibus elaborandum est omni ope, nempe sanctitate vitae, in-

Nnn

stru-

<sup>1</sup> Cod. de iudiciis leg. 14. *Cum veritate et legum observatione iudicium disponant.*

<sup>2</sup> Sap. 1. 1. *Diligite iustitiam et sapientiam, qui iudicatis terram.*

<sup>3</sup> Cod. de profess. leg. 6. *Magistros studiorum excellere oportet moribus primum, deinde facundia.*

<sup>4</sup> Digg. de usur. l. 33. *Quia nec acerbi exactores, sed moderati, et cum efficacia benigni.*

<sup>5</sup> Luca 3. 13. *Ita ut omnes nihil amplius, quam quod ipsis constitutum est, faciant.*

<sup>6</sup> Digg. mand. lib. 17. T. 1. *Cum recta atque irreprehensibili fide, sibi commissa administrent.*

structione publica ac privata, morum exemplo, ac sacrorum assidua cura et solitudine, ut religio semper pura atque incontaminata praeservetur atque exerceatur, et quibuscumque modis promoveatur ac promulgetur. <sup>1</sup>

Praeterea et privatis quidem professionibus et conditionibus variis sua officia specialia insunt, utpote Advocatis, Medicis, Mercatoribus, Proxenetis, Artificibus, Agricolis, aliisque: nam et hi omnes exercitium artemque quam profitentur, administrare debent rectitudine, assiduitate, diligentia, atque convenienti intelligentia, semper ante oculos iustum habentes, ac suae conditionis debitum; ita ut eorum actiones ac munia ad Reipublicae et societatis bonum utilitatemque, continuo profecto spectent ac referantur. <sup>2</sup>

VI. Ex usque nunc dictis facile deducitur, officia generalia tamdiu a civibus exsequi oportere, quamdiu cives manent: specialia tamdiu, quamdiu functiones, dignitates ac conditiones illae a quibus proveniunt ac pendent, perdurant. Ideo quando Praeses dimittitur Praefectura Provinciae, Legatus revocatur a Principe, qui eum misit, Generalis ab imperio exercitus deponitur, vel bellum finitur; tunc eorum officia dignitatesque cessare necesse est. <sup>3</sup>

Ci-

<sup>1</sup> Numer. III. 5. *Observent sacerdotes, quicquid ad cultum pertinet coram Tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi, et incontaminati vivant, servientes in ministerio eius.*

<sup>2</sup> Iob V. 7. *Nam omnes homines ad laborem nascuntur, atque ad humani generis solamen ac bonum.* Vide Daumatatum *Droit Publique* l. 2. T. 6. sect. 2. 3.

<sup>3</sup> Cod. de fideic. *Si sollemnibus stipendiis, et honeste sacramento seductus est.*



Civis vero quisque esse desinit variis ac multis modis. Cum enim Respublica componatur ex hominum multitudine consociata, <sup>1</sup> quae populus denominatur, uti supra fuit signatum; <sup>2</sup> hinc consequi oportet, ut extincto distractoque populo, <sup>3</sup> id quod terraemotu, bello, inundationibus, similibusque calamitatibus publicis accidere potest; pauci superstites cives esse desinant, <sup>4</sup> nisi hi statum suum sustineant et servant, donec in iusti populi numerum iterum excreverint. Nam quamdiu superstites manet animus habendi communem patriam et imperantem, eique subiicendi voluntates suas, viresque omnes securitatis externae internaecque causa, uniendi, praeservato proprio solo ab aliorum invasione, cur eorum Rempublicam non perdurare dicemus? Ita quidem mansit Atheniensis Respublica, quando, referente Iustino, <sup>5</sup> praelio perditis et desperatis rebus, ad tantam inopiam reducti fuerunt Athenienses populi, ut consumpta militari aetate, peregrinis civitatem, servis libertatem, damnatis impunitatem darent, et libertatem suam vix tueretur illa hominum colluvies; quippe tamen coniun-

Nnn 2

ctim

<sup>1</sup> Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. ult.

<sup>2</sup> Cap. I.

<sup>3</sup> Digg. l. 5. T. 1. de iudiciis: *Non iam ex mutatione individuum hoc succedit. Nam populus idem adhuc putatur, qui abhinc centum annis fuisse, cum ex illis nunc nemo viveret.*

<sup>4</sup> Hoc nascitur etiam, quando vinculum societatis dirumpitur, veluti si cives dissociantur. Ita Seneca: *Hoc est vinculum, per quod Respublica cohaeret, nempe voluntas civium. Ideo hoc abrupto Respublica corrumpit.* De Clem. l. 1. cap. 4.

<sup>5</sup> L. 5. cap. 6.

ctim solum nativum servarunt, eiusdem populi iura tenuerunt. <sup>1</sup>

Quare perperam Grotius <sup>2</sup> putat sustinetque, paucos illos superstites, ad modum privatorum, adrogare sibi posse dominium rerum, quas antea populus possederat, non autem Imperium et Rempublicam constituere. Etenim non adhuc definitus est numerus propemodum eorum hominum, quo ad formandam civitatem opus est. <sup>3</sup> Dummodo illi, qui simul coalent, ad suos fines tuendos apti sint, non ultra requiritur; uti pauci illi superstites sufficiant, iam nos supponimus. Neque illi desinunt cives esse, qui debellati, aliae civitati, tanquam Provincia, ad crescunt; quia tunc alterius Reipublicae fiunt cives. <sup>4</sup>

VII. Ex hoc principio procedit, aliquem haud desinere esse civem, si per divisionem, ex una civitate plures fiant, vel plures in unum systema conveniant. Quamvis priore casu contingere possit, ut quis non prioris civitatis, sed novae <sup>5</sup> civis sit. Cum autem plures civitates in unum conveniunt, adhuc earum cives esse eosdem ipsiusmet civitatis, clare patet per se. Nisi tamen nova Respublica, quam simul constituunt, ita sit composita; ut antiquas civitates omnino funditus tollat subvertatque: quo in casu cives huiusce novae Reipublicae evaderent. <sup>6</sup>

Si

<sup>1</sup> Vide Q. Curtium l. 4. cap. 15. quod idem refert *De Tyriis*: et meum Puffendorf. l. 8. cap. ult. num. ult.

<sup>2</sup> *De iure bell.* l. 2. cap. 9. 4.

<sup>3</sup> Vti supra visum fuit cap. 6. §. 8.

<sup>4</sup> Verum antiqua sane civitas iam resoluta ac extincta manet.

<sup>5</sup> Quae teneat privilegia, ac iura sibi ipsi in divisione reservata.

<sup>6</sup> Quibus tamen antiqua iura ac obligationes contractae pertinerent proculdubio.

Si vero decrevit Respublica deducere coloniam, per multum refert, qualis illa sit colonia, considerare. Nam aliae ita derivantur maiori patria, ut singularem prope forment Rempublicam, quae in nihil aliud coniuncta sit Metropoli, nisi consociatione ac quadam reverentia et obsequio; aliae autem, ut partes membraque prorsus dependentia civitatis matricis remaneant. Posteaquam priore casu idem evenit profecto, quod ex divisione imperii enasci ostendimus, nimirum quemque colonum civem fieri illius coloniae: posteriore vero casu nulla mutatio producitur circa obligationem civium, qui coloniae adscripti sunt; quippe quia in antiquae Reipublicae dependentia adhuc perdurant.

Tales revera colonias mittere solebant in debellatas Provincias subiectasque Graeci ac Romani. Vti haec verba Thucydidis de primis ostendunt: *Neque enim coloni in colonias emittuntur ea conditione, ut sint independentes, sed ut iis, qui in antiqua patria reliquerunt, sint contribules ac concives.* <sup>1</sup> Et melius de Romanis quoque testatur Gellius <sup>2</sup> hisce verbis: *Eorum coloniae, iura institutaque populi Romani; non sui arbitrii habebant.* Huiusmodi characteris sunt etiam coloniae, quae in Americanas regiones ab Hispanis, Gallis, Anglisque transferri solent. Siquidem ipsae manent semper in suae antiquae, a qua proveniunt, patriae dependentia ac subiectione. Verumenimvero Graeci habebant quoque primae sortis colonos, ut videre est ex eodem

1. Ἀλλ' ἐμὶ τῶ ὁμοίῳ τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπεπονται.

L. 1. ἵνα ἡμεῖς ἴσμεν ὅτι οἱ ἀπομένοντες οὐκ ἐπιθυμοῦσι τῶν ἀπομένων.

2. Noct. A. ct. 17.

dem Thucydide, <sup>1</sup> de quibus talia profert: *Horum colonorum tantum erat, Τιμῶν τὴν μητρῶπολιν, venerari Metropolim, eique in solemnitatibus consuetos honores dare.* Huiusce sane conditionis colonos Corcyraeos fuisse Corinthiorum, ex <sup>2</sup> eodem auctore apparet. Romani etiam ab incunabulis suis eiusmodi fuerunt prope generis coloni Albanorum, *usque dum veterem patriam, sub suam redigere potestatem, non vererentur*; uti se exprimit Dionysius Halicar. <sup>3</sup>

VIII. Ceterum cum civis quisque sit, ratione Reipublicae ac permansionis in civitate, quam cum aliis concivibus componit; consequi oportet, ut quisque civitatem amittat, simul hac ab ipsa civitate patriaque emigravit, in aliamque se contulit, ibique fundavit domicilium atque habitationem, animo non redeundi amplius ad relictam antiquam civitatem. <sup>4</sup>

Hic solet quaeri, an civibus semper licitum sit a civitate recedere? Et respondemus, hoc licitum esse, dummodo leges non obstant, aut circumstantiae hoc ferant consentiantque. Nam qui civitati se adiungit, tacite vel expresse in sui, suarumque rerum conservationem hoc fecisse intelligitur: ideo si ipse aliunde transire utile ducit, non video, cur nequeat. <sup>5</sup>

Verumtamen si leges civitatis, hoc facere prohibent <sup>6</sup> cum quisque civis, ingrediens civitatem, ad il-

<sup>1</sup> L. 1. pag. 28.

<sup>2</sup> Thucyd. Ibidem.

<sup>3</sup> Antiq. Rom. l. 3.

<sup>4</sup> Vide curiosam Dissertat. Thomasiai *De vagabundo.*

<sup>5</sup> Vide Grot. *De iure bell.* l. 2. cap. 5. §. 24. Vide meum Puffendorf. l. 8. cap. 12. §. 2.

<sup>6</sup> Vide Grotium ubi supra §. 25. Vide meum Puffendorf. ubi supra

illas exsequendas se obstringat, sequi decet, ut absque expressa dispensatione ipsiusmet civitatis hoc conficere minime possit: cuius defectu, si quis ad aliam civitatem transfugit, eum imperanti retrahere, atque retractum punire licebit.

Idem dic, si civitas in tales circumstantias fuisset constituta, ut improbum inhumanumque, eam velle deserere, prorsus videretur. Veluti si hostis ad moenia adesset: tunc enim cives patriam desesere nec ratio nec ius humanitatis consentit.

VIII. Insuper hoc loco alia quaestio promovetur: an Reipublicae potestas sit edicto prohibere, ne cives migrent, sub gravi poena, veluti confiscatione bonorum? Et respondetur, sicuti pactis et legibus fundamentalibus haec migrandi facultas civibus potest adimi; ita etiam propter civitatis utilitatem, et necessitatem Reipublicae, Imperanti huiusmodi edictum promulgare, liberum esse debet. Nam omne id, quod non adversatur conventionibus primordialibus et divinis praeceptis, atque Reipublicae confert, Imperanti ac Reipublicae decernere licet.

Ibidem quoque siscitatur, an gregatim queant cives recedere a civitate? Et respondemus, quod cum

pra nota. Romani tempore Reipublicae hanc libertatem habebant. Vnde Cicero: *O iura praeclara, ne quis invictus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus: haec sunt enim fundamenta firmissimae nostrae libertatis, sui quemque iuris, et retinendi, et remittendi esse dominum.* Orat. pro Balbo cap. 13.

2 Apud Argivos, ut ait Ovidius *Metamorph. l. 15. vers. 28.* lex huiusmodi aderat:

*Prohibent discedere leges,  
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.*

cives ad commodum conservationemque civitatis promovendam, eamque corpore, vita, ac bonis incolum servandam teneantur, desertio autem gregaria civium distractionem, eversionemque civitatis importet; non est dubium, quin illis prorsus haec interdicta sit reputanda, ita ut possint vi detineri, modo tamen ipsis nihil contra ius naturale ac divinum iniungatur. Verumtamen si civibus in tali civitate impossibile prorsus esset, se praeservare ac subsistere; hoc in casu inhumanum ac iniustum foret, eis denegare hanc libertatem, ac velle ipsos cogere ad perdurandum in societate, quae a fine deficit, quo fuit composita. <sup>1</sup> Nam propter eorum salutem profecto cives cum aliis in civitatem coierunt vel perdurant; ideoque si finis hic desit, ab omni obligatione societatis illi solvuntur, atque adeo eam deserere etiam gregatim possunt.

X. Tandem uti per mortem naturalem, quandoquidem mors omnia solvit; ita et per mortem civilem, <sup>2</sup> quisque civis civitatem perdit. Haec vero mors

<sup>1</sup> Vide Grotium ubi supra: et meum Puffendorf. ubi supra §. 4. num. 2. quò in loco defendo Grotium a Puffendorffo, qui male sane contrariam sententiam tuetur.

<sup>2</sup> Haec mors apud Romanos nascebatur per maximam et mediam capitis deminutionem. Primam enim qui patiebantur, servi poenae dicebantur, quod hodie non fit. Media autem capitis deminutio illa appellabatur, quam illi, qui aqua et igni interdicti, sive id quod in eius locum successit, qui deportati dicebantur, perferebant. Vide *Digg. de cap. minut. lib. 4. T. 5.* Quibus hi, quorum bona apud nos publicantur, adiuncta provinciae interdictione perpetua, uti et in perpetuum carcerati cum eadem publicatione aequiparantur: utpote et damnati ad triremes eodem modo. Vide Vinnium *Ad Instit. l. 1. T. 16. §. 2.*

civilis tunc nascitur, quando Respublica aliquem civem propter improbitatem malitiamque suam a se segregat ac reiicit. Id quod evenire solet per exilium, carceris, triremium damnationem ad vitam, addita confiscatione bonorum. Atque equidem non est dubium, quin ius huiusmodi competat civitati eiusque imperanti, nempe cives pravos sceleratosque a sua consociatione dimittendi, eosque ad poenas meritas condemnandi. Nam (praeterquamquod supra iam vidimus, <sup>1</sup> ius delinquentes puniendi Principi pertinere) cum eos qui in societate aliqua vivunt, nec se se societatis legibus accommodant, recte a se separant reliqui socii; idem et civibus, qui inter se consociati sunt, absque haesitatione licere debet: adeoque malis civibus exilium iure irrogabitur, eoque facto, tales proscripti cives esse desinunt.

Idem dicatur de carceri perpetuo, et de triremi damnatis in vitam. Omnes enim hi non amplius civitatis iure fruuntur, neque commoda aut incommoda societatis ferunt, eo quia tanquam membra recisa mortuaeque reputantur. Verumtamen hoc de relegatis tantum asserere, incongruum videtur, maxime si ipsi adhuc fundos possideant in Republica; nec non de interdictis, qui in certum locum, Reipublicae nostrae subiectum, deportantur, ut ibi vitam insuavem ducant, vel certas operas praestent. <sup>2</sup> Immo genera-

Ooo

tim

<sup>1</sup> Cap. VIII.

<sup>2</sup> Optime Vinnius ubi supra: *Relegati sive in insulam, sive simpliciter certis provinciis interdicti, omnia sua iura retinent et civitatem. Nec refert an in perpetuum, vel ad tempus relegentur: nam bona sua possident. Idem dic de carceri damnatis, ac de illis in triremes datis absque confiscatione bonorum.*

tim advertendum est, eos etiam qui ob delictum iure civili excidunt ac proscribuntur, privilegiis quidem civium privari, non autem ab omni obligatione statim erga patriam liberari, sed tunc tantum, quando a quacunque spe remissionis deficiunt ac carent.

XI. Postremo adnotandum est, quod sicuti homines in statu naturali viventes ad officia exsequenda iuris naturae erga alios religiose tenentur, uti iam supra fuse fuit demonstratum, <sup>1</sup> unde nemo in personam, in res, neque in actiones suas laedatur: ita etiam societates civiles, ipsarumque imperantes, <sup>2</sup> qui veluti tot personae censentur, ac in statu naturali vivunt cum societatibus ac imperantibus aliis, ad talia officia adimplenda vicissim obstricti sunt; adeo ut neque societati, neque ipsius imperanti, neque cuiquam eiusdem membro aliam societatem illiusve imperantem vel membrum offendere ac iniuriare ullo modo liceat. Inimmo inter se se omnia officia non solum iustitiae, sed etiam humanitatis, amicitiae, beneficentiae, ac innocentis commercii recolere ac exercere debent, utpote inter aequales, ac fratres, ac ab ipso Conditore provenientes decet. <sup>3</sup> Quae sane officia cum a communi humanitate ac ab aequalitate na-

tu-  
 tate subiectum, quod oportet, ut ibi vivat, inserviat

1. *E. 1. cap. 17.*

2. Hinc venit, quod latini auctores indistincte nomine iuris naturae, ac iuris gentium utantur, ut videre est ex Cicerone de offic. l. 3. cap. 5. *Neque vero hoc solum natura, id est iure gentium... constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri.*

3. Vide Buddeum in *Elem. Philos. pract.* P. 2. cap. 4. p. 8. et seq. ubi accurate format ac explicat applicationem uniuscuiusque ordinationis ac praecepti iuris naturae ad populos societatesque civiles inter se consideratas. Vide supra etiam cap. 1. §. 15. cum nota.



turæ, semper eadem permanentis, prorsus promanant, ad differentiam eorum paulo ante recensitorum, quæ a statu civili procedunt, atque equidem cessant cum eodem statu; perpetua obligatione inhaerent, et nunquam intermitti queunt.

XII. Haec pauca, sed quæ ad propositum scopum sufficiunt, de iure naturæ et gentium fuerunt exponenda. A quibus facile desumi potest, an verum dixerim initio libri superioris, <sup>1</sup> nimirum quod iuris gentium et naturalis praecepta eadem sunt, eadem leges; immo quod ius gentium est ipsum ius naturale vitae hominum sociali, negotiisque societatum ac integrarum gentium veluti tot singularum personarum applicatum. Nam quemadmodum ex supra ostensis patet, iuris naturæ praescripta, quæ singulos homines respiciunt, esse erga Deum religiose, erga proximum iuste, erga seipsum moderate ac convenienter ad suæ conservationis et perfectionis normam vivere: sic etiam iuris gentium praecepta, quæ nationes in genere spectant, easque inter se obstringunt, ad idem veniunt ac reducuntur; id est ad propriam societatem civilem et religiosam praeservandam, custodiendam ac perficiendam, atque ad offensiones iniuriasque, nec non violationes pactorum in alias civitates scrupulose declinandas evitandasque, utpote inter aequales decet: adeo ut privatim et publice benevolentia, pax et societas, felicitasque universim existat ac floreat, cui omnes leges naturales, divinae positivæ, ac civiles unice intendunt. Ad quam promovendam

Ooo 2

fir-

<sup>1</sup> Cap. I. §. ult.

firmandamve, si quae a me collecta scriptaque fuerunt, aliquid conferre possent, equidem praeconce-  
pti voti compos fierem, ac huiusce qualiscumque ope-  
ris me amplo ac uberrimo fructu compensatum esse  
existimarem.

*Quae mihi utilissima factu visa sunt, quaeque ho-  
minibus et Principibus usui fore credidi, quam  
paucissimis potui, praescripsi.* Salust. ad Caesar.

FINIS.

# I N D E X

## M A T E R I A R V M.

N U M E R V S P A G I N A M I N D I C A T.

- A** Aceptio praesumpta quid? 119.
- A** Accessio quid? 99. Eius species variae, naturalis, industrialis, mixta. *Ibidem.*
- A** Actio obiectum iuris naturae. XII. Quid sit? 2. Bona, mala quid? *ibid.* Eius differentia a passione. 10. Actiones aliae ab arbitrio pendent, aliae non. 12. Primae tantum a iure naturae diriguntur. *ibid.* Naturales non imputantur. 36. Invitae non imputantur, sed ultroneae. 38. Actio iusta, iniusta quid? 41. In quo differat a bona, mala. *ibid.* Honestae, inhonestae quid? *ibid.*
- A** Addictio in diem quid? 165.
- A** Adferruminatio quid? 105.
- A** Adoptio quid? 265. A quo procedat? *ibid.*
- A** Adseveratio quid? 75.
- A** Aedificatio facta vel in alterius solo, vel cum alterius materia in suo solo cui cedat? 106.
- A** Equalitas hominum fundamentum officiorum erga alios. 65.
- A** Equitas quid? 35.
- A** Erarium quid? 387. In hoc tributa, ac vectigalia transeunt. *ibid.* Destinatum ad status indigentias. *ibid.*
- A** Agri arcifinii, limitati quales? 101.
- A** Agricultura ut promoveatur imperantis est. 399.
- A** Alienatio quid? 109. Necessaria, voluntaria quid? *ibid.*
- A** Alienatio imperii nisi de consensu populi invalida. 350.
- A** Alluvio quid? 101. Cui cedat? *ibid.*

Al-

- Alvei mutatio, sive solus alvei mutati cuius sit? 101.  
 Amor quid? 45. Amor sui est naturalis. 50. In quo consistat? 51.  
 Animae immaterialitatis probatio. 31.  
 Animus tantum capax directione. 2.  
 Antichreticum ius, et pactum quid? 177.  
 Aristocratia quid? 317. In eius Senatu sententiae plurimum vincunt pauciores. *ibid.*  
 Asyli ius in quo consistat? 456. An competat legatis? *ibid.*  
 Atheismus quid? 45. Eius comparatio cum superstitione. *ibid.*  
**B**elli ius quid? 400. Cui competat? *ibid.*  
 Belli definitio. 402. Dividitur in solemne, et non solemne. 404. Solemne indicere non est magistratus, sed Principis tantum. *ibid.* Quae ad iustitiam illius necessaria sunt. 407. *et seq.* Non licet in eo uti veneno, emissariis, contra Puffendorf. Heineccium. 410. Belli duae causae. *ibid.* A quibus bellum defensivum, vel offensivum promanat. *ibid.* In bello semper minus malum procurandum, producendumque. 417. Ius belli usquedum durat? 424. Quando cessat? *ibid.* Ius belli minus solennis in statu naturae omnibus competit. 404.  
 Bellum repraesentativum quid? 406.  
 Benedictio quid? 75.  
 Beneficium quid? 84. Sapienter dispensandum. *ibid.* Necessitati, et conditioni alterius attemperandum. *ibid.*  
 Blasphemus quis sit? 45.  
 Bonum quid? 2. Physicum, Morale. *ibid.* Apparens, ac verum. *ibid.* Maius praefendum minori. 55.  
 Bruta an obligentur iure naturae? 9.  
**C**aelibatus an contra ius naturae? 242.

- Calumnia interdicta. 70. An eam refellere debeat vir pro-  
bus? 58.
- Capti bello non injuste in servitatem detrahuntur. 285.
- Carne humana an vesci liceat in extrema necessitate? 63.  
Ob talem necessitatem non licet hominem occidere. *ibid.*
- Causa Physica, Moralis quid? 39.
- Cessio quid? 109.
- Civitas compositio quomodo fiat? 312. Tribus pactis con-  
stituitur. 313. Quibus modis civitas amittitur? 472.
- Civium officia quae sint? 459. Generalia, particularia. *ibid.*  
Quando cessant? 472. Eorum voluntates tenentur volun-  
tati Principis submittere. 461. Concives suos praedilige-  
re. 462. Quomodo civitatem amittunt. 467. An possint  
Cives semper eam deserere? *ibid.*
- Clausula commissoria quid? 178.
- Colonia quid? 469. Earum variae species, et conditio-  
nes. *ibid.*
- Commercium quid? 141. Qua ratione introductum? *ibid.*  
Imperantis est eum promovere. 398.
- Communio negativa quid? 89. Hanc liquit deserere. 91.  
Positiva quid? 93. Ab hac etiam recedere opus fuit. *ibid.*
- Concubinatus interdictus. 248. In quo consistat. *ibid.*
- Conditio quid sit? 200. Conditionum variae species. *ibid.*
- Conductoris officia. 167.
- Confusio, vel commixtio facta, cui spectet materia? 107.
- Coniuncti collaterales non repraesentant. 129.
- Coniunctiones extra matrimonium prohibita. 243. Vnius  
foeminae coniunctiones cum pluribus viris, et illae plu-  
rium foeminarum cum uno viro interdictae. 244. &  
*seq.*
- Consanguinitas ascendentium impedit matrimonium. 249.
- Collateralium etiam, sed non absolute. 250.
- Conscientia quid sit? 113. Eius species variae. 14. Recta,  
probabilis, dubia, scrupolosa, erronea. *ibid.*
- Consiliarii officia. 464.
- Contractus quid? 142. Non differt a pacto. *ibid.* Gratuitus,

- tus, onerosus, aleam continens. 143. Horum omnium  
variae species. *ibid.* et *seq.*  
Corpus machinale est. 2. Sua perfectio in quo consistat. 56.  
Correus quis dicatur? 178.  
Cultura spiritus in quo consistat? 55. Generalis, particu-  
laris quales sint? *ibid.*  
Cultus Dei in quo consistat? 48. Internus, externus. 49.  
*te seq.*

## D

- D**annum quid? 78. Resarciendum ab illo, qui eum de-  
dit. *ibid.*  
Debitoris obligatio qualis sit? 170.  
Decipere quid sit? 72. Numquam licet. *ibid.*  
Defensio sui licita. 62. A quo proveniat iure? 68. Usque  
dum duret tale ius. *ibid.* Cum moderamine utendum. *ibid.*  
Defraudatio quid sit? 137.  
Delegatio quid? 212.  
Delicta an omnia punienda? 369.  
Delinquens an obligatus sit ad poenam? 367.  
Democratia quid? 317. In ea quomodo exercentur iura  
maiestatis? 324. In quo resideant? *ibid.* Quomodo de-  
generet in Ochlocratiam? *ibid.*  
Depositum quid? 155. Officia depositarii. *ibid.*  
Derivativa acquisitio quid? 109.  
Deus Creator omnium, ac Dominus. XIII. Auctor iuris na-  
turae. 6. Perfectionum omnium complexio 45. Eius exi-  
stentia ineluctabilis. XIII. Apprime diligendus, atque co-  
lendus. 45. Sua voluntas est perscrutanda, ac exsequen-  
da. 46. Ipsa est fundamentum obligationis. 6.  
Dispositio libera consequentia dominii. 131. Eius effe-  
ctus. *ibid.*  
Dissensus mutuus modus solvendi obligationem. 207.  
Dissimulatio quid? 74. An licita? *ibid.*  
Diversitas ius naturae demonstrandi nihil officit ad suam  
certitudinem. VIII.

- Divisio quid? 109.  
 Divitiae quid? 57. Quis ad eas quaerendas sit obligatus? *ibid.*  
 Divortium interdictum. 258. Quo ad thorum certis casibus licitum. 259.  
 Dolis non licet uti in bello, ac deceptionibus: stratagematis licet. 417. *seq.*  
 Dolus quid? 212. Bonus, malus iuxta Iurisconsult. qualis sit? *ibid.*  
 Domaniaia Principis quae sint? 383. Minime ab eo alienari possunt. *ibid.*  
 Dominium quid? 89. Qua de causa introductum? 91. Per voluntatem tantum transfertur de uno in alium. 114.  
 Dominium plenum, minus plenum quid sit? 116. Directum, utile quid? *ibid.* Huiusce variae species. 117.  
 Dominium eminens ius maiestaticum. 377. In quo consistat. *ibid.* Non competit huiusce usus nisi ob status indigentiam, ac necessitatem. 380. Hoc caute utendum. *ibid.*  
 Dominus omnem rei suae utilitatem capit. 131. Alios omnes ab ea excludit. *ibid.* Eam et destruere potest. 132. Alienare. *ibid.* Disponere in mortem. 125.  
 Dominus non habet ius vitae, ac necis in servos. 289. Qua potestate gaudeat in mercenarios servos? 288. In obnoxios? *ibid.* Eius officia in mercenarios, ac obnoxios servos. 291.  
 Donatio quid? 185. Inter vivos, ac mortis causa. *ibid.*  
 Dotis origo. 256. Non necessaria ad matrimonium. *ibid.*  
 Ducis officia. 464.  
 Duellum quid sit? 406. Interdictum. *ibid.*

## E

- E**brietas quae imputetur? 37. Meretur poenam. *ibid.*  
 Ebruius an recte paciscatur? 193. Quando ad pactum teneatur? *ibid.*

- Ecclesiasticorum officia. 465.  
 Ecclesiae est definire dogma. 395.  
 Educatio liberorum in quo consistat. 270. Est finis coniugii. 239.  
 Electitia imperia quae sint? 342.  
 Emancipatio liberorum quid? 277.  
 Emphyteusis quid? 118.  
 Emptio venditio qualis contractus sit? 158. Eius definitio. *ibid.* Per consensum perficitur. 162. Laesio gravis excluditur ab hoc contractu. 161. In quo consistat. *ibid.*  
 Error quid? 16. Culpabilis imputatur, inculpabilis non. 37. Vitiat pactum. 195.  
 Error iuris, et facti quid? 37.  
 Essentia iuris naturae in quo consistat? VI.  
 Evictio quid? 113. De iure naturae competens. *ibid.*  
 Exhereditatio liberorum absque gravi causa illicita. 272.  
 Existimatio duplex alia simplex, alia distinctionis. 70. Ad eam tuendam quisque obligatus. *ibid.*  
 Expromissor quis dicatur? 179.  
 Exsecratio quid? 75. Ea non licet uti. *ibid.*

## F

- F**acti circumstantiae in imputatione considerandae. 36.  
 Facultates ad victum necessariae parandae. 57.  
 Falsiloquium quid? 73. Interdictum. *ibid.*  
 Famam tueri quisque tenetur. 70.  
 Familia qualis societas sit? 294. Rectoria et inaequalis. 295. Eius membrorum varia officia. 298.  
 Felicitas nostra in quo consistat? 30. Ad eam procurandam nos Deus obligat. *ibid.*  
 Feudum quid? 117. Aliud datum, aliud oblatum. *ibid.*  
 A quibus populi huius introductio repetenda. *ibid.*  
 Fictione an liceat uti? 74.  
 Fideiussio quid sit? 178.



Fideiussor nisi excusso principali debitore non potest conveniri. 179.

Fiscus quid? 382. Inter iura maiestatica Principis. *ibid.*

Communes, vel publicae res huiusce iuris dicuntur. 383.

Ad sustentationem Principis constituitur. 382. Huiusce iura, ac dominia non licet Principi alienare. 383.

Foedus quid? 426. AEquale, et inaequale. *ibid.* Ius maiestaticum. *ibid.* Reale, et personale. 432. Perpetuum,

& temporarium. *ibid.* An infidelibus pactum obliget? 435.

Foedus pacis quid? 437. Vide Pax.

Foetura animalium modus acquirendi. 100.

Foetus sequitur ventrem naturaliter. 100.

Fungibilis res quid? 169.

Furtum quid? 137.

## G

Genere in eodem reddere quid sit? 169.

Gestor negotiorum quis sit? 158. Eius officia. *ibid.*

Gestio negotiorum qualis gratuitus contractus est? 158.

Gradus varii in successione attenduntur. 128.

Gratitudo quid? 86. Ad eam obligatio qualis? *ibid.*

## H

Heineccius secutus plerumque. XVIII.

Hereditas. Quatenus de ea disponere liceat per ius naturae. 123.

Heres quis? 124. Necessarius non est iure naturae. 129.

Succedit in omnia iura defuncti. 130.

Herilis societatis origo. 282. Per ius naturae licita. *ibid.*

Herus, et Hera qui sint? 283. Eorum officia. 288. *et seq.*

Homo quibus constet? 2. Homo homini aequalis. 65.

Humanitatis officia quae sint? 80. Dicuntur imperfecta. *ibid.*

Eorum differentia a perfectis. *ibid.*

Hypotheca quid? 176. Manet apud Dominum possessio rei hypothecatae. 119.

## I

- L**actus iuxta legem Rodiam qualis sit? 381.
- I**gnorantia quid? 16. Eius divisio. *ibid.* Culpabilis, inculpabilis. *ibid.* Voluntaria, involuntaria. 17. Vincibilis, invincibilis. *ibid.* Culpabilis, voluntaria, vincibilis imputatur, contraria non. *ibid.*
- I**mmunitas a tributis raro concedenda. 388. Quando? *ibid.*
- I**mperantes quomodo eligantur? 331. Sunt Sacrosancti. 336. Iis tamen non quidquid libet, licet. *ibid.* Legibus naturae, et fundamentalibus civitatis, atque ad omne, quod ad salutem Civium confert, tenentur. *ibid.* Quid agendum si tyrannice imperent? 333. *et seq.* Quae eorum iura immanentia, et transeuntia? 338. Quae eorum iura circa Sacra? 392. Non ius dogmaticum, et Ierarchicum ipsis pertinet. 395.
- I**mperium summum quid? 330. Adesse debet in Republica. 331. Residet vel in uno, vel in pluribus, vel in populo. *ibid.* A voluntate subditorum provenit. 318. Electivum, et successivum. 342. Eorum differentia, ac natura. *ibid.* Alienari nequit nisi de consensu populi. 350. Eius vis se se exerit per iura maiestatis. 339. Individuum est. 127.
- I**mpietas rectae rationi repugnat. 45.
- I**mputatio quid? 32. Quomodo differat a conscientia? 33. Eadem sive ad Legem Divinam, sive ad humanam refertur. *ibid.* Differt quo ad effectum. *ibid.* Quae actiones imputentur, vel non? 38. Omissio actionis etiam imputatur. 40. In imputatione respicitur semper ad circumstantias loci, personae, temporis. *ibid.* Eius effectus meritum, et poena. 33.
- I**mputatio ex gratia, et debito quae sit? 36.
- I**nclusio species accessionis. 104.
- I**nduciae quid? 437. Ad statum belli pertinent. 421. Religiose observandae. *ibid.*

- Industria a pauperibus exercenda. 57.  
 Ingratitudo quid? 87. Evitanda. *ibid.* Non datur actio fo-  
 rensis contra eam. *ibid.*  
 Inimicos non licet decipere. 419.  
 Iniuria alium afficere interdictum iure naturae. 66.  
 Institutiones catholicae universi iuris naturae non extant. V.  
 Insula nata cui pertineat? 100.  
 Intellectus actionum humanarum principium. 12. Quid sit?  
*ibid.* Vnusquisque ad eius culturam obligatus. 53.  
 Interpretatio legis quid? 34. Etiam in lege naturae datur  
 contra Heinecc. *ibid.* Correctrix, extensiva, restrictiva  
 quid? 35. Authentica, doctrinalis, usualis quid? 36.  
 Interregnum in quo consistat? 344. Quando accidat? *ibid.*  
 Ordinarium, et extraordinarium. 348. Eo durante sub-  
 sistit Respub. 344.  
 Intextura species accessionis. 105.  
 Inventio rerum nullius, cui pertineat? 139.  
 Invita actio quae? 19. Eadem ac involuntaria. *ibid.*  
 Inundata terra cui pertineat? 102.  
 Iudicia publica, vel privata. 362.  
 Iudiciaria potestas indispensabilis in Republic. 361. In quo  
 consistat? *ibid.* Ius maiestaticum est. *ibid.*  
 Iudicum officia quae sint? 464.  
 Iuramentum quid? 76. Interdictum absque necessitate. *ibid.*  
 Quibus conditionibus constare debeat, ut sit licitum? 77.  
 Ius quid sit? 1. A quo dicatur. *ibid.* Iuris naturae diffe-  
 rentia a iure civili. 135. Iuri correlata est obligatio. 136.  
 Ius naturae complexio legum per rationem demonstrata-  
 rum. 6. In permissivum, praeceptivum, prohibitivum  
 dispescitur. 7. Immutabile est. 8. Eius auctor Deus. 5.  
 Eius demonstratio. 24.  
 Ius gentium quid? 9. Non differt a Iure naturae nisi ob-  
 iecto. *ibid.*  
 Ius omnium ad omnia non est principium iuris naturae. 23.  
 Ius necessitatis usque dum durat in statu naturali, et ci-  
 vili. 68. Quando competat? 67.

Iustitia quid? 13. Interna, externa quid? 355. In hac consistit securitas Reipub. *ibid.* Iustitia a probitate, iniustitia a pravitare in quo differat? 41.

**L**abor pauperi convenit. 57. Excessivum praecavendum ab omnibus. 53.

Laedens quis? 78. Ad satisfactionem tenetur. *ibid.*

Laesio in quo consistat? 67. Verbis, ac opere laeditur. 69.

Et internis machinationibus. 71.

Largitas quid? 85. Moderanda iuxta vires. 86.

Legatus quis? 447. Eius iura, et functiones. 448. Cui competat eius missio? 449. A quo iure proveniat? *ibid.*

Legatorum variae species? 448. Eius persona et res sacrae. 449. Eius admissio, et inviolabilitas. 451. Inviolabilitas etiam ad res, et comites suos extenditur. 454.

Illius ius quando expirat? 458.

Leges ferendi potestas ius maiestaticum. 356.

Lex civilis quid? 357. Eius partes duae. 360. Perfecta, ac imperfecta quae dicatur? *ibid.* Leges permissivas naturae extendit, restringit, explicat, nova poena fulcit. 357.

Lex naturae est voluntas divina per rationem manifestata in humana natura. 6. Lex divina vocatur. 21. Dividitur in affirmantem, denegantem, et permittentem. *ibid.*

Indifferens an haec sit expressa verbis, vel signis aliis, ut revera est. 34.

Liberi coniunctiores propinquorum. 126. Liberosum nomine veniunt etiam nepotes. 128. Eorum officia in patres. 276.

Libertas quid sit? 3. Vis externa eam non tollit. 18. Huiusce variae acceptiones. 219.

Libertus quid? 293. Eius obligatio, ac officia qualia. *ibid.*

Locatio quid? 166. Perpetua, libellaria quid? 168.

Locator ad quod teneatur? 166.

## M

- M**achiavelli principia circa imperantes? 332.  
 Magistratus quis sit? 389. Eos creandi ius, ac delegandi penes Principem. *ibid.* Eorum officia. 390.  
 Maiestas quid? 337. Realis an penes populum, personalis penes principem in monarchia? 331. Eius iura immanentia, transeuntia quae sint? 338. Haec iura quis in monarchia, Aristocratia, Democratia teneat? 340.  
 Maledictio quid? 75.  
 Malum quid? 2. Physicum, morale. *ibid.*  
 Mandantis officia. 159. Mandatarii officia. 157.  
 Mandatum qualis contractus sit? 156.  
 Manifesta, scripta quid? 415.  
 Manumissio quid? 293.  
 Mare an in dominio sit? 385. Mare Oceanum minime occupabile. 386.  
 Maritus ordinarie habet praerogativam in mulierem. 255.  
 Onera matrimonii ferre tenetur. *ibid.* Non gaudet imperio in uxorem. *ibid.*  
 Mater obligata est, nisi impedita, ad alendos filios lacte. 271.  
 Materfamilias ad quae teneatur? 299.  
 Matrimonium quid? 237. Eius finis procreatio prolis, et educatio. *ibid.* Consensus eum conficit. 238. Quibus est interdictum? 241. Matrimonii ineundi non est obligatio. 242. Eiusdem Modestini definitio. 253.  
 Mediatorum pacis officium. 444.  
 Membrum an abscindi possit vitae servandae causa? 61.  
 Mendacium quid? 73. Interdictum semper. *ibid.*  
 Mens perficienda pro virili. 53.  
 Meritum quid? 33. Effectum imputationis. *ibid.*  
 Metalla nobiliora in pretio eminente cur adhibita? 147.  
 Methodus servatus in opere. XVIII.  
 Militia lecta, mercenaria, socia. 403.

Mi-

- Ministrum an imperans delegare possit? 391. Eius officia. 464.
- Mixtarum civitatum exempla, et descriptio. 341.
- Moderamine inculpatae tutelae licet uti? 67.
- Mobiles res captae in bello hostium fiunt. 422.
- Monarcha quis? 317. Independens. 321. Eius officia. *ibid.*
- Nequit praeterire salutem publicam. 322.
- Monarchia quid? 317.
- Monarchomacorum error. 331.
- Moneram eudendi ius ad fiscum pertinet. 387.
- Mores quid? 18. Non auferunt libertatem. *ibid.*
- Mors civilis quid? 472. Amittitur per eam civitas. *ibid.*
- Mors voluntaria interdicta. 53. Ea perferenda quando. 460.
- Mulctae ad fiscum pertinent. 387.
- Municipium non est Respublica. 330.
- Mutuum quid? 168. Contractus gratuitus est. 169.

## N

- Natura quid? 1. Eius definitio male a naturalistis praetermissa. *ibid.*
- Necessitas quid? 59. Extrema, absoluta, respectiva. *ibid.*
- Quod ius det. 60. Considerata in relationem legis humanae excepta intelligitur. *ibid.* In relationem legis divinae varii casus distinguendi. *ibid.* Regulae circa varios casus. 61. *et seq.*
- Negotiorum gestor quis? 158. Eius officia. *ibid.*
- Nepotes quomodo avis succedant? 128.
- Neutralitas quid? 430.
- Noachi praecepta male supposita ut principium iuris naturae. 23.
- Norma actionum quid sit? 4. Hac indiget homo. 3. Extra nos quaerenda. 26. A Deo provenit. *ibid.*
- Novatio quid? 211.
- Nummus quid sit? 148. Eius definitio. *ibid.* A potestate

imperantium pendet eius valor. *ibid.* Non arbitraria tamen. *ibid.*

Nuptiae, matrimonium, coniugium idem significant. 237. Nuptias facit consensus. 238. Qui possunt contrahere nuptias, vel non. 240.

**O**bligatio quid? 4. Eius correlatum ius. *ibid.* Obligatio interna, et externa, naturalis, civilis. 8. Perfecta, imperfecta. 5. Obligatio civilis solvitur variis modis. 203. *et seq.* Obligatio naturalis non in conformitate cum rationali natura consistit. XI.

Obses quid? 444. Eius obligationes. *ibid.* Iura. 445.

Occasio quid? 40. Hac deficiente non imputatur omisio. *ibid.*

Occidendum non est. 67.

Occupatio quid? 95. Quibus modis fiat? 96.

Oceanus minime capax dominii. 386.

Ochlocratia quid? 325.

Officiositas quid? 84. Ad eam obligamur. *ibid.*

Officium quid? 42. Perfectum, imperfectum. *ibid.* Naturale, et civile, ac positivum. 43.

Officia alia in Deum, alia in nos ipsos, alia in alios. 43.

Officia in Deum ab ipsius essentia derivanda. *ibid.* Officia in nos, in quo consistant. 51. *et seq.* Officia in alios quid. 65. Alia iustitiae, alia humanitatis. *ibid.*

Perfecta, imperfecta: eorum differentia. *ibid.* Prima alia absoluta, alia hypothetica. 66. Absoluta. *ibid. et seq.*

Hypothetica. 88. *et seq.* Imperfecta aliquando in perfecta transeunt. 81.

Officia circa sermonem. 71.

Officia coniugum qualia sint? 252. Ex fine coniunctionis deducenda. *ibid.*

Officia parentum in filios quae sint? 272. Filiorum in parentes? 275.

Oligarchia quando nascatur? 324.

Ordo in familia bene constituta praecipuum. 299.

Origo iuris naturae unde? VI.

## P

**P**aciscendi incapax qui intellectu caret. 193. Inde paciscendi incapax ebrius, furiosus mente captus. *ibid.* Et qui in errore est. 194.

Pactum quid sit? 188. Eius differentia a contractu secundum I. C. *ibid.* Religiose servandum. 189. Aliud absolutum, aliud conditionale. 200. Inutile contra leges, ac bonos mores. 198. Alia unilateralia, alia binalateralia. 197.

Parentes inter et liberos societas adest. 263. Qualis eorum potestas in liberos? 264. Non extenditur ultra educationis finem. *ibid.*

Patri in familia potestas deferenda. 295. Diversa in statu civili ab illa competente in statu naturali. 296.

Patriae quid debeamus? 460. Dulce pro ea mori. *ibid.*

Pax optima rerum. 437. In quo consistat? 425. Quando sit rupta? 429. Non datur adversus eius transactionem exceptio metus, aut laesionis. 440. An et cum rebellibus inita valeat? 441. Eius sponsores quinam? 434.

Pecunia quid sit? 146. *et seq.* Cui competat eam cudendi ius? *ibid.* Qua de causa introducta? *ibid.* Ipsius finis. *ibid.* Materia. *ibid.*

Perficere quid dicatur hominem? 3.

Perfectio mentis, ac voluntatis quae sit? 54. Vna ac alia ab homine curanda per ius naturae. 55.

Periculum nullo alio modo evitabile debet esse per ius naturae ad necessitatis casum faciendum. 67.

Periculum rei venditae, nondum traditae, cuius sit per ius naturae? 162.

Permutatio antiquissimus contractus. 150. In quo consistat? 151. Simplex, ac aestimatoria. *ibid.* Haec emptioni assimilatur. *ibid.*



- Pignus quid? 175. Eius interitus absque culpa creditoris fert debitor. 176.
- Pignus pacis quid? 446.
- Piscatio species occupationis. 97.
- Plantatio accessio mixta. 108. Quid iustum circa eam? *ibid.*
- Poena quid sit? 364. Cui competat ius eam infligendi? *ibid.*  
Eius finis triplex. *ibid.* Poena transgressoribus iuris naturae imminet. 29. Quae sanctio est huiusce iuris. *ibid.*
- Poliandria interdicta. 244.
- Poligenia prohibita. 244.
- Populus sub principem, non supra est. 331.
- Possessio quid? 89. Inter effectus domini numeratur. 136.  
Possessio domini a nullo debet interverti. 137.
- Possessor bonae fidei ad quos fructus restituendos teneatur? 133. Possessor malae fidei ad fructus omnes restituendos tenetur. *ibid.*
- Postliminii ius quid? 422. A quo dictum? *ibid.*
- Potestatis civilis iusti limites. 332.
- Praefectura non est Respub. 330.
- Praefectus Praetorii inappellabilis erat apud Romanos. 363.
- Praemia ab imperantibus apponi solent legibus aliquando. 359.
- Praemia, vel mala aeterna expectanda. 31.
- Praescriptio an iuris naturae? 139.
- Praecepta iuris naturae quae sint? XII.
- Praerogativam mariti uxor ferre debet. 255.
- Praesidium officia quae sint? 465.
- Pretium rerum ad contractus necessarium. 142. Vulgare, et eminens quid? 143. Quid eum intendat, vel imminuat. 144. Legitimum, ac conventionale quid? 151.
- Primogenitus an natu minoribus praefendus in Regno? 127.
- Principium iuris naturae demonstrativum a natura hominum desumendum. 24. Inspecta in relationem Dei, sui ipsius, ac aliorum hominum. 25. Ab hisce tribus officia omnia hominum eruuntur. *ibid.* Inde hoc non est iustum sua natura. 22. Neque quod consensu hominum ad-

- mittitur. *ibid.* Neque septem praecepta Hebraeorum. 23.  
 Neque ius omnium ad omnia. *ibid.* Neque socialitas. *ibid.*  
 Neque amor. *ibid.*
- Probabilior sententia semper amplectenda. 56.
- Professorum officia quae sint? 465.
- Promissio male distinguitur in perfectam, et imperfectam  
 a Grotio. 191.
- Proprietas quid? 89. Eius origo. *ibid.*
- Provocatio ad quos facienda. 362.
- Pudicitiam an liceat vi defendere? 69.
- Pupillorum, ac Tutorum mutua obligatio, ac officia. 280.
- Puniendi qui sint? 369. An universitates? 370.
- Q
- Q**uaestorum officia quae sint? 465.
- Qualitates rerum regulis pendent. VIII.
- R
- R**apina in quo consistat? 137.
- Ratiocinatio quid? 13.
- Ratio legis est eius anima. 35.
- Regnum numquam patrimoniale est. 351. Electitium quid?  
 342. Successivum quid? 345. Vide Imperium.
- Religio vera in quo consistat? 47. Vnde dicta? 50. Ius  
 principis circa illam. 395.
- Relocatio tacita quando intelligitur facta? 168.
- Repraesentationis ius aequitati naturali consentaneum. 128.  
 Ei minime est inter collaterales locus. 129.
- Repraessalia quid? 423. Quid iustum circa eas? *ibid.* Cui  
 competant? *ibid.*
- Res nullius primo occupanti cedit. 139. Res perit domi-  
 no. 162. Alterius restituenda. 138. Dividua, vel indi-  
 vidua quae sit? 111.
- Reservationes mentales interdictae. 76.

Respublica quid? 313. Eius variae species, ac formae. 317.  
 Regularis, irregularis. 325. Huius corruptio quomodo  
 succedat? 318. Simplex quae sit? *ibid.* Mixta? 326.

## S

**S**acra circa, quae Principi pertinent? 392.  
 Sanitas procuranda per ius naturae. 53.  
 Sanctio quid? 359. Pars legis. *ibid.* Iuris naturae quae  
 sit? 29. Ab aliquibus male neglecta in iuris naturae tra-  
 ctatione. 31.  
 Satio species accessionis. 108. Circa eam quid iustum? *ibid.*  
 Satisfactio quid? 205. Hac tollitur obligatio. *ibid.*  
 Scholarum cura ad Principem pertinet. 396.  
 Scriptura in alterius carta facta cui spectet? 104.  
 Scrupulosa conscientia quid? 15.  
 Securitas populi causa ac finis civitatis. 306.  
 Senes an recte contrahant nuptias? 240.  
 Sermo quid? 71. Quomodo illo utendum? 72. Acutus, et  
 ad fictionem compositus licitus. 74.  
 Servus quis dicatur? 283. Obnoxius, ac mercenarius  
 quis? *ibid.* Vtrorumque officia. 291.  
 Servitus bellica. 285.  
 Servitus in re aliena quid? 118. Personalis, realis. *ibid.*  
 Simulatione non licet uti. 74.  
 Socialitas non est principium omnino adaequatum iuris na-  
 turae. 73.  
 Societae contractus quid? 168.  
 Societas civilis quid? 225. Quomodo constituatur? 224.  
 Consensu initur. *ibid.* Pro una persona habetur. 229.  
 Societates ratione finis diversae evadunt. 226. Aliae iustae,  
 aliae iniustae. *ibid.* Aliae ultroneae, aliae coactae. *ibid.*  
 Simples aliae, aliae compositae. 228. AEquales, vel  
 inaequales. *ibid.*  
 Societatis contractus natura. 182. Definitio. *ibid.* Species  
 diversae. *ibid.* Inaequalitatem admittit. 183.

- Sociorum officia. 230.  
 Solutio quid? 203.  
 Specificatio species est accessionis. 105. Quid circa eam iustum? *ibid.*  
 Sponsalia quid? 239.  
 Sponsio quid? 434.  
 Sponsor pacis quis dicatur? 428. Horum duae species. 443. Eorum officia, ac obligationes. *ibid.*  
 Spontanea actio quid? 19.  
 Status quid sit? 214. Physicus, Moralis quid? 215. Moralis solus per ius naturae inspicitur. 216. Hic distinguitur in connatum, et adventitium. *ibid.* Unde varia iura, et officia nascuntur in hominibus. 217.  
 Status naturalis quid? 218. Socialis quid? 224.  
 Status mutatio modus solvendi obligationem. 210.  
 Stipulatio quid? 191.  
 Successio duplex testamentaria, ac intestata. 120. Testamentaria quid iuxta Iurisconsultos? 121. Quid iuxta Grotium? *ibid.* An iuris naturae sit? 123. Intestata cui fundamento innitatur? 126. Haec praesumpta, prima expressa. 125. Revocabilis an sit expressa? *ibid.* In successione intestata liberi praeferuntur. 126.  
 Successiva imperia quae sint? 342.  
 Superstitio quid? 47. Tam contra veram religionem, quam Atheismus. *ibid.*  
 Systema civitatum quid? 228.

## T

- T**aciturnitas licita. 74.  
 Talionis poena non ferenda. 372.  
 Temperamentum non officit libertatem voluntatis. 18.  
 Territorium occupatum a populo in communiōe positiva est. 93.  
 Testamenti definitio iuxta Iurisconsultos. 121. Testamenti definitio Grotii manca. *ibid.* An iuris naturae sit? 123.

The-

- Thesauri definitio. 98. Cui cedat? *ibid.*  
 Tignum iunctum an solvi queat? 108.  
 Timor filialis Dei quid? 47. Servilis quid? *ibid.*  
 Traditio modus acquirendi naturalis. 113. An necessaria sit ad transferendum dominium? 114. Ex certis signis potest elici. 120. De hac Roman. Iurisconsult. cavillationes. 114.  
 Transactio quid? 212.  
 Tributa indicere ius maiestaticum. 377. Quid circa ea iustum? *ibid.* In quo consistant. *ibid.*  
 Tutela quid? 280. Quamdiu duret? *ibid.*  
 Tutorum, pupillorumque officia. 281.  
 Transeuntia iura maiestatis quae sint? 399.  
 Tyrannis quando nascatur. 322. Eius descriptio. *ibid.*

## V

- V**alor rerum a quo sit regulandus? 147. Vide pretium.  
 Valetudinis cura unicuique incumbit. 56.  
 Venatio species occupationis. 96.  
 Venditor debet indicare qualitates, et vitia rei. 160. Ad evictionem tenetur. 163.  
 Veracitas quid? 74. A veritate male ab Heineccio distincta. *ibid.*  
 Verbis homines laedantur. 72. Hoc interdictum per ius naturae. 73.  
 Veritas quid sit? 74. Semper dicenda. *ibid.*  
 Victi in imperio victoris quando evadant? 424.  
 Vindicatio rei effectus dominii. 131. Quid sit? *ibid.*  
 Vis quid? 137.  
 Vita servanda per ius naturae. 53.  
 Vitia evitanda per ius naturae. 53. *et seq.*  
 Ultronea actio quid? 19.  
 Universitates circa, ius principis. 396.  
 Voluntas quid? 12. Actionum humanarum principium. *ibid.*  
 Agit libere, ac sponte. 18. Antecedens, et consequens. 19.



# E R R A T A.

Pag.	Lin.	Errata.	Lege.
48	23	considerere	confidere
51	2	natura	naturae
52	11	ambo	ambae
57	22	attentae	attente
63	16	alter	alterum
72	1	brutic	brutis
75	9	quae	quo
84	8	deliberatae	deliberate
<i>ibid.</i>	11	prosit	prosint
85	<i>ult.</i>	utraque	in utraque
87	9	ordinandi	ornandi
92	<i>not. 2</i>	<i>naturali . . . commune</i>	<i>naturale . . . communiter</i>
101	25	ut nullius	in nullius
103	14	sunt tunc,	sunt, tunc
105	2	tribui nulla	tribui : nulla
106	<i>not. 1</i>	<i>picturis</i>	<i>picturam</i>
108	15	debet si non	debet ; si non
111	24	arbitrium	arbitrum
116	11	dominus	dominos
119	9	quae	quam
122	<i>ult.</i>	mortuo	mortui
124	21	ipsi	ipsae

Vbicumque occurrat citatus *Buddaeus*, lege *Buddeus*; Franciscus scilicet, longe diversus a Gulielmo Budaeo.

*Nonnulla alia minutiora errata tumetipse, Lector, corrigere poteris. Hoc unum te monitum volo: non satis diligentem fuisse Almicium in citationibus. Ego vero complures suis locis restitui: omnes tamen ob praeli festinationem [nam urgebant Auditores, quibus particulatim, complicatis paucis foliis, tradebatur opus] ad examen revocare non potui.*

124	ipse	ipse
121	moros	moros
119	com	com
116	horas	horas
111	alpinum	alpinum
108	debet et non	debet et non
106	quod	quod
101	tabula	tabula
100	quod	quod
97	tabula	tabula
92	tabula	tabula
87	tabula	tabula
85	tabula	tabula
82	tabula	tabula
77	tabula	tabula
74	tabula	tabula
71	tabula	tabula
67	tabula	tabula
62	tabula	tabula
57	tabula	tabula
52	tabula	tabula
47	tabula	tabula
42	tabula	tabula
37	tabula	tabula
32	tabula	tabula
27	tabula	tabula
22	tabula	tabula
17	tabula	tabula
12	tabula	tabula

Videtur occurrit citius Eadem, lege Eadem et Franciscus scilicet, longe diversus a Galileo Eademo.


Nonnulla alia innotuerunt ex his scriptis, Ictus, corrigere potuit. Hoc innotuit et manifestum est: non tantum diligenter fuisse Axiomas in tractationibus. Ego vero con- sideravi tantum tantum tantum: omnia tantum, ob prae- fectam, non tantum tantum tantum, quibus partibus, componentibus partibus, tradidit tantum] ad examina tantum non tantum.

















285

ALMICI  
ELEMENTA  
JURIS

F. A.  
144

UNED